## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

+ *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
+ *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
+ *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
+ *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página `http://books.google.com`

Digitized by Google

VIa Y 17

ÖSTERREICHISCHE
NATIONALBIBLIOTHEK
251.446-B
FID.

21473

Digitized by Google

Digitized by Google

~~21. C. 14.~~
~~VII^a I. 17.~~
9 - 066

Digitized by Google

Digitized by Google




J. V. Wadm[illegible] Ver.

Digitized by Google

# ELEMENTA JURIS GENTIUM,

QUÆ

SOLO DEO PRÆSIDE

*SUB AUGUSTISSIMIS AUSPICIIS*

INVICTISSIMI MAXIMIQUE

CÆSARIS

# CAROLI VI.

IN ALMA DUCALI JULIO-FRIDERICIANA

UNIVERSITATE WIRCEBURGENSI

PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT

*ILLUSTRISSIMUS ATQUE GENEROSISSIMUS DOMINUS*

S. R. I. COMES

CAROLUS de COLLOREDO,

AUTHORE

*PRÆNOBILI ATQUE CONSULTISSIMO DOMINO*

JOANNE ADAMO ICKSTATT,

U. J. D. Reverendiſs. ac Celſiſs. Princip. Epiſcopi Bamberg. & Wirceb. F. O. D. Conſiliario Aulico, nec non P. P. & O. F. J. h. t. Decano,

IN AULA MAJORE ACADEMICA

*Die Septembris MDCCXL. Horis ante- & pomeridianis conſuetis.*

WIRCEBURGI, Typis Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univ. Typogr.

251.446-B
FID.

Digitized by Google

PIDC

Digitized by Google

# AUGUSTISSIMO
ATQUE
# INVICTISSIMO
# CAROLO VI.
# ROMANORUM
# IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO,
GERMANIÆ,
CASTELLÆ, ARRAGONIÆ,
LEGIONIS,
UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM,
HUNGARIÆ, BOHEMIÆ,
DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ,
NAVARRÆ, GRANATÆ, TOLETI,
VALENTIÆ, GALLITIÆ, MAJORICARUM,
SEVILIÆ, SARDINIÆ, CORDUBÆ, CORSICÆ,
MURCIÆ, GIENNIS, ALGARBIÆ,
ALGEZIRÆ, GIBRALTARIS, INSULAR. CANARIÆ,
ET INDIARUM, AC TERRÆ FIRMÆ, MARIS OCEANI
# REGI,

Digitized by Google

ARCHIDUCI AUSTRIÆ,
DUCI
BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI,
MANTUÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ,
LIMBURGIÆ, GELDRIÆ, VIRTEMBERGIÆ,
SUPERIORIS & INFERIORIS SILESIÆ, CALABRIÆ,
ATHENARUM & NEOPATRIÆ,
PRINCIPI
SUEVIÆ, CATALONIÆ, & ASTURIÆ,
MARCHIONI
SACRI ROMANI IMPERII, BURGOVIÆ,
MORAVIÆ,
SUPERIORIS & INFERIORIS LUSATIÆ,
COMITI
HABSBURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS,
FERRETIS, KYBURGI, GORITIÆ & ARTHESIÆ,
LANDGRAVIO ALSATIÆ,
MARCHIONI ORISTANI,
COMITI GOZIANI, NAMURCI, ROSSILIONIS,
ET CERITANIÆ,
DOMINO
MARCHIÆ SCLAVONICÆ,
PORTUS NAONIS, BISCAJÆ, MOLINÆ,
SALINARUM, TRIPOLIS, & MECHLINIÆ,
&c. &c. &c.

*DOMINO MEO CLEMENTISSIMO.*

Digitized by Google




# AUGUSTISSIME CÆSAR
## DOMINE CLEMENTISSIME!

S*Upremus populorum plurium* Monarcha, *atque primus inter eos, qui Gentibus imperant*, Imperator *emines*,

AUGUSTISSIME CÆSAR! *Non longè igitur arceſſendæ rationes ſunt, quibus ego potiſſimùm impulſus libellum hunc Academicum Sacratiſſimæ* Tuæ *nuncupare audeo* Majeſtati. *Jura Gentium is delineat, novoque inſtituto & conamine, novo ordine ac ſucceſſu, quid Gens Genti debeat, quoque jure diverſæ inter ſe Reſpublicæ regantur, exponit. In utiliſſimo itaque non minùs, quàm nobiliſſimo argumento verſatur novitius conatus, jurium ſublimium, quibus populi gaudent, ſtrenuus vindex, ſimúlque officiorum, quæ Gens à Gente exigere poteſt, ingenuus interpres; Eccui verò rectiùs ille*

*con-*

Digitized by Google

*conſecratur ſanctiùsque, quàm* Tibi, INVICTISSIME CÆSAR! *qui primum inter Gentes dignitatis faſtigium tueris, quemque* Romanorum Regem *venerantur Reges*, Imperatorem *colunt Imperantes? Suo ſanè jure id ſibi vindicat libellus, ut in* Te *potiſſimùm confidat Protectore, atque apud* Te *inprimis tot populorum* Dominum *ſuum contra malevolos quosque præſidium obtineat ac tutamentum. Pariter &* Tuo *ipſe jure exigis* CÆSAR, *ut, quæ integrarum Gentium ac regnorum jura noviter expromit charta, ante* Tuos *primùm oculos compareat, atque ad pedes* Majeſtatis Tuæ *demittatur*

*pri-*

Digitized by Google

*primos. Sufficere fortean temerariis meis auſibus vel ſola hæc ratio poterat, ipsâ equidem argumenti, quod continet, fiduciâ eò ſecuriùs ſubnixa, quò major* Tua *ipſius in obſervandis Gentium Juribus ſolicitudo eſt, & quò illuſtriora in tuendis illis ſingularis juſtitiæ, atque admirandæ æquitatis* Tuæ *in belli pacisque temporibus, tum priſcis, tum noviſſimis exempla ubique proſtant, atque documenta. Verùm & alia adhuc ſuppetunt audaculi moliminis incitamenta, & illa quidem nec pondere, nec numero minora. Scilicet ingratorum ego ingratiſſimus forem, niſi perenni memoriâ venerabundus deoſcularer il-*

*luſtriſ-*

luſtriſſima ſingularis clementiæ documenta, quibus devotiſſima Tibi Colloredorum Gens, & à Te ipſo & à Glorioſiſſimis Majoribus Tuis, Divis Auguſtis, à multis inde retrò ſæculis cumulatiſſimè ornata fuit, atque hodie quoque novis quotidie Auguſtalis clementiæ ſpeciminibus egregiè ornatur. Habent quidem innumeræ Familiæ, quod idem de Te prædicent cum mea commune; quum nihil magis curæ Tibi ſit cordique, quàm ne quis virtutis amans, atque ſincero de Sereniſſima Domo Auſtriaca benè merendi ſtudio accenſus, Cæſareæ liberalitatis expers de Imperatore conqueratur minùs munifico ac benigno.

)()( Inge-

Digitized by Google

*Ingenita profectò hæc* Auguſtiſſimæ Domui, *quæ aliis adfectata, Virtus eſt*; & Cæſari *haud innoteſcit, quisquis eundem non liberalem experitur atque Clementem. Qui tamen ampliſſimorum luminum mundi mos eſt, ut in unum telluris, quam illuminant, tractum benigniores ſubinde, quàm in alterum, radios emittant, idem* Tuo, CLEMENTISSIME DOMINE, *erga Gentem* Colloredanam *exemplo patet. Non capit paginæ anguſtia, quod Auguſtæ liberalitatis* Tuæ *recordatio heic ſuggerit argumentum; ſed nec mea in ſcribendo inſcitia ſufficit eidem ubertim enarrando; tantùm abeſt, ut vel idoneum ego,*

*com-*

Digitized by Google

*communi Gentis* Tibi *devinctiſſimæ nomine præconem agere, vel & proprios animi gratiſſimi ſenſus condignâ exprimere oratione queam; Eò potiùs* PRINCIPUM AUGUSTISSIME, *mihi connitendum video, ut, cum & ego* Colloredani *nominis hæres in prima adhuc juventute grandium experimentorum fide perceperim jam ipſe, quantum & me quoque participare* Tu *de gratiâ velis, Domui meæ ingenti beneficiorum cumulo dudum demonſtratâ, ut inquam hoc ſtudiorum ſtadium, quod* Tuâ *adſpirante Clementiâ ſum ingreſſus, ſub cœleſti auſpicio* Tuo *feliciter decurram; dum interea de tempore inter exteros*

)( 2 non

*non malè collocato, uno alterove diligentiæ non minùs quàm pietatis meæ monumento* Tibi *conſtet. Atque hæc jam altera præſentis mei conaminis ſive ratio ſive excuſatio eſt,* Tibi CÆSAR INVICTISSIME, *quod pleniſſimè confido, tantò minùs diſplicitura, quantò fortius illa à divinâ virtute* Tuâ *accipiet firmamentum. In* Te *enim* IMPERATOR POTENTISSIME, *atque in ſumma celſiſſimi animi* Tui *munera dum intueor, nihil equidem occurrit, quod non novum conanti calcar addere, atque ut libellum hunc academicum in Celebri Franconiæ Athenæo publicè à me defenſum* Sacratiſſimo Numini

Digitized by Google

mini Tuo *inſcribam*, *vehementer prorſus me animare poſſit.* *Aſt dum virtutes* Tuas CÆSAR, *quibus orbem univerſum imples, nomino, dum merita cogito, quibus infinitas hominum Myriades* Tibi *quotidie devincis, dum ad curas attendo, & labores, quibus tot populorum Gentiumque* Sacratiſſimo Sceptro Tuo *vel avito hereditatis jure, vel & juſtâ victoris occupatione ſubjectarum invigilas ſaluti, dum onera reſpicio & molem, quam Atlantis inſtar undequaque ſuſtines, ſtupendam, dum vel maximè vaſtam illam Imperii Romano-Germanici Machinam, non niſi mirâ ſapientiæ cum potentiâ conſpiratione,*

*nec niſi artificioſo ſummæ auctoritatis, generoſæque lenitatis temperamento, in tanta tum Statuum, Principumque, tum & legum juriumque diverſitate dirigendam, curatiùs expendo; dum porrò ad res belli & pacis, quas* Tu *communis rerum in Europa Stator, Arbiterque ſubinde tractas, dum ad fœdera, quæ pangis, ad leges, quas ſancis, adque jura, quæ adſeris, oculum intendo; dum inſimul & animum circumfero, atque mente conſidero devotâ, quo ſapientiæ incomparabilis ſpecimine, quo prudentiæ ineffabilis lumine, quo juſtitiæ admirabilis numine, quo pietatis ac religionis ſanctiſſimæ ſpiramine,*

*quo*

Digitized by Google

*quo conſiliorum ac deliberationum omnium librramine, quo denique animi verè Auguſti moderamine,* Tui *ſemper ſimillimus, nullâ unquam fortunæ viciſſitudine infringendus, ſed in utraque ſorte conſtantiſſimus, erectiſſimus, placidiſſimus, hæc ſingula ac univerſa ad immenſum regiminis* Tui *ambitum ſpectantia diſpicias, componas, perficiasque: Næ! quàm ingens mihi, quàm amplum, quàmque ſpatioſum efferendarum laudum* Tuarum *aperiri video theatrum! Neque enim* CÆSARUM MAXIME! *in iſthoc Cæſarem* Te *tantùm, id eſt, Regum, Principumque ſummum, atque univerſæ cumprimis Europæ*

*noſtræ*

*noſtræ eminentiſſimum Monarcham, ſed & Principem contueor in eodem planè præſtantiſſimarum virtutum, quo dignitatum præfulgentiſſimarum faſtigio collocatum. Incaleſcit profectò ad hunc obtutum pientiſſimus animus, atque in ſummam tanti Cæſaris admirationem non minùs, quàm venerationem abripitur profundam. Ita eſt omnino* AUGUSTISSIME CAROLE! *ita* Tu *Imperatoriæ* Majeſtatis Tuæ *fulgore, ita diadematum* Tuorum *ſplendore, ita potentiſſimi regiminis amplitudine, ita honorum ac prærogativarum multitudine, ita laborum ac curarum magnitudine; ita verò & animi, & vir-*

Digitized by Google

*& virtutum* Tuarum *celſitudine, ita paterni denique affectûs in vaſallos, clientes, ſubditosque teneritudine & animos meditantium confundis, & oculos adſpectantium perſtringis, ut omnis, qui* Tibi *à me præſtari poteſt cultus, poſt piam venerationem in tacitâ ſubſiſtat admiratione. Alii itaque ſint oportet, qui in laudum* Tuarum *pelagus diffundi auſint. Me ſanè longè admodùm pollentiores, quoniam & audaciores; reprimit temeritatem tentantis nimiæ conſcientia imbecillitatis, & ſubterfugit hic calamus conatum etiam oratori exercitatiſſimo tremendum. Nempe Principum hic labor eſt, ſi non* Cæſa-

)()()( rum

Digitized by Google

rum *ipſorum*, Cæſarem *laudare, omnis elogii menſuram virtutum ſuarum gloriâ dudum ſupergreſſum. Unum tamen eſt*, CLEMENTISSIME DOMINE, *quod, ne planè intactum prætermittam, etiam verecundo mihi, timidoque, tum præſentis inſtituti ſcopus, tum & communis eruditorum quorumvis gloria extorquet. Inter Muſas ego literasque* IMPERATOR AUGUSTISSIME, *Wirceburgi verſor, animum ſcientiis artibusque, juvandæ, atque promovendæ Reipublicæ ſaluti olim proficuis, ritè imbuturus. Huc equidem, huc omnem jam nunc cogitationem, huc animi impetum, huc vires,*

*ner-*

Digitized by Google

nervosque, huc induſtriam meam confero, ac opellam omnem. Enim verò, id ipſum, quod conamini huic meo ſucceſſum, quod animo ſtimulum, quod opellæ fructum, quodque ſpei conceptæ ſuum aliquando promittit complementum, id Tua CÆSAR unicè virtus, idque Tuus præſertim in rem literariam amor, necnon divinus favor eſt, quo Numinis tutelaris inſtar artes ſcientiasque amplexaris omnes, earumque Cultores & Alumnos potentiſſimè non modò protegis, ſed & amas, foves, auges; ſicque omine non minùs, quàm nomine Cæſarem agis EX UTROQUE. Inde nimirum eſt, quod inter eminentiſſimos



Digitized by Google

*Heroicarum virtutum, factorumque titulos etiam* Herculis Muſagetæ *nomine compellari haud dedignaris; quodque gloriæ id ipſe* Tuæ *non minimum augmentum cenſes, quando ſupremus æquè ac communis omnium eruditorum* Pater, *potentiſſimus ſcientiarum nobiliſſimarum* Stator, *munificentiſſimusque bonarum artium* Fautor *audis* Altorque. *Facis in hoc* AUGUSTISSIME DOMINE, *quod* Te *delicias & miraculum ſæculi præſentis, quodque* Te *admirationem & exemplum futurorum ſeræ exhibet poſteritati. Sentit hæc gratiæ ac clementiæ* Tuæ *uberrima fluenta ingenti cum ſcientiarum omnium*

*deco-*

Digitized by Google

*decore ac incremento Europa omnis. Applaudit tanto* Mecœnati *Eous non minùs, quàm Arctous orbis,* Tibique *peregrinus pariter ac civis gloriam parat immortalem. Adde, quod amœniſſimos hinc largiſſimosque fructus in Aulis Curiisque, inque Regnis, Terrisque* Tuis *perſentiſcas ipſe. Neque enim ſic* Cæſarem *adire, atque ſervitia ſua* AUGUSTISSIMO CAROLO *dicare audent Viri ſcientiarum incudem, atque artium limam haud experti. Reformidant potiùs iſti homines* Sapientiſſimi Imperatoris *faciem ſubire, atque dignitates apud Eundem & munera ambire erubeſcunt, quosquos vel tempo-*

)()()( 3 ris

*ris malè collocati, vel & ingenii rudioris conſcientia vexat. Euge! ſeri id poſteri narrabunt, atque* Tibi CAROLE, *gratiſſimâ tot Heroicorum facinorum memoriâ, monumentum ponent, quovis ære, quovis & marmore perenniùs duraturum. Intelligent namque, ſiqui futuri ſunt, Nepotes, eam ſæculi noſtri fuiſſe felicitatem, in quâ cum Germano Italus, cumque Hungaro Bohemus certaverit oſculari Sceptrum* Cæſaris, *ſcientiarum æquè ac armorum gloriâ, nec virtutis minùs, quàm dignitatis amplitudine cluentis, florentis, potentis. Quod ipſum verò* INVICTISSIME MONARCHA, *dum inter communia*



Digitized by Google

*nia Gentis literariæ tripudia, & ego lætiſſimus perpendo, novus certè me ſpiritus inflammat, novusque invadit animus, has ipſas de Jure Gentium inſcriptas, levidenſes licet, atque tenues pagellas ante Imperiale Solium* Tuum *tanquam ad Apollinis aram intrepidè deponendi. Admitte modò* GLORIOSISSIME IMPERATOR, PATER PATRIÆ INDULGENTISSIME *hoc qualecunque induſtriæ juvenilis ſpecimen, idque, ſi non profectuum extantiorum, extantiſſimæ tamen pietatis atque ſubjectionis devotiſſimæ teſſeram quàm clementiſſimè accipe! Cæterùm cum difficile ſit* O CÆSAR! *quid* Tibi

*pro*

Digitized by Google

*pro tam inſigni gratiæ & indulgentiæ in me meosque derivatæ cumulo debeatur, animo ſentire: oratione autem ſi ſentiam, quæ par ſit affectui, explicare longè difficillimum; ad vota, ad ſuſpiria, precesque unicum reſtat perfugium, atque iis jam animum profundiſſimè devotum, gratum, ac demiſſum piè non minùs, quàm breviter involvo.*

DEUS, *qui Rex Regum, & Dominus Dominantium eſt,* Te AUGUSTISSIME CÆSAR, *in tot Gentium ac populorum ſanitem natum,* Te, *inquam, orbis præſidium, Germaniæ delicium, Auſtriæ ſolatium, Bohemorum refugium, Hungarorum fulcrum,*

reli-

Digitized by Google

*reliquorum denique, quibus imperas, omnium ſpem certam & aſylum ita ſoſpitet, fortunetque, ut & ſeri ſubjectarum* Tibi *Gentium nepotes in Majeſtatem* Tuam, *ſummæ felicitatis æquè ac virtutis ſpectaculum, oculos convertant nobiscum admirabundi. Adſit benigniſſimum Numen, atque omnibus conſiliis, cœptis, factisque* Tuis *clementiſſimè adſpiret,* Teque *inprimis in hac momentosâ, quam vivimus, Europæ criſi rebus noſtris indulgeat grandævum! Expandat Aquila cæleſtis ſuper* Te, *totamque* Domum Auguſtiſſimam *potentiſſimas clementiæ ſuæ alas, atque ut & Aquila Imperialis in* Te, Cæſare, Heroe

)()()()( for-

fortunato, ſemper Auguſto, Juſtitiæ Præſide, Libertatis Vindice, Religionis Aſſertore, Concordiæ Statore, oppreſſorum Defenſore, totius denique Orbis Chriſtiani Supremo Pacatore, *veterem illam hereditariam atque gentilitiam gloriam ſuam non conſervare modò ac tueri, ſed & juvare, augere, atque cumulare pergat, efficiat benignè! Gaudebimus ſic nos de* Imperatore *pio, felici, glorioſo; Gaudebimus de* Patre Patriæ *juſto, munifico, clemente; Gaudebimus denique de* Principe *inter ipſos etiam mortales immortalitate digno. Hanc à divinâ bonitate gratiam, hoc cœleſte donum ardentiſſimis mecum*

*pre-*

Digitized by Google

precibus à Deo Ter Optimo Maximo rogant, flagitantque, quotquot inter populos Europæos pacem, quotquot Imperii incolumitatem, quotquot religionis fideique integritatem, quotquot literas, paucis, quotquot CAROLUM amant Triumphantem, ovantem, pium, felicem, ſemper Auguſtum, ut ſcilicet Te, SAPIENTISSIME MONARCHA, omnium vota, ſpiritumque illum vitalem, quem hæc tot millia trahunt, ſuperſtitem ſoſpitemque, diu nonniſi vitâ & meritis plenum, annisque gravem, poſt plurium demum luſtrorum decurſum perennaturæ gloriæ palmâ donare, ac in cœleſtium He-

*rorum cœtum tranſcribere velit; In hæc vota, in hæc ſuſpiria, precesque poſt humillimam demiſſiſſimamque ſui commendationem venerabundus deſinit*

SACRÆ CÆSAREÆ
MAJESTATIS TUÆ

*Devotiſſimus Subjectiſſimusque*
S.R.I. COMES
CAROLUS de COLLOREDO

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

SAnctiſſimi illius juris, quo diverſi inter ſe populi, atque Reſpublicæ pacis non minùs, quàm belli tempore reguntur, cuique Summi Imperantes, Reges, Principes, Genteſque ad unum omnes, veluti Reginæ communi faſces, pronæ ſubmittunt, primas haſce dum tibi lineas offero, BENEVOLE LECTOR! cave ſis, elimata, exaſciataque ita ſingula hujus diſciplinæ Capita exiſtimes, ut viri emunctioris ſcientiæ, ſolidioriſque doctrinæ laude inluſtres reprehenſione, aut emendatione dignum necquidpiam in iiſdem ſint offenſuri. Ita magnificè ſanè de *Elementis* hiſce æſtivo ſole inter horas ſubſecivas enatis ipſe haud ſentio; præterquam enim, quod definitiones terminorum in Jure Gentium occurrentium ad artis ſemper regulas efformatas, notiſque ſuperfluis eliberatas ſiſtere, rei difficultas, & temporis ratio haud tulerit, in demonſtrandis ipſis propoſitionibus principia ſæpe, ceu certa & evidentia

tia præponenda, & per modum axiomatum, aut poſtulatorum admittenda fuêre, quæ ex Jure naturali, nec non ex Jure publico univerſali ritè demonſtrata, allegare oportuerat; in quo tamen, ſi quid peccatum, veniam facilè me impetraturum confido ab iis, qui Syſtemata harum diſciplinarum ſcientificâ methodo adornata in deſideratis hucuſque numerare orbem perſuaſi mecum ſunt, ſciuntque; Hunc adeo defectum tum demum ſupplere licebit, quando Juris naturalis Tomos poſteriores eâdem, quâ priores, methodo ſcientificâ adornatos orbi haud inviderit Philosophus, quem per excellentiam talem nominâſſe ſufficiat. Mixto interea ordine utendum eſſe duxi, dum in ſyſtematicam formam transfundere Librum, ſingulasque propoſitiones legales ritè determinatas, atque rigorosè demonſtratas exhibere datum fuerit. At erunt fortaſſe, qui vulgaribus adſueti compendiis, aut voluminoſis etiam Juris naturalis atque Gentium Tractatibus innutriti jura Rerumpublicarum inter ſe ſeparatim tradere, vel ideo ſuperfluum reputaturi ſint, quòd congruis ea locis in Jure naturali propriè ita dicto, aut etiam in Jure publico univerſali interſpergi, elucidarique valeant; Enimverò, qui ſic ſentiunt, næ illi aut methodi demonſtrativæ prorſus ignari, aut genuinâ Juris Gentium notione deſtituti mihi viden-

videntur! Officia profectò atque Jura Gentium tam humanitatis, & imperfecta, quàm perfecta dominiorum, pactorum, belli & pacis nonniſi præmiſſâ Juris publici univerſalis ſuis numeris abſolutâ ſcientiâ, neque hanc, citra præambulam Juris naturalis ſtrictè ita nuncupati doctrinam, plenè intelligi, demonſtrarique poſſe, veros rerum cognitores facilè mecum conſentientes habiturus ſum: ad hoſce fontes ubique recurrendum, ubi de elucidandis diverſorum populorum inter ſe juribus ſermo eſt; Eum itaque docendi ſcribendique ordinem dum inſuper hucuſque *habuêre* plerique, qui in hoc campo verſati ſunt; mirum videri haud debet, ſi tot hiulca, malèque cohærentia Juris naturalis & Gentium ſcripta erudito orbi hactenus obtruſa fuerint; à quo vitio ne ipſi quidem ſanctiſſimi hujus juris reſtauratores celebratiſſimi GROTIUS atque PUFFENDORFIUS omni ex parte *immunes* enuntiari queunt; licet cæteroquin promeritas iisdem, queis ex condigno ornantur, laudes haudquaquam invideamus. Erunt utique magna hæc orbis literarii lumina apud omnem poſteritatem in gratâ memoriâ, & vel ſummis ideo encomiis mactanda, quòd, haud calcatâ ante viâ, hominum atque integrarum etiam Gentium jura ex limpidis haurire fontibus primi docuerint; quorum inventis addere,

tradi-

Digitized by Google

traditaque in meliorem ordinem redigere, & ſi quæ fortè haud demonſtrata ſatis in ipſorum ſcriptis compareant, pleniùs elucidata ſiſtere, aut corrigere etiam, emendareque, inferiori ſemper palmâ dignum judicari debet. Unde aliquam ſaltem apud eos, queis cum Gentibus exteris negotia tractanda ex officio incumbunt, quibusque defæcatior in docendo methodus arridet, me iniiſſe gratiam confido; eamque vel ſolam ceu dulciſſimum laborum præmium exoſculor. Coeterùm in Libro VI. pacta, tractatus pacis, foedera, prætenſionesque illuſtres Gentium præcipuarum Europæ, ut & conſuetudines, uſus, & obſervantias inter populos uſitatas in excerpto ſiſtere, animo propoſitum fuerat; verùm moram non ferens Illuſtriſſimi Domini Defendentis diſceſſus vela contrahere juſſit, repandenda latiùs, ubi faventior nobis aura, otiumque faverit: quâ occaſione Scriptorum quoque, qui de ſingulis Juris Gentium materiis ſcripsêre, locis congruis inſerere nomina, totique operi politiorem limam admovere integrum erit; Quodſi meletemata mea non diſplicuiſſe tibi comperero, eâdem ratione Juris publici univerſalis doctrinam mox typis evulgandam ſcito. Vale interim, atque conatibus meis fave.

CON-

Digitized by Google

# CONSPECTUS ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER PRIMUS

SISTENS

## Præcognita Juris Gentium.

---

CAP. I. De fundamentis atque notione Juris Gentium.

II. De variis Juris Gentium diviſionibus & principiis ejusdem generalibus.

III. De applicatione atque ſcientia Juris Gentium.



Digitized by Google

# LIBER II.
## De Jure Gentium humano.

CAP. I. De Juribus ac officiis humanitatis Gentium in genere.

II. De obligatione Gentium mutua verum Numinis cultum conjunctis viribus promovendi.

III. De obligatione Gentium mutua ſcientias atque artes communi ſtudio perficiendi.

IV. De officiis Gentium humanitatis circa commercia, ſive mutuas rerum comutationes.

V. De officiis Gentium humanitatis circa jura ſummi Imperii, eorúmque effectus reciprocè agnoſcendos.

VI. De

Digitized by Google

VI. De officiis Gentium humanitatis circa ſigna externa amoris atque honoris mutuò ſibi exhibendis.

VII. De reliquis quibusdam officiis Gentium humanitatis, utilitatis præſertim innoxiæ.

VIII. De officiis Gentium humanitatis in officia neceſſitatis abeuntibus.

# LIBER III.

## De Jure perfecto circa dominia & pacta Gentium.

CAP. I. De Dominio Gentium proprio, ejusdémque indole, nec non acquirendi modis originariis.

)( 2 II. De

II. De Dominio Gentium communi, ſive vulgari, idemque acquirendi modis originariis.

III. De Juribus dominiorum, eadémque inter Gentes acquirendi, & transferendi modis derivativis.

IV. De pactorum, juríſque inter Gentes pactitii origine, neceſſitate, atque indole.

V. De Fide, atque ſanctitate pactorum inter Gentes.

VI. De firmandis, interpretandis, ſolvendíſque pactis Gentium.

LIBER

Digitized by Google

# LIBER IV.

## De Jure perfecto Gentium litigantium atque belligerantium.

CAP. I. De eo, quod circa læſiones & controverſias Gentium in genere juris eſt.

II. De Compoſitione controverſiarum inter Gentes amicabili, nec non repreſſaliarum Talionis & retorſionis juribus.

III. De Bello, ultimo læſionum avertendarum, ſarciendarum, ſecuritatíſque conſequendæ medio.

IV. De juſtis bella gerendi modis.



Digitized by Google

V. De Bello defenſivo.

VI. De Bello offenſivo, rerum, juriúmque perſecutorio.

VII. De Bello offenſivo aſſecuratorio atque punitivo.

VIII. De fœderibus belli causâ initis, & fœderatorum juribus.

IX. De populis neutris, eorundémque juribus.

X. De Jure victoriæ & occupationibus bellicis.

XI. De poſtliminio in bello.

XII. De pactis quibusdam medio bello initis.

LIBER

Digitized by Google

# LIBER V.

## De Pace, & Legatorum Juribus.

CAP. I. De Armiſtitiis.

II. De Tractatibus Pacis, eamque concludendi firmandique modis.

III. De effectibus pacis, & reſtitutionibus hinc inde faciendis.

IV. De Legatis, & vario eorundem ordine.

V. De ſanctitate, inviolabilitate, reliquiſque Legatorum juribus.

LIBER

Digitized by Google

# LIBER VI.

## De Jure Gentium Poſitivo.

CAP. I. De Jure Gentium poſitivo pactitio.

II. De Jure Gentium poſitivo conſuetudinario.

III. De Jure Gentium poſitivo ceremoniario.

ELE-

Digitized by Google

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM METHODO SCIENTIFICA ADORNATORUM

# LIBER I.

## SISTENS PRÆCOGNITA JURIS GENTIUM.

## CAPUT I.

### DE FUNDAMENTIS ATQUE NOTIONE JURIS GENTIUM.

§. I.

GENTIS nomine heic loci intelligimus multitudinem hominum certum aliquem terrarum tractum inhabitantium,& ſub ſummo imperio

civili ſalutis communis conjunctis viribus obtinendæ gratiâ conſociatorum.

SCHOLION I. Eâdem ferè ratione celeberrimus KRESSIUS (a) populum definit: quod ſit *cœtus, qui ſub propriâ regiminis formâ unitus eſt, & à nullo alio dependet.* Quâ cœterûm regiminis formâ Gens aliqua ſive populus regatur, nil intereſt.

SCHOLION II. Quoniam Status Imperii R. G. in multis negotiis, quæ aut inter ſe, aut cum gentibus exteris peragenda occurrunt, jure gentium utuntur, uti de Legatorum, fœderum, belli, pacisque Juribus expeditum eſt; à *gentium* notione prorſus excludendi haud erunt, utut, quam dedimus modò, definitio iisdem per omnia haud conveniat; habent ſcilicet Status Imperii, & territoriorum Schemata uti in aliis rebus, ita & hîc multa peculiaria, quorum rationes in hiſtoriâ, & jure publico J. R. G. reddimus.

§. 2.

*Juris* vocabulum in duplici præcipuè ſignificatu ſumitur; aut enim 1) facultatem moralem ſeu legitimam aliquid agendi, omittendive denotat: aut 2) complexum plurium legum circa idem aliquod objectum verſantium, & ad eandem diſciplinam pertinentium innuit.

SCHO-

(a) In Diſſert. *de decoro Gentium* Cap. I. §. 3.

SCHOLION. Poſteriori ſenſu cauſam ſeu fontem Juris, ipſam ſcilicet legem, priori effectum legis indigitat, quò & *obligationes* referendæ ſunt. Quum itaque in præſenti tractatu tam ipſæ leges, quàm earundem effectus, jura & obligationes in conſiderationem veniant, utrumque ſignificatum retinebimus, prout res atque materia tulerit.

§. 3.

Unde, quid *Juris Gentium* nomine intelligamus, haud obſcurè liquet; aut enim complexum idem dicimus legum, juxta quas gentes ſeu populi liberi actiones ſuas inſtituere obligantur; ſive jura atque obligationes innuimus, quæ gentibus tanquam legum effectus competunt, atque obſervandæ incumbunt.

SCHOLION. Alio ſenſu *Jus Gentium* pro Jure Civili aut conſuetudinibus multis gentibus communibus ſæpe accipitur (a); & in Jure Romano ipſum plerumque Jus Naturæ hoc nomine venit (b).

§. 4.

Omnis populus ſeu gens libera finem aliquem communem, ſalutem ſcilicet publi-

A 2 cam

(a) Vide §. 1. & 11. *Inſtit.* de R. D. Nævium *de Jure Gentium Juſtinianeo.*

(b) §. 1. Inſtit. de J. N. G. & C. adde Illuſtr. Wolfii *Horas ſubſecivas* Tom. I. Spec. 2. *de notione J. N. G. & C. juxta l. 1. §. 3. & l. 9. ff. de Juſtit. & jure.*

eam propoſitam habet (§. 1.); perſonas itaque ſeu membra ſingula populum conſtituentia omnia, diverſis licet actionibus, ad finem huncce aſſequendum coadunare vires, eademque ſibi in intellectu repræſentare, velle, ac probare media convenit; Unde, quod finem reipublicæ communem attinet, membrorum civitatis ſingulorum intellectus pro mente & intellectu uno, voluntates ſingulorum pro voluntate unâ rectè reputantur; Enimvero ubi intellectum & voluntatem unam concipimus, in notionem ſuppoſiti, ſeu perſonæ moralis unius ſponte velut incidimus; Quominus igitur gentem ſeu populum quemcunque ceu perſonam moralem unam intellectu præditam, & voluntate liberâ gaudentem conſideremus, nil obſtat.

SCHOLION. Pluribus hæc demonſtrat Philoſophus noſtri ævi Celebratiſſimus CHRISTIAN. WOLFIUS (a); Item KÜNHOLD. in diſſertatione *de ſtatu naturali rerumpublicarum*; quamlibet civitatem perſonæ moralis rationem habere recte ſtatuens.

§. 5.

(a) *Politic.* P. II. c. 1. §. 220. ſeqq.

Digitized by Google

§. 5.

Porro, quum populum intelligamus liberum, nullius alterius Imperio civili ſubjectum (§. 1.); gentes ſive populos perſonas morales in ſtatu naturali independentiæ viventes, nullumque ſupra ſe, præter Deum, Superiorem agnoſcentes repræſentare patescit.

§. 6.

In perſonâ morali qualicunque tres præcipuè reſpectus, ceu tot officiorum ac jurium fontes ſpectandi veniunt; vel enim conſideratur in relatione *ad Deum*; vel in relatione *ad ſe ipſam*, vel denique in relatione *ad perſonas alias* juxta ſe viventes; Eosdem igitur reſpectus, diverſaſque relationes in gentes quoque cadere, nemo dubitat (§. 4.); ita ut in ordine ad determinanda eatundem jura ac officia vel 1. ad *Deum*, vel 2. *ad ſe*, vel 3. *ad gentes, populosque alios* rectè referantur.

SCHOLION. Alios officiorum fontes, veluti erga animam, erga corpus, intuitu ſtatûs externi, erga intellectum, erga voluntatem, ratione bonorum

fortunæ, &c. de quibus in jure naturali agimus, hîc attingere ſtudio omittimus.

§. 7.

Sed nec Gentium conſideratio erga *Deum*, & erga ſe ipſas, niſi valdè indirectè, hujus loci eſt; quippe prior ad Religionis & ſacrorum jura pertinet, altera diſciplinæ Juris Publici univerſalis propria eſt, in quâ tum ſubditorum, tum ſummorum Imperantium jura & officia quoad ſtatum Reipublicæ internum enucleatiùs expenduntur; Sola itaque relatio, ſeu reſpectus Populorum diverſorum inter ſe locum hìc ſibi vendicat.

§. 8.

Quoniam Populi adinſtar perſonarum in Statu Naturali viventium conſiderandi veniunt (§. 5.), gentes ſeu Populos plures per modum perſonarum plurium in ſtatu naturali independentiæ extra cœtum civilem degentium ſe ſe habere, liquidò conſtat.

SCHOLION. In formis Rerumpublicarum monarchicis, quin & aliis, perſonæ moralis indoles, quam civitas habet (§. 4.) in Imperantibus, iisque, qui ſummæ poteſtatis jura exercent, maximè conſpicua eſt; unde

Digitized by Google

unde in actionibus, negotiisque inter gentes plures ſuſcipiendis, ſummorum Imperantium plerumque tantùm ratio habetur.

§. 9.

Conſequens eſt, ut, quidquid inter perſonas ſimplices juxta ſe invicem in ſtatu naturali viventes juris eſt, id omne quoque inter gentes populosque plures vicinos, ſalvis determinationibus propriis ac ſpecificis, (§. 12.), indeque fluentibus peculiaribus juribus, æquum juſtumque reputari debeat.

§. 10.

*Jus Naturæ*, quod in ſtatu naturali inter homines juxta ſe invicem viventes obtinet, *Jus Naturale Sociale* dicimus (a); *Jus* itaque *Gentium*, ſi regulas ejusdem generales, baſin, ac fundamentum ſpectes, nil aliud eſſe liquet, quàm Jus Naturale hominum in ſtatu naturali juxta ſe viventium ad gentes, populos, ſive respublicas integras applicatum.

SCHOLION. Propoſitionis hujus uſus ampliſſimus in ſequentibus, ubi ſpecialia gentium officia inveſtigabimus, manifeſtus evadet. Utimur nimirum

(a) Vid. *Meditat. meas præliminares de Studio Juris rectè inſtituendo Cap. II. §. 11.*

mirum reductione gentium ad ſtatum perſonarum ſimplicium, ceu medio inveniendi veritates fœcundiſſimo.

§. 11.

Gentes tamen ſive populi non ſunt perſonæ ſimplices, ſed compoſitæ (§. 4.), & quidem ſocietates civiles ex pluribus familiis aut ſocietatibus civilibus minoribus coadunatæ; (§. 1) in quibus tum membrorum reipublicæ indoles, tum nexus inter Imperantes & ſubditos, nec non cum vicinis gentibus pro diverſis regiminum formis varius deprehenditur; qui cum in determinatione jurium ac officiorum cujusvis populi inſuper haberi nequeat, patet in enucleandis Juribus Gentium peculiaria multa in cenſum venire, atque attendenda eſſe, quæ in jure naturali prorſus exulant.

§. 12.

Diverſæ illæ determinationes, quum tot diverſos gentium ſtatus producant, ex horum vero diverſitate officia quoque, ac jura diverſa profluant, facilè eſt ad colligendum, quod, ut ut regulæ juris naturæ generales ad

Digitized by Google

ad populos quoque & gentes pertineant (§. 9.), eædem tamen in ipsâ applicatione atque executione varias, ac diverſas modificationes patiantur, legum ac normarum peculiarium actionum inter gentes directricium feraces; quo ipſo diverſitas Juris Gentium à Jure Naturali obſcura ampliùs eſſe nequit.

§. 13.

Nec proin inutilis eorum opera reputanda eſt, *qui in* regulas atque leges, queis gentes inter ſe pacis bellique tempore vivant, curatiori ſtudio inquirunt.

§. 14.

Pari ratione, recto omnino tramite incedere pateſcit, qui Juris Gentium ſeu populorum inter ſe peculiarem diſciplinam conſtituunt, ſeparatimque Regnorum atque Rerumpublicarum Jura, ut & officia mutua pertractant.

§. 15.

Cujus ſtudii cultura ſeria, ſuisque abſoluta numeris eò commendanda magis, quod



Digitized by Google

non unius, aut paucorum, ſed tot millium inde ſalus atque conſervatio dependeat; quòque extantiora ſunt mala, quæ ex juris hujusce ſanctiſſimi neglectu prono velut alveo conſequuntur.

§. 16.

Perinde ſcilicet, uti in exactâ juris naturalis cuſtodiâ, & juſtitiæ æquâ adminiſtratione præcipuum felicitatis humanæ momentum ſitum eſt, ita in legum ſaluberrimarum, quas naturalis ratio inter populos conſtituit, pactorumque ac conventionum inter eosdem initarum intemeratâ obſervantiâ gentium ſalus, quies, atque felicitas mutua vel maximè vertitur; nec bella ampliùs, rapinæ & deprædationes veluti ſtatûs naturalis, conſequenter etiam ejus, in quo gentes degunt (§. 5.), ſequela reputabuntur (a); his non minùs, quàm perſonis ſimplicibus ad ſocialitatis regulas ſe ſe obſtrictas eſſe agnituris; Quapropter neceſſitatem hujusce ſtudii à nemine in dubium vocatum iri, perſuaſiſſimum habeo.

§. 17.

(a) Vid. Hobbes. *de Cive* c. 1. §. 2.

§. 17.

*Principia* diſciplinæ alicujus audiunt, ſcientiæ ac notitiæ præliminares, in quibus ratio continetur, cur, quæ in eâdem traduntur, intelligi rectè, demonſtrarique valeant (a); ad juris igitur gentium principia referendum erit: 1.) Jus naturale, potiſſimum ſociale hominum in ſtatu naturali viventium (§.10.): 2.) Jus Publicum univerſale: 3.) Hiſtoria populorum ac gentium: 4.) Notitiæ rerumpublicarum, potiſſimùm formarum regiminis, queis quælibet regitur: 5.) Pactionum, fœderum, ſanctionum pacis, ceremoniarum atque obſervantiarum inter gentes receptarum haud proletaria cognitio. His etenim doctrinis ſcientiisque imbutus, qui ad Juris Gentium ſtudium animum appulerit, certos ſibi navatæ operæ fructus polliceri poterit.

SCHOLION. Recenſuimus *principia proxima*, quæ immediatè in ſcientiam Juris Gentium influunt, eidemque demonſtrandi rationes ſuppeditant; dantur præter hæc *principia* alia *remota*, quæ & *adminiculantia* dicunt, veluti Studium *Geographicum*, *Genea-*



(a) *Meditat. Prælimin. de Studio Juris* C. 3. §. 1. ſeq.

*Genealogicum, Heraldicum &c.* ex quibus diſciplinæ huic curatiùs tractandæ haud levia ſubſidia accedunt.

§. 18.

In formam artis, & diſciplinæ peculiaris Jus Gentium, quantùm ſcio, hactenus redegit nemo: & qui jura belli pacisque excuſſerunt, vel partem ſolùm pulcherrimæ hujus ſcientiæ delibârunt, aut cum jure naturali jura populorum confuderunt; id quod tum ipſi HUGONI GROTIO, tum PUFFENDORFIO, aliisque accidit. Singularia tamen Juris Gentium Capita pertractârunt quamplurimi, quos inter COCCEJUM, WICQUEFORTIUM, THOMASIUM atque KOEHLERUM nominâſſe ſufficiat; inter omnes verò facem prætulit, Vir, dum viveret, doctrinæ ſolidiſſimæ GRIBNERUS, qui in *Principiis Jurisprudentiæ naturalis* Juri Gentium integrum Librum III. conſecravit (a).

CA-

(a) De Scriptoribus Jur. Gent. vid. Viri Celeber. GLAFEII Geſchichte des Rechts der Vernunft.

# CAPUT II.

## DE VARIIS JURIS GENTIUM DIVISIONIBUS ET PRINCIPIIS EJUSDEM GENERALIBUS.

§. 1.

JUs in genere aliud eſt *naturale*, quod per ipſam naturam, hujusque auctorem Deum: aliud *poſitivum*, quod ab ente aliquo rationali habente poteſtatem obligandi, facto aliquo poſitivo conſtituitur; quam diviſionem ad jus quoque gentium transferre licebit, ut Jus Gentium aliud *naturale*, aliud *poſitivum* eſſe dicamus.

§. 2.

*Jus Gentium naturale* definimus, quod ſit complexus legum juxta quas ipſa ſana ratio, gentiumque natura (Cap. I. §. 11.) populos actiones ſuas inter ſe inſtituere obligat.

SCHOLION. Hocque vel *univerſale* eſt, omnibus populis commune, regulasque juris naturalis ad gentes applicati univerſaliſſimas complectens, vel *particulare*, ex ſtatu cujusvis populi peculiari definiendum.

§. 3.

*Jus Gentium poſitivum* nobis eſt complexus legum, juxta quas gentes ex conventionibus mutuò initis, aut vigore obſervantiarum ac conſuetudinum legitimè ſtabilitarum actiones ſuas inſtituere obligantur.

§. 4.

Jus Gentium poſitivum rurſus duplicis eſt generis, ſcilicet *pactitium*, quod conventionibus, pactis atque tractatibus inter populos initis ſuperſtruitur; & *conſuetudinarium*, quod longis uſibus, atque obſervantiis inter gentes receptis originem debet.

SCHOLION. Agnoſcit hanc partitionem Celeberr. ROUSSET. in tractatu: *des interets des Princes*, & *des pretenſions des puiſſances de l'Europe* (a), ubi ita infit: „ces loix, que les Princes ont entre eux ſont „de deux ſortes; les unes ſont eternelles; ce ſont „les loix de l'Equité, de la raiſon, de la conſcien-„ce - - - ; les autres ſont volontaires, poſitives „& dreſſeés d'un commun conſentement; celles-ci „ſont renfermées dans les traités, accords, conven-„tions, alliances concluës entre les ſouverains pour „regler leurs droits preſens & terminer leurs que-„relles, & leurs diſputes. Juris hujus gentium poſitivi, tam pactitii, quàm conſuetudinarii fontes alio loco indicabimus.

§. 5.

§. 5.

Quum legem abſque ſuperiori ſeu legiſlatore poſitivo concipi haud poſſe, vulgò perſuaſum habeant, dubia fortè, minusque curata nonnullis diviſio Juris Gentium in naturale, & poſitivum videri poterat; neque enim inter gentes populosque eſſe, qui leges ferendi poteſtatem in reliquos ſibi aſſerere audeat. At verò, uti poſteriùs omnino largimur, ita erroneum eſt, quod ſibi adverſarii ſumunt, principium; ceu alio loco in *elementis* nimirum Juris naturalis luculenter oſtenſuri ſumus (a); ubicunque obligatio occurrit, quæ neceſſitatem moralem imponit aliquid agendi omittendive, ibi enti quoque rationali legem poni, atque actionum moralium normam conſtitui, certum eſt.

*SCHOLION. Unde autem obligatio iſta procedat, nil refert; modò juſta ſit; nec ad malum aliquod perpetrandum, aut bonum omittendum inducat. Pacta ſanè atque conventiones inter populos legitimè initas, pro veris gentium legibus, actionumque earundem normis directricibus habendas eſſe, quis abnuat?*

§. 6.

(a) Vid. omnino Illuſtr. WOLFII *Philoſoph. Pract. univerſ.* P. I. C. 2.

§. 6.

Jus gentium naturale *æternum*, atque *immutabile* eſſe; item, aliud *abſolutum*, aliud *hypotheticum* dici, non eſt, quod prolixè oſtendamus; utpote quæ demonſtratâ ſimilitudine gentium, cum perſonis moralibus ſimplicibus extra cœtum civilem viventibus (C. I. §. 4.), omnia plana ſunt, atque dilucida.

§. 7.

Proin, cum actionum moralium leges fundamentales atque generaliſſimæ his propoſitionibus abſolvantur (a):

**Fac ea, quæ ſtatum tuum, atque aliorum perficiunt.**

**Omitte ea, quæ ſtatum tuum, atque aliorum imperfectum reddunt.**

Easdem quoque Juris Gentium ſeu populorum leges fundamentales primas, atque directrices conſtituere, nulli hæſitamus.

SCHO-

(a) WOLFII *Moral.* Cap. I. §. 12. Item *Philoſoph. pract. univerſ.* P. I. Cap. II. §. 152. & 223.

SCHOLION. In quo gentium ſeu populorum perfectiones conſiſtant, tum ex Jure Naturali, & Jure Publico univerſali repetendum, tum ex infra dicendis eluceſcet.

§. 8.

Ex hoc principio ceu fonte ac ſcaturigine uberrimâ omnia populorum jura atque officia pronè deducuntur, ut præterea generaliori aliquâ regulâ aut principio opus haud ſit.

§. 9.

Quod ſi expendamus, quantus rerum, viriumque apparatus requiratur, ut gentes atque populi ſuis ad amuſſim officiis ſatisfaciant, cunctaque, quæ ad vitæ neceſſitates, commoditates, atque jucunditates contribuunt, ſibi comparent: tum verò maximè, ut vim hoſtilem, atque invaſiones aliorum propulſent, ſecuritatemque ſibi procurent; haud difficulter intelligemus, nullum tam vaſtum, aut numeroſum eſſe populum, qui non in uno alterove populi alterius ſublevamine, auxilio, atque ope indigeat.



Digitized by Google

§. 10.

Quapropter, cum obligatio ad ſatisfaciendum officiis ſuis haud ceſſet, quousque ad eadem explenda vires ac media ſuppetunt, quod populo ſeu genti uni deeſt, id â populo alio exquirendum erit. Medium id conſequendi efficaciſſimum eſt, ut gentes viciſſim virium, rerumque gentium aliarum defectus ſuppleant; Gentes igitur ad mutua ſibi præſtanda auxilia, ſublevandasque reciprocè neceſſitates ſuas obſtrictas eſſe liquet.

SCHOLION. En fontem officiorum Gentium erga ſe invicem, quæ diſciplinæ hujus præcipuum objectum conſtituere, jam Capite primo (§. 7.) monuimus. Eadem tamen non minùs ex obligatione generis humani univerſali manifeſtandi gloriam Dei, conſequenter ad perfectionem aliorum pro virili concurrendi, demonſtrari poterunt.

§. 11.

Ex poſteriori hocce (§. præced. Schol.) officia gentium mutua demonſtrandi principio gentes ad unum omnes coadunatis viribus ad perfectionem hujus univerſi, præcipuè verò generis humani, procurandam, ac promovendam concurrere debere pateſcit; populi igitur omnes finem aliquem communem

nem præfixum habent, ad quem conjunctis mutuò viribus contendant.

§. 12.

Quando plures ad fines ſibi præſtitutos aſſequendos virium, queis laborant, in ſufficientiam mutuâ ope ſupplent, *eosdem ſocialiter juxta ſe invicem vivere* dicimus; quare, cum gentes id præſtare mutuò oporteat (§.10. & 11.), gentibus atque populis juxta ſe invicem ſocialiter vivendum eſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Populi illi diverſi ſocii propriè (niſi in eo, quo §. 11. diximus, ſenſu) non ſunt, quoad mutuum tamen quod ſibi præſtant adjutorium per modum ſociorum habendi.

§. 13.

Promptitudo animi in hominibus juxta ſe invicem viventibus conſpicua, quâ unus alterius inſufficientiam pro viribus ſublevare contendit, *ſocialitas* audit.

SCHOLION. Poſſes etiam per ſocialitatem ſtatum intelligere, quo homines juxta ſe invicem ceu ſocii in ſocietate vivere ponuntur; verùm prior illa, ſocialitatis notio in demonſtrandis gentium officiis longè fœcundior, indeque huic meritò præferenda eſt.



Digitized by Google

§. 14.

Gentes ſocialiter vivere obſtrictæ ſunt (§. 12); Enimvero qui ſocialiter vivit, ad felicitatem ac perfectiones alterius pro virili concurrit (§. 13.); ex ſocialitate itaque intelligimus, cur populi officiis erga gentes alias promptè ſatisfaciant; Proin ſocialitatem pro Juris Gentium principio fundamentali habendam eſſe conſtat.

SCHOLION. Non adæquato, & univerſaliſſimo (§. 7.), ſed ſpeciali, & remoto, Juri Gentium tamen proprio, & eſſentiali (§. 2. ſequ.)

§. 15.

Unde conſit, quod gentes in omnibus ſuis actionibus eò reſpicere, ac convertere mentis aciem debeant, ne quid, quod ſocialitatem lædat, adversùs gentem aliam admittant; atque adeò ſocialitatis Principium in omnes gentium actiones influit, novamque iisdem obligandi vim ſupperaddit.

SCHOLION. Sic e.g. Gens aut populus, qui pingues, fertilesque agros poſſidet, ad eosdem diligenter colendos, non propriæ ſolùm utilitatis, ſed ex ſocialitatis quoque lege, ut de fructibus ſuperfluis vicinis gentibus, eorundem forte penuriâ preſſis, aliquid elargiri poſſit, obſtringitur.

§. 16.

Digitized by Google

§. 16.

Ex conformitate aut difformitate actionum cum legibus varias eædem inter gentes peræquè, ac in ſtatu naturali hominum denominationes indipiſcuntur; ſic,quæ cum legibus atque juribus inter gentes ſtabilitis conſentiunt, *bonas*, quæ ab iisdem diſſentiunt, *malas*, dicimus.

§. 17.

Nec minus diverſæ inde qualitates in ipſos populos derivantur; unde *nationum virtuoſarum* nomen alios, alios *vitioſarum* turpem notam contrahere videris. Habitum genti proprium actiones ſuas legibus conformandi *virtutem*, iisdem deformes inſtituendi *vitium gentis*, ſive populi nuncupamus.

*SCHOLION.* Dari virtutes, atque vitia gentibus quibusdam familiaria, tum experientia, tum hiſtoriarum fides comprobat. Sunt populi, qui humanitatis, atque hoſpitalitatis laude celebrantur; alios illibata datæ fidei cuſtodia, alios probitas, pietasque laudibus extollunt; uti ex adverſo integræ non raro nationes fœdâ barbariei, inhumanitatis, crudelitatisque maculâ contaminatæ, aut ebrietatis, libidinis, ſubleſtæ fidei, ſimilibusque conſpurcatæ

vitiis apud bonos omnes exoſæ habentur,& ab omni ferè commercio humano exules eſſe jubentur.

§. 18.

Qui officiis ſuís, quantùm in ipſis eſt, ſatisfaciunt populi, vitiaque pro virili declinant, *Morati* audiunt; *Barbarorum* è contra nomine inſignimus, qui rectæ rationis dictamina, pactorumque fidem ſusque deque habentes, in ſcelera atque vitia proni ruunt.

SCHOLION. De barbarie gentium, ejusdemque fœditate pluribus libro ſequenti acturi ſumus.

§. 19.

*Juſtitiam* gentes colunt, quando officiis erga gentes populosque alios actiones ſuas conformes inſtituunt, h. e. quando cuilibet Gentium, quod ipſi aut de jure naturali, aut vigore pactorum, atque conventionum debetur, promptæ, paratæque præſtant.

SCHOLION. Generalis itaque *juſtitiæ* notio, quod ſit habitus ſuum cuique tribuendi, in gentes quoque cadit; ut ſe nobis minimè probet, quin ſanæ potiùs rationi manifeſtò repugnet, quod Cæſari familiare fuiſſe dictum ferunt.

*Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratiâ*
*Violandum eſt; aliis rebus pietatem colas.* (a)

§. 20.

(a) Vid. ROUSSET. *Des interets & des pretenſions des Princes.* Tom. I. præf. p. V.

Digitized by Google

§. 20.

Quid ſit *injuſtitia gentium*, tum quæ gentes *juſtæ*, quæ *injuſtæ*, facilè inde colligimus; ut notionibus hiſce uberiùs enucleandis immorari haud opus ſit.

§. 21.

Gentes injuſtæ (§. 16. & 20.) officia erga alios, conſequenter ipſas quoque ſocialitatis (§. 12. & 13.) regulas inſuper habent; quare, qui juſtitiam haud colunt populi, in prima Juris Gentium principia (§. 14.) impingere, clarè eluceſcit.

# CAPUT III.
## DE APPLICATIONE, ATQUE SCIENTIA JURIS GENTIUM.

§. 1.

LEges *applicare* dicimur, quando ex lege ſive regulâ, tanquam propoſitione majori, & facto, ceu propoſitione minori, quâ ratione aut actio futura inſtituenda, aut quid de præteritæ præſentisve bonitate ac malitiâ, merito, ſive demerito ſtatuendum ſit, inferimus.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Omnis igitur legis applicatio fit mediante ratiocinio, cujus propoſitio major eſt lex, minor factum, concluſionem verò ipſum de facto legi conſentaneum judicium abſolvit.

§. 2.

Quapropter *applicationem legis* rectè definimus, quod ſit judicium ex lege & facto elicitum, indicans quid in ſubſtrato caſu agendum, qùæve actionis bonitas aut malitia, merita ſive demerita ſint.

§. 3.

Priori caſu applicatio eſt *norma* ſeu *lex individualis*, actionis in caſu dato directrix; poſteriori eſt ipſa *imputatio actionis moralis*, de quâ in jure naturali ex inſtituto agimus.

§. 4.

Quid igitur *applicare Jus Gentium*; quid *applicatio Juris Gentium*, ex dictis (§. 2.) obſcurum eſſe nequit.

SCHOLION. Imputationi quoque, quum inter populos diverſos locus ſit (§. 3.); ejusdem quoque notio, atque principia ex J. N. huc trahenda erunt.

§. 5.

Applicans legem ad facta inter gentes populosque obvia, quid in caſu ſubſtrato agendum, cuique, & quo effectu actio aliqua imputan-

putanda ſit, Judicat (§. 1. & 2.); præter curatam itaque facti notitiam, legis quoque ſcientiam teneat neceſſe eſt.

SCHOLION. Facti notitiam ſuis abſolutam numeris ſibi comparaturus ad omnes ejusdem circumſtantias determinationesque tam in-, quàm extrinſecus in actionis moralitatem influentes mentis aciem convertere debet; ſepoſitis iis, quæ in applicatione præſenti nullum momentum habere dignoſcuntur.

§. 6.

Habitum mentis leges atque jura Gentium ex principiis certis, atque rationibus immotis demonſtrandi, *Juris Gentium ſcientiam* compellamus.

§. 7.

Ab hac differt *Juris Gentium prudentia*, quam dicimus habitum, leges atque jura gentium, ad facta inter diverſos populos obvia dextrè applicandi.

SCHOLION. I. Dextrè quando fiat applicatio, ex dictis facilè colligitur (§. 5. Schol); quando nimirum lex probè cognita non niſi facto cum omnibus ſuis circumſtantiis in caſu ſubſtrato momentum aliquod trahentibus curatè determinato applicatur; quæ dexteritas vix ſine praxi & aſſiduo exercitio acquiritur.

SCHOLION. II. Ad dextram quoque applicationem pertinent illationes, atque cauſarum deciſiones,



Digitized by Google

quæ fiunt argumento legis ex rationum idendita-te aut ſimilitudine; quam ſine abſolutiſſimâ legis ſcientiâ fieri haud poſſe, ex iis patet, quæ in Jure Naturali de rectæ interpretationis regulis tradimus.

§. 8.

Scientia legum, ex earundem rationibus haurienda (§. 6.); quæ quum ſive *morales* ſint, ſive *hiſtoricæ*, ſive *politicæ*, in indagandis, demonſtrandisque Juribus Gentium rationes quoque tam morales, quàm hiſtoricas atque politicas attendendas eſſe liquet.

SCHOLION. Rationum legalium mentionem nullam fecimus, utpote quarum in eruendis ac demonſtrandis Juribus Gentium rarior uſus eſt. Pacta quidem gentium antecedanea in ſubſequentia ſæpe influunt, ſed quas inde petimus rationes, ad hiſtoricas commodè referimus.

§. 9.

Cæterùm rationes Juris Gentium *morales* ex Jure naturali, *Politicas*, ex Jure Publico univerſali, *Hiſtoricas* ex geſtis, factisque populorum, nec non actis pacificationum, & conventionum publicis repetendas venire, res ipſa loquitur.

SCHOLION. Patet inde uſus hiſtoriæ univerſalis, actorum publicorum, commentariorum pacis ac fœderum inter diverſos populos ſanctorum uberrimus.

§. 10.

Digitized by Google

§. 10.

*Promulgatio legis* eſt actus, quo legislator efficit, ut lex, ejusdemque obligandi vis in obligandorum notitiam perveniat; leges naturales ſolo rationis uſu innoteſcunt (a); Jus igitur Gentium naturale promulgatione haud indiget, ſed ejusdem ſolo rationis uſu tum ſcientia, tum notitia hauritur.

§. 11.

Et quoniam Jus Gentium poſitivum (Cap. II. §. 3.) â legislatore propriè & ſtrictè tali, ceu ſuperiori haud profluit; ſed propriâ gentium voluntate mediantibus pactis, receptisque uſibus conſtituitur; nec hujus propriè ita dicta promulgatio, ſed *publicatio* potius erit.

SCHOLION. Promulgatione vel ideo opus haud eſt, quoniam pacta & conventiones inter volentes conſentientesque eriguntur, adeoque jam ante promulgationem, aut publicationem, ad quid quilibet populus ſe adſtrictum agnoſcat, in aprico conſtitutum eſt; ut publicatio ad ſolennitates potiùs & cerimonias referenda ſit.



(a) Illuſtr. WOLFII *Philoſoph. Pract. Univerſ.* P. I. C. II. §. 137. & 257.

§. 12.

Determinationes atque circumſtantias ſtatûs publici populi aut gentis alicujus, quæ in actiones ejusdem committendas, omittendasve influunt, *rationes ſtatûs* appellamus.

COROLLARIUM: In ratione igitur ſtatûs cauſam offendimus, cur hoc illudve à gente aliquâ, ſive populo commiſſum, omiſſumve fuerit.

§. 13.

Determinationes illæ, ſive circumſtantiæ, vel *generales* ſunt & *communes*, vel *ſpeciales*, & *propriæ*; *illas* dicimus, quæ omni ſocietati civili, aut ſaltem determinatæ regiminis formæ eſſentiales, atque naturales ſunt; *Poſteriores* è contra in determinationibus accidentalibus & peculiaribus prorſus ſtatûs publici circumſtantiis conſiſtunt. Unde, quid *rationis ſtatûs generalis*, quid *ſpecialis* nomine intelligamus, pateſcit (a).

SCHOLION. Qui publica rerumpubl. negotia moderantur tractantque politici, rationum ſtatûs nomine *ſpeciales* plerumque intelligunt. Gallico idiomate *raiſons d'Etat*, *Interêts des Princes*, & *des Etâts*

(a) *De Rationibus ſtatûs* vide CONRINGIUM. Operum Tom. IV. p. 552. §. 10. ſeq.

*Etâts* vocibus easdem efferunt. Rationes verò ſtatûs generales ad diſciplinam magis Juris Publici univerſalis pertinent.

§. 14.

Porro rationes ſtatûs in ſpecie & propriè ita dictæ (§. præced. Schol) vel in aprico jacent, & vulgò innoteſcunt; vel in latenti habentur, non niſi Summis, & ſecretioribus ſtatûs Adminiſtris perviæ; illas *rationes ſtatûs publicas* ſive *manifeſtas*, has *arcanas* appellare lubet.

SCHOLION. Utrasque vel *juſtas*, vel *injuſtas* eſſe poſſe, non eſt, quod moneam; potiſſimùm verò *arcana* dominandi, ditionesque augendi cupidinem non rarò pro fonte agnoſcunt, à gentibus moratioribus (Cap. II. §. 18.) meritò aſpernandæ.

§. 15.

Ex eo itaque, quod ex rationibus ſtatûs leges, jura, atque actiones populorum ac gentium determinandæ veniant (§. 12. ſequ.), ac proin in acquirendâ ſolidâ Juris Gentium ſcientiâ omne ferè eædem punctum ferant (§. 6. ſequ.), ſummos rerumpublicarum moderatores, & ſtatûs publici Adminiſtros limatiſſimâ rationum ſtatus notitiâ carere haud poſſe, pronè colligimus.



Digitized by Google

SCHOLION I. Iisdem penitiùs hauriendis apprimè inſerviunt notitiæ rerumpublicarum ſpeciales à Viris pragmaticâ juris publici univerſalis ſcientiâ imbutis conſignatæ, atque præſenti potiſſimùm gentium ac populorum Europæorum ſyſtemati adaptatæ.

SCHOLION II. Huc inter alias referenda eſt JCti celeberrimi EVERARDI OTTONIS *Notitia præcipuarum Europæ rerumpublicarum*. GUNDLINGII *Notitia Statuum Europæ*, cum grano tamen ſalis pervolvendæ; Queis jungi meretur perilluſtris L. B. à ZECH. *Fecialis Europæus* (a); CONRINGII *Respublica* (b); Nec non ſcriptores tot alii, qui ſub titulis variis diverſarum nationum atque rerumpublicarum rationes & axiomata ſtatûs in publicam lucem protulerunt.

§. 16.

Rationes præſertim ſtatûs arcanæ, quum in latenti habeantur (§. 14.), vix perquiri ab aliis, indeque actionum inter gentes rationes reddi, earundemque jura ac officia determinari, ac demonſtrari (§. 6.) valent, quàm quibus ad intimiora regnorum atque rerumpublicarum negotia, potiſſimùm cum exteris tractanda, aditus patet.

SCHOLION. Effectus nihilominus cauſam ſœpe prodit ſuam; adeo, ut perſpicacioris ingenii politici, ad ea, quæ geruntur, animum advertentes rationes etiam ſtatûs arcanas conjectando non rarò aſſequantur,

(a) Europäiſcher Herold ſub ficto FRANCKENBERGII nomine in lucem editus.

(b) Operum. Tomo IV.

rur, atque ad hæc ſcientiæ Juris Gentium principia (§. 8.) aditum ſibi ac viam ſternant.

§. 17.

Leges naturales qualeſcunque ex rationibus intrinſecis demonſtrantur cuivis actioni ſive communibus, ſive propriis, nec interpretationem aliam admittunt, quàm quæ in diſtinctâ earundem evolutione conſiſtit, veluti in jure naturali liquidò demonſtramus; quapropter nec *Juris Gentium naturalis* alia interpretatio concipietur, & quæ vulgò de reſtringendis, extendendisve legibus regulæ traduntur, eas impræſenti meritò inſuper habemus.

SCHOLION. Quod ſi etiam in *Jure Gentium poſitivo* nonnullus omnino earundem uſus ſit; is omnis in rectè interpretandis conventionibus ac pactis ſe ſe exerit, ex Jure naturali, ſicubi opus eſt, arceſſendus.

§. 18.

Quosnam cœteroquin nobiliſſimi hujusce juris ſcientia ante alios ornet; quibus ejusdem cultura ſeria mediis promoveatur; ac præcepta ejusdem ſaluberrima in praxin redigantur, tum ex ipſo diſciplinæ hujus objecto affatim diſcernitur, tum ex dicendis infra luculentiùs propaleſcet.

ELE-

Digitized by Google

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER II. DE JURE GENTIUM HUMANO.

## CAPUT I. DE JURIBUS ATQUE OFFICIIS HUMANITATIS GENTIUM IN GENERE.

§. 1.

LEges *perfectè obligant*, quando, quod agendum, omittendumve præcipiunt, mediis coactivis ad effectum deducendi, impediendive facultatem inſimul tribuunt. *Imperfecta* ex adverſo iisdem *obligandi vis* ineſt, quando, quæ agenda injungunt, aut prohibent, vi adhibitâ exequi, atque ad effectum deducere integrum haud eſt.

SCHOLION. Per *media coactiva* intelligimus omnia ea, in quibus ratio continetur, cur renuentes, nolentesque officiis ſuis ſatisfaciant; veluti ſunt armorum vis, incarceratio, violentæ rerum, quæ debentur ablationes & ſimilia.

§. 2

§. 2.

Quoniam jura ſunt effectus legum (Lib. I. Cap. I. §. 2.), *Jura Gentium perfecta* eſſe patet, ad quæ conſequenda media coactiva (§ præced. Schol.) adhibere fas eſt. *Imperfecta*, quæ media coactiva reſpuunt.

SCHOLION. Jura imperfecta *aptitudinum* ſolùm nomine dignatur GROTIUS (a); quod eadem remotè ſolùm, non verò proximè, & in actu ſecundo facultatem tribuere videantur. Enimverò, quum leges imperfectè obligantes, indeque fluentia jura imperfecta in ſe, & abſtrahendo ab exequendi facultate, leges & jura perfecta, h. e, omnibus legum ac jurium requiſitis eſſentialibus inſtructa eſſe dignoſcantur; atque generalis juris definitio (Lib. I. Cap. I. §. 2.): quod ſit facultas moralis aliquid agendi, omittendi aut petendi, in jura etiam imperfecta cadat, aptiùs, rectiúsque Juris vocabulo, etiam tunc, quando de Juribus imperfectis loquimur, utendum ducimus (b).

§. 3.

Obligationes atque officia non minùs, quàm jura, legum effectus ſunt (Lib. I. C. I. §. 2.); quapropter horum quoque alia *perfecta*, alia *imperfecta* (§. 1.) eſſe liquet.

E SCHO-

(a) J. B. & P. Lib. I. Cap. I. §. 7.
(b) Vid. Illuſtr. WOLF. *Philoſ. Pract. Univerſ.* P. I. Cap. II. §. 237.

Digitized by Google

SCHOLION. Pacta ſive expreſſa, ſive tacita in ſtatu naturali perfectâ obligandi vi pollent, uti ex generali pactorum doctrinâ in J. N. traditâ propaleſcit; Hanc igitur Juris & obligationum in perfectas & imperfectas partitionem ad Jus Gentium pactitium haud pertinere, evidens eſt.

§. 4.

Notio Juris Gentium univerſaliſſima (Lib. I. C. 1. §. 3) qualiacunque gentium jura, atque officia complectitur; utraque igitur, tam jura ſcilicet & obligationes perfectæ, quàm imperfectæ, hujus diſciplinæ objectum conſtituunt.

SCHOLION. Præſenti tamen Libro II. de Juribus Gentium imperfectis tantummodò acturi ſumus; jurium perfectorum, ſicubi res poſtulaverit, mentionem quoque injecturi.

§. 5.

Jura atque officia Gentium imperfecta aut, quòd naturam humanam præcipuè pro fonte agnoſcant, aut, quòd eorundem cuſtodia inſigne præ aliis homini ornamentum addant, decusque concilient, *jura* quoque, & *officia humanitatis* audiunt; Ac proin, quid *Juris Gentium humani* nomine intelligamus, idem.

Digitized by Google

idemque cum Jure Gentium imperfecto (§. 2. ſeq.) prorſus coincidere, extra controverſiam eſt.

SCHOLION. Ad Jus Gentium Humanum, ſive officia humanitatis Populi ſæpe provocant, quando, quæ Jure imperfecto debentur, præſtari ſibi poſtulant. Leibnizius ſuperiorem gradum æquitatis, & charitatem nuncupat (a).

§. 6.

Reſpublicæ ſive populi Gentium aliarum perinde ac propriam perfectionem pro virili procurare (Lib. I. Cap. II. §. 7.), ſocialitatisque regulas ſanctè cuſtodire obſtrictæ ſunt (Ibid. §. 12.); Enimverò, qui ad aliorum perfectiones promovendas pro viribus concurrit, atque ſocialiter vivit, qualiacunque, conſequenter humanitatis quoque officia aliis promptè exhibet (Ibid. §. 13.); populos itaque atque Gentes ad officia humanitatis vicinis Gentibus promptè præſtanda teneri, in comperto eſt.

COROLLARIUM I. Quoniam ſuam aliorumque perfectionem pro viribus promovendi, nec non ſocialiter juxta alios vivendi obligationes prima



(a) Cod. Jur. Gent. Diplom. Tom. I. Præfat. pag. 8.

Digitized by Google

Juris Gentium principia abſolvunt (Lib. I. Cap. II. §. 7. & 14.); patet, quod, quæ humanitatis officia negligunt Gentes, in prima juris inter diverſos populos æternâ lege ſanciri principia peccent.

COROLLARIUM II. Obligatio ad agendum aut præſtandum aliquid, penes alterum cui præſtari id debet, jus infert; Gentibus itaque, uti humanitatis officia ſibi mutuò præſtandi obligatio incumbit, ita viciſſim ad eadem reciprocè petenda jus competere conſtat.

SCHOLION. Imperfectum ſcilicet, vim atque media coactiva reſpuens; cœteroquin non minus juris nomine dignum (§. 2. Schol.).

## §. 7.

Hoc ipſo verò, quod jura hæcce humana violentam extorſionem haud ferant, actualem eorundem præſtationem libero populorum arbitrio atque voluntati relinquendam eſſe patet; Quapropter, cum voluntas libera absque motivo haud agat, dum Gentes, atque populi humanitatis officia actu præſtant, motivo aliquo ad id impellantur neceſſe eſt; id quod aliud eſſe nequit, quàm voluptas ex alterius Gentis perfectione haurienda, aut propria ex mutuâ virium communicatione jurisque humani

præſta-

Digitized by Google

præſtatione redundans utilitas, h. e., Socialitas (Lib. I. Cap. II. §. 13.), ſive cum amore proximi propriam quoque felicitatem promovendi ſtudium; Socialitas igitur efficaciſſimum, quo Gentes ad præſtanda ſibi mutuò humanitatis officia commoveantur, medium habenda eſt.

COROLLARIUM. Unde ſocialitatem populis atque Gentibus enixiſſimo ſtudio colendam eſſe, novâ ratione eliqueſcit (c. I. §. 12.);

SCHOLION. Eò magis, quod amoris ſocialis neglectus graviſſimas Gentibus moleſtias pariat, felicitatique ipſarum impedimenta objiciat, longè, quàm pœnæ acerrimæ, intolerabiliora; veluti, quòd ex connato quodam Gentium ſenſu Socialitatis contemptores pro oſoribus, atque hoſtibus generis humani habeantur; quod mutua, quæ ab aliis expectari poterant auxilia, officiaque retorſionis quodam jure iisdem denegentur, & qui inde fluunt effectus alii (a). Toto ut cœlo aberrent, qui humanitatis officia obligationis vinculo deſtitui, nec populos intrinſecis ad ea præſtanda motivis impelli, ſibi perſuadent.

§. 8.

Præſtantur autem tum *definitè*, tum *indefinitè*; *Definitè*, quando Gens una alteri in



(a) Vid. KOEHLER. *J. N. & G. Specim.* VII. §. 1648. p. 275.

Digitized by Google

in ſpecie determinatum quoddam humanitatis officium exhibet. *Indefinitè*, quando Gens aliqua ſeu populus ex ſocialitatis impulſu in genere, citraque reſpectum ad determinatam Gentem humanitatis officia adimplet.

SCHOLION. Puta: quando populus magnam frugum, quas præ aliis copiosè ſolum proferre aptum eſt, abundantiam ſolertiâ induſtriaque ſuâ hanc ob cauſam procurat, quò Gentium vicinarum indigentiam in caſu neceſſitatis ſublevet. Quando plures, quàm ad ſui ſecuritatem opus eſt, militares copias alit, ut contra inſultus hoſtiles gentibus vicinis fortè metuendos, ſicubi res poſtulârit, ſuppetias ferre queat. *Definitè*, dum actu auxilia fert, frumenta, aliaque vitæ ſubſidia ſubminiſtrat, & quæ ſunt ejus generis ſocialitatis officia alia.

§. 9.

Porrò, qui humanitatis officia ſibi mutuò exhibent populi, aut 1) cum notabili ſuo incommodo, id eſt, bonorum, atque utilitatum inde provenientium haud levi decremento, nec non virium moleſtâ communicatione eadem præſtant; aut 2) patiuntur ſaltem, ut Gentes vicinæ eas ſibi ex rebus

rebus ſuis ceu proprias ſumant, aut utilitates inde decerpant, unde nec neceſſitati, nec commoditati aut jucunditati vitæ, nec ſecuritati ac tranquillitati publicæ quidpiam decedat, inſigne verò aliis commodum, utilitasque proveniat. Priori caſu, quum intenſior amoris ſocialitatisque gradus requiratur, *officia humanitatis eminentis*; poſteriori autem, quoniam vix citra odii invidiæque turpiſſimæ notam negantur, *officia humanitatis vulgaris*, ſeu *communis* dicimus.

SCHOLION. Sic *Eminens* eſt *humanitas* populo ab hoſtibus oppreſſo copias militares ſuppeditare, delectum concedere &c. *Vulgaris* tranſitum innoxium, appulſum ad littora indulgere, de quibus in ſequentibus latiùs agimus.

§. 10.

Officia humanitatis eminentia *beneficia* quoque generali voce nuncupant; eademque rurſus in *beneficia in ſpecie talia*, nuncupata, quando Populus de ſuo aliquid pleno jure in alterum transfert, aut utilitatem ſaltem ex re ſuâ percipere ſuſtinet, & in *officia*, quando

do populus factum quoddam oneroſum u. c. Mediatoris & Pacificatoris officium pro altero gerendum in ſe ſuſcipit, diſpeſcuntur. Habitum prioris generis humanitatis officia præſtandi *beneficentiam*, item *liberalitatem*; poſterioris verò ſpeciei obligationibus defungendi, *officioſitatem* ſalutamus.

COROLLARIUM I. Unde, quæ *Gentes beneficæ*, & *liberales*, quæ *officioſæ?* obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM II. Nec minus ad Beneficentiam, Liberalitatem, atque officioſitatem mutuam obligari populos, ex demonſtratis (§. 6.) colligimus.

§. 11.

Ab obſervantiâ, ſive cuſtodiâ officiorum humanitatis Gentes *æquæ*, & in ſpecialiori ſignificatu *moratæ* (Lib. I. Cap. II. §. 18.), Sicuti ab habitu ſatisfaciendi officiis erga alios perfectis *juſtæ* audiunt.

COROLLARIUM. Gentes ad æquitatis & vitæ moratæ culturam obſtringi, pari ratione, quâ in §. præced. Coroll. II. conficimus.

§. 12.

Quum ex adverſo *barbaros* in ſenſu ſtrictiori eos dicamus populos, qui omni æqui-

æquitatis ratione ſummotâ, nullamque vitæ moratæ (§. 12.) curam habentes, humanitatis qualiacunque officia negligunt, viciniſque denegant, *barbariem* ceu vitium turpiſſimum ſtudio ſolertiſſimo Gentibus devitandam, exuendamque eſſe liquet (§. 6. & 11.).

§. 13.

Actionibus porro Gentium, quatenus ad amuſſim legum & ſocialitatis normam inſtitutæ candoris atque ſinceritatis, officia erga Gentes alias ex aſſe adimplendi indicia præbent, *honeſtum* ineſſe dicimus. Quare populorum actiones *honeſtas* eſſe apparet, ſi quando ex iisdem ſtudium ſincerum ac candidum, amoris atque ſocialitatis leges ad unguem adimplendi eluceſcit.

COROLLARIUM I. Ab honeſtate igitur actionum atque officiorum inter Gentes juſtitia ſeparari haud poterit (Lib. I. Cap. II. §. 19.).

COROLLARIUM II. *Inhoneſtas* ex adverſo Gentium actiones eſſe deprehendimus, quando fraudulenta, in ſocialitatis regulas impingendi, atque damna gentibus doloſè inferendi conſilia produnt, proin nullam in gente illâ ſinceritatem, candorisque ineſſe nihil, liquidò commonſtrant.

F SCHO-

SCHOLION. Id velim advertas, has, ut & ſequentes *pulchri* & *decori* notiones generales ad officia juraque tam perfecta quam imperfecta pertinere; quas tamen vel ideo hìc enodandas cenſuimus, quod frequentiorem in dijudicandis officiis Gentium humanis uſum præbeant, veluti ad exempla eunti planum evadet. Honeſtum Galli *Honnête*; Inhoneſtum *Malhonnête* vocibus efferunt. Sic inhoneſtum eſt, hoſtem ſub ſpe fidei datæ ad ſe pellectum captivum detinere: Inhoneſtum, naufragium paſſos littore atque portu arcere: Jactatis mari nolle ſuppetias ferre, & ſimilia, quæ communis ratio exhibere aliis inculcat.

§ 14.

*Pulchrum* actionibus Gentium ineſt, quatenus in ſingulis perfectio, inter omnes vero conſenſus quidam, atque mutua ad finem ſeu perfectionem communem tendentia facilè diſcernibilis, unoque obtutu comprehendi apta, deprehenditur.

SCHOLION. Conſentit hæc pulchri, atque pulchritudinis notio cum uſu loquendi communi, nec non eâ, quam nobis erutam dedit Illuſtr. Wolfius (a), & quam ad actiones morales hominum dudum transtulêre rerum moralium ſcriptores.

§. 15.

(a) *Element. Architect. Civ.* edit. pr. Cap. I. §. 23.

§. 15.

Quin & *decorum* quoque in actionibus moralibus obſervamus, quando ſcilicet in applicatione legum ad caſus individuos, atque actuali officiorum executione id peculiari animi ſolicitudine cavemus, quò actiones, quas veluti media ad finem ſuſcipimus, non ſolùm inter ſe, & cum fine principali, ſed & cum finibus aliis acceſſoriis, ex ſtatu, atque conditione perſonæ, pro ratione loci, temporis, ac dignitatis definiendis, conſentiant, omnisque inter easdem pugna devitetur; Gentium igitur actiones *decoras* nominabimus, quatenus in iisdem nihil occurrit, quod aut majeſtati, aut dignitati aliisque circumſtantiis à populo in executione officiorum attendendis repugnet.

COROLLARIUM I. Pro diverſo itaque Populi ſtatu, dignitate ac circumſtantiis decori quoque rationes variant; atque aliud apparet eſſe *decorum Imperatorum*, aliud *Regum*, aliud *Ducum*, aliud *Rerumpublicarum*, aliud *Belli*, aliud *pacis tempore*, aliud *intra fines regni & territorii*, aliud *extra illos*.

COROLLARIUM II. Quæ *Gentes decoræ*, quæ *indecoræ*, quæ *officia decori*, Pflichten der Wohlan-

ſtändigkeit, Devoirs de Bienſéance, facili ex dictis negotio colligimus.

§. 16.

Honeſtum (§. 13.), Pulchrum (§. 14.), atque decorum (§. 15.) ex conformitate actionum cum legibus atque officiis Gentium enaſcitur; Quapropter cum Gentes actiones ſuas legibus conformare ex generali actionum moralium principio (Lib. I. Cap. II. §. 7.), nec non ſocialitatis inſtinctu (ibid. §. 12.) obligentur, populis quoque, ut actiones eorundem honeſtæ, pulchræ, atque decoræ compareant, diſpiciendum incumbere, extra controverſiam poſitum eſt.

SCHOLION. In quonam hæc honeſtas, pulchritudo aut decor conſiſtat, in caſibus & officiis peculiaribus propiùs definiendum.

§. 17.

Populi, ſive Gentes liberæ in eo inter ſe conveniunt omnes, 1) quod in Statu Naturali independentiæ nullius ſubjecti imperio vivant (Lib. I. Cap. I. §. 1. & 5.):

2) Quod

2) Quod iisdem teneantur, obſtringanturque officiis, atque generalibus æqui (§.6.) juſtique (Lib. I. Cap. II. §. 19.) devinciantur regulis: Denique 3), quod mutuâ inter ſe omnes ope indigeant, atque in explendis ex aſſe officiis plus minùs virium defectum ſentiant (Ibid. §. 9. ſeq.); Quare, cum determinationum idenditas in entibus pluribus conſpicua eatenus *æqualitatem* involvat, quod determinationes haſce attinet, Gentes inter ſe *æquales*, ſive *in ſtatu æqualitatis vivere*, facilè concipimus.

SCHOLION. Æqualitatem hic intelligimus moralem, non philoſophicam aut Mathematicam, quæ idenditatem determinationum innuit ſecundùm quantitatem: *Similitudo* igitur potiùs *æqualitas* hæc noſtra dici debuerat. Aſt DD. Juris Naturalis, qui in eo, quo diximus, ſignificatu jam pridem eam vocem ad forum ſuum traxêre, turbare circulos, conſultum haud duximus. Utrùm verò detur, aut extiterit unquam ſtatus perfectæ æqualitatis, nec non, an tota de æqualitate hominum diſquiſitio, magnum adeò, ut nonnulli ſibi perſuadent, in Jure Naturali aut Gentium momentum tractura ſit? alia quæſtio eſt, ab hoc loco tamen aliena.

§. 18.

Verùm enimverò, ut ut quoad determinationes eſſentiales& generales tam ratione ſtatûs, quàm officiorum Gentes inter ſe conveniant (§. 17.); diverſas tamen eisdem quoque ineſſe qualitates, non minus exploratum eſt, ſive ad regiminum civilium varia ſchemata, ſive ad ditionum atque terrarum amplitudinem, ſive ad ſacrorum ritus, ſcientias, artes, divitias, opes atque potentiam animum advertas; Quapropter, cum determinationes in pluribus perſonis diverſæ *inæqualitatem* in ſtatus earundem neceſſariò inducant, in ſtatuum verò diverſitate diverſitas quoque jurium ac officiorum fundetur (Lib. I. Cap. I. §. 12.); tam ratione ſtatûs, quàm officiorum atque jurium *Inæqualitatem* quandam inter Gentes, ſive populos plures conſpicuam ſe præbere liquet.

COROLLARIUM I. Gentes vivunt in ſtatu naturali (Lib. I. Cap. I. §. 5.), ſtatum ergo naturalem omnimodam æqualitatem, atque paria prorſus officia involvere, & ex adverſo inæqualitatem in eodem omnem exulare, oppidò quàm falſum eſt.

CO-

COROLLARIUM II. Æqualitatem tamen inter Gentes obviam ex determinationibus eſſentialibus & communibus (§. 17.); inæqualitatem (§. 14.), ex determinationibus accidentalibus & propriis oriri, expeditum eſt.

§. 19.

Atque inde porro conſit, quod, quatenus Gentes inter ſe æquales ſunt, iisdem; quatenus inæquales ſunt, diverſis quoque inter ſe fruantur juribus, reganturque officiis (§§. 17. & 18.).

§. 20.

Æqualitatis, atque inæqualitatis inter Populos plures conſpicuæ diſtincta notio eruendis, cognoſcendisque Gentium inter ſe ſive iisdem, ſive diverſis juribus (§. 10.) mirificè inſervit (Lib. I. Cap. III. §. 15.), uti per ſe liquet; quapropter, cum officiis ſatisfacere pro condigno nemo queat, niſi probè perſpecta eadem habeat, æqualitatis atque inæqualitatis notiones diſtinctas in mutuò ſibi præſtandis exhibendisque officiis inſignem inter Gentes ſui uſum exerere pateſcit.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Rectè itaque æqualitatis, atque inæqualitatis conſiderationes ceu media contuemur, quibus ad explenda tam juſti, quàm æqui (§. 11.) officia populi commoveantur. Atque ea ſola ferè cauſa eſt, cur his notionibus locum hic aliquem reliquum fecerimus.

§. 21.

*Faſtuoſas*, ſeu *ſuperbas* dicimus *Gentes* quæ præ aliis ſui æqualibus, aut quatenus ſaltem æquales ſunt (§. 17.), ſeſe extollunt, iisdemque mutua officia denegant; frangendi hujuſce faſtûs, atque reprimendæ ſuperbiæ medium efficaciſſimum in ſeriâ æqualitatis contemplatione ſitum eſſe, ex Jure Naturali edocemur; Quapropter eam quoquè æqualitatis inter Gentes conſideratio utilitatem præſtat, ut ſocialitatis vinculum fortiùs liget, atque maximum mutui amoris obſtaculum, faſtum & arrogantiam intelligo, è medio tollat, populosque ad reciproca humanitatis præcipuè officia promptè adimplenda inducat.

SCHOLION. Perfecto ſiquidem quæ jure debentur, eadem mediis coactivis extorquendi facultas competit (§. 1.); quæ in Juribus imperfectis officiisque humanitatis exulat (ibid.); de aliis igitur eorum

eorundem præſtationem promptam paratamque promovendi mediis cogitandum fuerat, quorum non nulla ſupra (§. 7. Schol.) recenſuimus; enimverò in hunc cenſum æqualitatis quoque conſiderationem jure referri merito vidimus (§. 20. & 21.); quare & hanc quoque ob cauſam æqualitatis inter Gentes notionem hìc eruendam, effectusque ejus attingendos duximus.

§. 22.

Cumque inæqualitas, quid Gens quælibet præ aliâ præcipuum habeat, clarè commonſtret (18. & 19.), promptam æquitatis cuſtodiam, juſtitiæque in ſenſu generaliori acceptæ adminiſtrationem ex hujus contemplatu mirificè promotum iri, nemo non perſpicit.

SCHOLION. Neque aliunde, quàm ex diverſis Gentium qualitatibus & adfectionibus extrinſecùs advenientibus, abſtrahendo à pactis, uſuque recepto, de Præcedentiâ inter Gentes populosque liberos rectum formari poſſe judicium, infra monſtrabimus.



Digitized by Google

# CAPUT II.

## DE OBLIGATIONE GENTIUM MUTUA VERUM NUMINIS CULTUM CONJUNCTIS VIRIBUS PROMOVENDI.

§. 1.

GEntes ſive reſpublicæ perſonas morales repræſentant (Lib. I. Cap. I. §. 5.); ab officiis igitur erga Deum immunes enuntiari haud queunt (Ibid. §.6.); quæ inter, quum Gloriam divini Nominis amplificandi, verumque Dei cultum omni ſtudio provehendi obligatio primum facilè locum ſibi vindicet, Gentes ad amplificandam Gloriam divinam, promovendumque verum Numinis cultum ſua convertere ſtudia obſtrictas eſſe liquet.

SCHOLION. Hanc obligationem Gentium Pſalmiſta pluribus locis expreſſis verbis inculcat.

§. 2.

Quumque ſocialiter vivere Gentes oporteat (Ibid. Cap. II. §. 12.), atque ad alios non minùs populos ea ſeſe obligatio protendat

tendat

Digitized by Google

tendat (Ibid. §.7.), Gentes ad communicandam ſibi mutuò veram de Deo cognitionem, promovendamque penes populos vicinos tum Gloriam, tum cultum divini nominis interno, non religionis ſolùm, ſed ſocialitatis quoque vinculo teneri conſtat.

COROLLARIUM. Probare igitur minimè poſſumus, quando Gentes ex rationibus ſtatûs arcanis (Lib. I. Cap. III. §. 14.), aut ex utilitate privatâ populos vicinos à verâ Dei cognitione ac religione præſtitâ ope facilè communicandâ arcent.

## §. 3.

Per *verum* autem *Numinis cultum* talem intelligimus modum colendi Deum, qui tum attributis divinis, tum veritatibus revelatis, nec non Eccleſiæ conformis eſt.

SCHOLION. Veræ, falſæque religionis notas genuinas Theologi examinant, in quorum nos meſſem falcem immittere nolumus; Eccleſiæ tamen Catholicæ, quam nos veram eſſe certâ fide tenemus, ſapientiſſimum regimen rationibus Gentium apprimè convenire, mox demonſtraturi ſumus. Univerſim loquendo, tota hujus rei diſquiſitio, quando de ſacris ac religione Gentium ſeu populorum liberorum inter ſe ſermo eſt, tractationis eſt delicatiſſimæ, omnem poſſibilem circumſpectionem ac cautelam ſibi depoſcens.

§. 4.

Attributa divina variari neſcia, æterna, atque immutabilia non niſi unâ ſeſe ratione habent, neque Deus, ceu ipſa conſtans ac perennis veritas, in lumine revelato pugnantia inter ſeſe manifeſtare hominibus potuit; Verus itaque Numinis cultus, nec non vera fides per divinitatis, rerumque naturam non niſi una eſſe poteſt (§.3.).

SCHOLION. Hancce tamen unitatem cultûs externi actuumque eò fine ſuſcipiendorum diverſitatem non ſemper tollere, velim advertas; qualis autem ſalvâ fidei unitate ea diverſitas eſſe queat, id ab Eccleſiâ definiendum, foroque theologico rurſum vindicandum venit.

§. 5.

Quando Populi ſeu Gentes plures easdem de attributis divinis ſententias fovent, atque veritatibus revelatis iisdem adſtipulantur, nec non actus externos his conformes edunt, *Cultus* ſeu *Religio*, quam fovent, *uniformis* dicitur; *cultûs* proin *Religioſi inter Gentes uniformitas* in idenditate ſententiarum de divinis attributis, nec non dogmatum fidei, actuumque externorum

ex his,

ex his, ceu motivis, ſuſcipiendorum determinatione ſimili conſiſtit.

COROLLARIUM. Quoniam vera fides non niſi una eſt (§. 4.), uniformitatem fidei ac religionis non minus ex lumine rationis, quàm ex S. S. poſſibilem concipimus.

§. 6.

*Fides*, ſeu *cultus Religioſus* difformis eſt, quando Gentes diverſas, & pugnantes inter ſe tum de divinis attributis, tum de veritatibus revelatis, actibusque externis eapropter ſuſcipiendis opiniones ſectantur; unde quid *fidei* ac *Religionis inter populos difformitatis* nomine veniat, eluceſcit.

COROLLARIUM. Quò magis dogmata fidei Gentium diverſarum inter ſe pugnant, eò major comparet religionis difformitas.

§. 7.

Qui diverſos, & pugnantes inter ſe de divinitate conceptus fovent populi, iidem tanquam in divinum Numen injurios, imo pro re natâ blaſphemos, ac pertinaces opinionum erronearum defenſores, ceu mancipia

denique dæmonis, atque ſectarum profligatiſſimarum aſſeclas ſeſe mutuò intertuentur; cumque causâ Dei, ac Religionis in heterodoxos licere quidlibet plerique perſuaſum habeant, plusquam vatinianis ſeſe inſectantur odiis, ſocialitatiſque ſanctiſſimas leges prorſus negligunt, ut cum cultu uniformi omnem quoque humanitatem exuiſſe videantur; Difformitatem igitur fidei cultûſque religioſi inter gentes prima ſocialitatis princípia (Lib. I. Cap. II. §. 7. & 14.) evertere, atque luctuoſiſſimorum eventuum feraciſſimam eſſe, in aprico jacet.

COROLLARIUM. In religionis ſacrorumque difformitate gradus dantur (§. 6. Coroll.); magis igitur minusve pro dogmatum diſcrepantiâ ſocialitatis eadem vincula diſrumpit (a).

§. 8.

Quidquid ſocialitatem lædit, atque tranquillitatem Gentium turbare aptum eſt, id communi Gentium ſtudio è medio tollendum eſt (Lib. I. Cap. II. §. 15.); Difformitatem itaque ſacrorum conjunctis populorum

(a) Vid. Diſcurſ. m. polit. *de Eurythmiâ Politica ex uniformitate reſultante.*

lorum viribus diſpellendam, atque ex adverſo amicam cultûs veri uniformitatem promovendam eſſe nemo dubitat (§. 2.).

SCHOLION. Tolerantiæ leges quas Gentes inter ſe hinc inde ſtabiliunt, minuunt ſaltem, non tollunt mala. Neque enim interna conſcientiæ dictamina ullâ vi externâ retundi ita queunt, ut non datâ occaſione in actus quoque externos prorumpant, atque odii ex difformitate oriundi infeſta ſemina diffundant.

§. 9.

Gens una in alteram Imperio aut civili aut ſacro haud pollet (Lib. I. Cap. I. §. 1.), niſi ſpeciali Dei mandato id ſibi commiſſum eſſe oſtendat; citra igitur tale mandatum, pactumve Gens una alteri ſacra, atque religionem ſuam vi obtrudendi, aut, ut proprios ſecum ſacrorum ritus communicet, vi petendi facultate omni deſtituitur (Cap. I. §. 1.); Unde indubitato conſtat, quod, quæ pro ſtabiliendo mutuis viribus vero Numinis cultu, introducendâque fidei uniformitate (§. 2. & 8.), Gentes reciproca ſibi ſocialitatis officia exhibere obſtrictas eſſe diximus, eadem *humanitatis* (Cap. I. §. 2.), neutiquam verò *neceſſitatis* eſſe reputanda ſint.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Hæc ita inter Gentes, populosque liberos; quæ tamen ad ſtatum cujusvis populi internum, & tollendam vigore competentis Imperii, ſicubi opus eſt, ſacrorum difformitatem haud pertinent. Sed nec ad illos caſus hæc propoſitio ſpectat, ubi aut ſpeciali Dei juſſu ſacra Gentis alicujus abolenda, aut ita eadem comparata fuerint, ut populis vicinis ea deſtruendi jus perfectum tribuant (infr. Cap. 8.).

§. 10.

Quoniam porro, quæ ſibi in promovendo vero Numinis cultu ex jure humano præſtant populi, vel cum aliquâ præſtantium moleſtiâ, rerumque ac virium decremento conjuncta ſunt, vel absque moleſtiâ aut damno exhibentur, humanitatis hæc officia partim *eminentia*, partim *vulgaria* eſſe apparet (Cap. I. §. 9.).

§. 11.

Ad priorem claſſem referas, Doctores verbi divini celebres, atque Miſſionarios ad Gentes exteras verâ religione haud imbutas ſive ad tempus ablegandi, ſive in perpetuum relinquendi officium. Munificas librorum, in quibus veri cultûs principia con-

tinen-

Digitized by Google

tinentur, communicationes ac donationes; nec non in elargiendis vaſis, reliquoque apparatu ad actus Religionis externos celebrandos requiſito liberalitates; in ædificandis denique templis, nec non erudiendâ educandaque in veris ſacris juventute exterâ, eâdemque ad munia ſacra non ſine magnis ſumptibus efformandâ præſtita beneficia, & ſiquæ ſunt alia, quæ citra exhibentium aliqualem moleſtiam haud concipiuntur.

*COROLLARIUM.* Ex eo tamen, quod vi obtrudi hæc beneficia regulariter nequeant (§. 9.), Gentes ad recipiendos miſſionarios, nec non reliqua beneficia acceptanda citra ſpeciale Dei juſſum, aut caſum neceſſitatis (Cap. 8.) mediis violentis cogendæ haud ſunt.

SCHOLION. Eminentis hujuſce humanitatis exempla in Germaniâ, atque Galliâ paſſim offendimus; Omnium verò extantiſſimum Roma in Collegio de Propagandâ fide nobis exhibet, cujus inſtitutum ſapientiſſimum nullis ſat encomiis deprædicari poteſt.

§. 12.

Quænam ex adverſo Religionis causâ communia ſibi mutuò Gentes officia præ-

H ſtent,

ſtent, ex dictis facilè conficitur. Referimus huc, ut Gentes, apud quas vera Religio viget, populis vicinis ad puriora ſacra apud ſe haurienda acceſſum permittant, & ut parato pretio neceſſarios eum in finem libros coëmant, nec non juventutem Doctoribus erudiendam tradant, benignè ferant; denique omne id in eum finem indulgeant, quod damnum periculumque ipſis nullum, Gentibus verò purâ religione deſtitutis inſigne emolumentum allaturum eſt.

§. 13.

*Gentes idololatræ* nuncupantur, quæ entia pro Deis colunt, quæ talia non ſunt; veluti, qui hominibus, Soli, Lunæ, ſtellis, animalibus, ſtatuis, aliisve rebus inanimatis honores divinos exhibent; Unde, qui cultus *idololatriæ* nomine veniat, apparet.

§. 14.

Cultus idololatricus manifeſtò falſus eſt, atque in divinam Majeſtatem, vel maximè blaſphemus; Idololatriam igitur conjunctis populo-

Digitized by Google

populorum viribus eradicandam, extermi-nandamque eſſe nemo dubitat (§. 1. & 2.).

COROLLARIUM. Citra tamen ſpeciale Dei mandatum (§. 9. item §. 11. Coroll.), extraque caſum neceſſitatis (Cap. 8.) nec hoc caſu adversùs Gentem exteram vi armisque utendum; ſiquidem civili alterius Gentis imperio ea ſubjecta haud eſt, nec, ut ſupponimus, jura ejus perfecta lædit.

§. 15.

*Athei* exiſtentiam Dei omnem negant, aut ejusdem ſaltem cognitionem in mentibus ſuis offuſcant; quum igitur gloriæ cultuique divino è diametro adverſas ſententias propalam profiteantur, paria omnino in profligando atheiſmo Gentium inter ſe officia eſſe, quis neget?

§. 16.

Promptitudo animi rebus, narratisque quibuscunque inanibus, atque ridiculis ſæpè, citra ſufficiens examen fidem habendi, eademque in credendorum capita referendi, *ſuperſtitio* vocatur; quo vitio qui infecti ſunt populi, *ſuperſtitioſi* audiunt.



Digitized by Google

COROLLARIUM. Superſtitioſus itaque effectus naturales, quarum cauſæ menti etiam humanæ vel maximè perviæ ſunt, cauſis ſupernaturalibus, rebusque, quas inter & effectus nexus nullus eſt, attribuit; vanas imaginationis turbatæ repræſentationes, ſenſuum errores, atque ſomnia non rarò pro veritatibus maximè exploratis habet; denique abſurdiſſimas quaslibet opiniones, atque creaturâ rationali indignas narratiunculas pro veris adoptare paratus, aptusque eſt.

SCHOLION. Superſtitionis cauſam præcipuam in ignorantiâ, philoſophiæ præſertim veri nominis, quærendam eſſe, non eſt, quod operosè moneam.

§. 17.

Superſtitioſi rebus maximè ludicris ac frivolis fidem habent, easque inter credendorum capita reponunt (§. 16.); queis cum viri prudentes, rerumque gnari adſtipulari ſalvo honore atque majeſtate divinâ nequeant, ſuperſtitioſos viris veræ religioni addictis, atque virtutem infucatam ſectantibus heterodoxiæ ſcepe notam affingere, eosdemque, ni aniles ſuas fabulas pro indubiis veritatibus habeant, in impiorum claſſem conjicere, facilè eſt ad colligendum; præterea, cum ratione nequeant, opinionum

num ſuarum monſtra vi atque armis propugnant, literis boniſque artibus ac ſcientiis infenſiſſimi; Gentium igitur in eo vel maximè conjungenda eſt ſocia induſtria, ut ſuperſtitiones è ſocietate humanâ pro viribus diſpellant atque inania hæc fabularum portenta næniaſque exterminent.

SCHOLION. Peſſima Gentium contagio ſuperſtitio meritò habetur, cujus triſtes effectus, ſi impietatis in Deum majorem longè gradum excipias, multò, quàm ipſius atheiſmi in republicâ, ſicubi Imperium nacta eſt, extantiores ſeſe exerunt. Rectè Curtius Lib. 4. C. 10. *nulla* (ait,) *res efficaciùs multitudinem regit, quàm ſuperſtitio, alioquin impotens, ſæva, mutabilis; ubi vanâ religione capta eſt, meliùs vatibus, quàm Ducibus ſuis paret.*

§. 18.

Præcipua itaque Gentium, uti ex hactenus demonſtratis liquet, officia circa religionem eò redeunt, ut verus Dei cultus quantum pote eſt, promoveatur, uniformitaſque fidei tum ſtabiliatur, tum conſervetur. Vera fidei criteria definiendi, atque articulos credendorum ſtatuminandi poteſtas Gentibus citra confuſionem ſum-



Digitized by Google

mam relinqui haud poterat; utpote quâ conceſsâ uniformitas ne inter vicinos quidem populos ſperanda unquam fuerat, veluti penſitanti obvium eſſe debet; Ea igitur ſparta, velut à juribus Imperii civilis gentiumque aliena, communi cuidam Eccleſiæ capiti relinquenda, ac proin potiſſima uniformitatis fidei inter Gentes ſtabiliendæ cura in regimen ſupremum hierarchicum tranſcribenda fuit.

COROLLARIUM. Quoniam igitur agnitio ſupremi Capitis hierarchici promovendi veri cultûs, uniformitatisque fidei inter Gentes firmandæ ac introducendæ medium efficaciſſimum rectè habetur; Gentes, populosque ad agnoſcendum Caput aliquod univerſale Eccleſiæ, eidemque in cauſis fidei ſeſe ſubmittendum obſtrictas eſſe, in propatulo eſt.

SCHOLION I. Ecce, quas Jus Gentium pro adſtruendo regimine Eccleſiæ univerſali ad omnes ſeſe populos protendente rationes ſubminiſtret; quæ cum eâ, quam Chriſtus Sapientiſſimè ordinavit Eccleſiâ apprimè conveniunt.

SCHOLION II. Neque tamen propterea Gentium inter ſe in propagando vero cultu, extirpandisque pravis ſectarum opinionumque monſtris humanitatis officia ceſſare credendum eſt; ea ſiquidem

quidem ſalvis ſummi Eccleſiæ Capitis juribus illibata conſiſtunt.

§. 19.

Verum Numinis cultum aliis communicandi, atque, ut fides una & uniformis ſtabiliatur, omnibus viribus nervisque contendendi obligatio reſpectu Gentium inter ſe, & quoad forum externum imperfecto jure nititur, neque officia illa aut obtrudi vi, aut poſtulari mediis coactivis queunt (§. 9.); neque etiam in eorundem acceptatione aut præſtatione ratio officiorum erga alios continetur (Lib. I. Cap. II. §. 6. & 7. Item §. 11. ſeq.); Ex eo igitur, quòd Gentes in religione à populis vicinis diſſentiant, nec hi ad amplectenda ſacra induci ſe patiantur, communia ipſis ſive neceſſitatis ſive humanitatis jura neutiquam neganda erunt, ſed potiùs, cœteris paribus, omnia ipſis ſocialitatis officia ex æquo nihilominus præſtanda eſſe, exploratæ veritatis eſt.

SCHOLION. Cœteris paribus: Quidni enim populi eadem nobiſcum ſacra colentes in caſu colliſionis præferantur? Quidni circumſpectiùs cum illis, quàm cum his agamus &c?

§. 20.

§. 20.

Quod proin nec à commerciorum, nec à pactorum jure excludendi ſint ſacris alienis addicti populi, id, ut & alia conſectaria plura ſponte velut inde conſequentia ſuis locis monſtrabimus.

SCHOLION. De officiis Gentium circa ſacra Legatorum vide infrà Lib. V.

# CAPUT III.

## DE OBLIGATIONE GENTIUM MUTUA, SCIENTIAS ATQUE ARTES COMMUNI STUDIO PERFICIENDI.

§. 1.

SCientias dicimus diſciplinas qualescunque in quibus obviæ definitiones atque propoſitiones ſive nativâ evidentiæ luce radiant, ſive ex principiis certis & indubiis demonſtrari valent; veluti ſunt diſciplinæ Mathematicæ, & Philoſophicæ omnes, Jus Naturale, Jus Publicum univerſale &c. *Artes* autem vocamus habitus, ſeu

Digitized by Google

ſeu facilitates, ea, quorum exiſtentia per vires tum animæ, tum corporis poſſibilis concipitur, efficiendi; quæque ita efficiuntur *Artefacta* audiunt.

SCHOLION. Diſciplinas illas, ſive ſcientias, quatenus à ſcientibus demonſtrantur, habitus eſſe, per ſe liquet. Aſt quando de ſcientiis in uſu vitæ loquimur, ipſas diſciplinas ſeu ſcientiarum objecta indigitamus.

§. 2.

Artes vel *liberales* ſunt, vel *illiberales* ſeu *mechanicæ*; *illæ*, in quibus mentis magis, quàm corporis operationes in perficiendo artefacto ſpectandæ veniunt; *hæ* verò, ubi mechanicæ corporis operationes prævalent.

SCHOLION. Sic Ars Poëtica, Ars pingendi, Chirurgia, & ſimiles plures in cenſum artium liberalium, opificia verò mechanica reliqua in illiberalium claſſem referenda ſunt. Ipſarum tamen Artium ſcientiam quoque poſſibilem eſſe, dudum obſervatum fuit à viris ſcientiarum laude celebratiſſimis (a).



(a) Vid. Illuſtr. WOLFII. *Politic.* P. II. Cap. 3. §. 305. ſeq.

§. 3.

Docendis atque tradendis ſcientiis & artibus, potiſſimùm liberalibus, *univerſitates ſtudiorum*, *gymnaſia* & *collegia*, perficiendis, & ad majorem evidentiæ gradum evehendis *Academiæ ſcientiarum atque Artium* deſtinantur; quarum *illæ* ſunt loca publicâ auctoritate conſtituta, in quibus juventus diſciplinis atque artibus (§.1.) uſum in vitâ habentibus inſtruitur, & ad munia in civitate obeunda efformatur. *Poſteriores* verò ſocietates virorum ſcientiæ ac doctrinæ conſummatiſſimæ laude celebrium eo fine initæ, ut ſcientias & artes conjunctis viribus majoribus quotidie incrementis, inventisque adaugeant.

COROLLARIUM. Unde diverſas eſſe docentium in univerſitatibus, atque membrorum Academiarum & Artium functiones & munia, longèque majorem ſcientiæ gradum, atque in inveniendo dexteritatem in his, quàm in illis requiri apparet.

SCHOLION. Ubi tamen tanta eruditorum copia haberi nequit, aut respublica ſumptibus ferendis impar eſt, utraque officia conjungi haud implicat; ita ut, qui docentium in univerſitatibus, iidem quoque membrorum Academiarum vices adim-

adimpleant. Cœterùm de inſtituto Scholarum, in quibus prima ſcientiarum & artium rudimenta traduntur, nec non Gymnaſiorum, in quibus ad exercitia corporis juventus efformatur non eſt quod quidpiam impræſens moneamus; Tu adi Juris Publici univerſalis & politicæ Doctores.

§. 4.

Scientiarum atque artium cultura ſeria ſola ferè Gentes moratas (Cap. I. §. 11.) à barbaris & incultis (ibid. §. 12.) ſeparat; quippe artes didiciſſe ingenuas feros eſſe mores haud ſinit, & ſcientiarum, pulchrarumque literarum ſtudia generis humani felicitatem mille modis adaugent, planè ut absque ſcientiis brutorum magis, quàm creaturarum rationalium vitam acturos eſſe homines extra controverſiam poſitum ſit.

SCHOLION. Certa hæc ſunt, atque exploratæ veritatis, quam vel triſtis illarum regionum facies, in quibus nullus literarum ſtudiis honos aut pretium ſtatuitur, abundè perhibet.

§. 5.

Cui conſequens eſt, quod Gentium maximoperè interſit, vicinos juxta ſe habere populos, ſcientiis atque artibus addictos;

à barbaris ſiquidem, omnes æqui (Cap. I. §. 12.) honeſti (§. 13.) ac decori (§. 15.) leges conculcantibus, nil eſt, quod metuendum non habeant, rapinas, cædes, atque bella continua: quum ex adverſò cum gentibus vicinis moratis, æqui juſtique amantibus (Lib I. Cap. II. §. 18. Item Lib. II. C. I. §. 11.) optatiſſimâ pace, ac ſecuritatis fructibus perfrui liceat uberrimis.

SCHOLION. Quid interſit populos vicinos moratos, & incultos ſeu barbaros habere, funeſta regnorum incurſibus Tartarorum expoſitorum exempla hodiedùm commonſtrant; & Germani noſtri olim Romanos luculentâ tot provinciarum invaſione & occupatione docuêre.

§. 6.

Quapropter Populos & Gentes tum ex ſocialitatis (Lib. I. Cap. II. §. 12.) & officiorum erga alios (ibid. §. 7.) generali lege, tum propriæ ſecuritatis atque tranquillitatis obtinendæ causâ ad ſcientiarum bellarumque artium culturam ſuis abſolutam numeris conjunctis viribus promovendam obſtrictas eſſe liquidò pateſcit.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Eaque à pluribus populis in hunc finem ſuſcipienda virium conjunctio in iis potiſſimùm ſcientiis ac diſciplinis perficiendis neceſſaria, quæ ſine communi gentium ſtudio ad debitum evidentiæ perfectionisque gradum evehi nequeunt, veluti ſunt Aſtronomia, Geographia, Phyſica, Hiſtoria, Medicina &c, quæ citra Nationum externarum ſubſidia pro condigno excoli, atque augeri inventis vix ac ne vix poſſunt.

## §. 7.

Academiarum ſcientiarum & artium inſtituta ad perficiendas diſciplinas & artes in vitâ utiles, nec non ut novis eædem ornentur inventis, primariò tendunt (§. 3.); in iisdem igitur erigendis atque ſtabiliendis eò quoque mentis convertenda acies, ut communicatis cum nationibus exteris viribus diſciplinæ bonæque artes nova indies incrementa capiant.

COROLLARIUM. Qui vires cum aliis ad finem communem obtinendum conjungunt, *ſocii* audiunt; In ſocietatem igitur ſcientiarum atque artium exteri quoque aſſumendi, qui inventa nova mutuò cum aliis communia reddant, ea præſertim, quæ alibi vix, aut non ſine magnis difficultatibus detegi valent (a).



(a) De Academiarum ſcientiarum inſtitutis vide Gundlingii *Diſcurſ.* ad Heumanni *hiſtor. literariam* Cap. 4. Sect. V. §. 36. ſeq.

SCHOLION. Quanta ex inſtituto ſaluberrimo Academiarum ſcientiarum tum in Galliâ, atque Angliâ, tum in Germaniâ, Italiâ, Ruſſiâ & regno Sueciæ erectarum bonis literis ac ſcientiis præcipuè Mathematicis ac Philoſophicis incrementa acceſſerint, & quæ quotidie inde Scientia Salutaris, artes & commercia emolumenta capiant, credi vix poteſt. Ruſſiæ ſanè Imperium, ex quo Academia Petropolitana à Petro M. inſtituta effloreſcit, aliam prorſus induiſſe faciem, nemo eſt, qui ignoret.

§. 8.

Ex eodem obligationis fonte (§.6.), honoraria novorumque inventorum præmia exteris non minùs, quàm inquilinis impertienda, liberalem ad academias terrasque noſtras in ordine ad experimenta capienda, aut antiquitatis monumenta inſpicienda acceſſum indulgendum eſſe, deducimus.

COROLLARIUM. In humanitatis igitur officia peccant, qui nullâ fat rationabili de causâ veterum documentorum, Manuſcriptorum, atque Actorum publicorum Codices exteris ſcientiarum promotoribus communicare detrectant populi.

§. 9.

Mutuus ille eruditorum, omnium Nationum ac populorum in augendo ſcientiarum ac

bonarum artium ſplendore concurſus efficit, ut literati omnes velut magna quædam ſocietas, reipublicæ haud abſimilis, conſiderari poſſint; Unde de *Republicâ* ſeu *Orbe literario* conceptum nobis atque ideam mente formare poſſumus.

SCHOLION. Quoniam libertas alma ſcientiarum mater ac nutrix meritò habetur, aliam reipublicæ literariæ formam, quàm democraticam ſapienter gubernatam qui adſignat, næ ille ſcientiis bonisque artibus nuntium planè mittere mihi videtur.

§. 10.

Ratione docentium, & quod promovendas ope profeſſorum famâ celebrium ſcientias attinet, eadem Gentibus ſocialitatis officia incumbunt, quæ Cap. præcedenti (§. 11. 12.) in communicando vero Numinis cultu obſervanda eſſe inculcavimus; quum enim tantoperè interſit Gentium ut bonæ artes, morales præſertim diſciplinæ, apud vicinos quoque populos effloreſcant (§. 5. & 6.), atque ita rectæ rationi conſentaneæ leges communes reddantur, actionumque inter Gentes normæ directrices à tramite juſti & æqui haud

haud declinent (§. 5.), nil humanitati magis congruum, propriæque ſecuritati firmandæ convenientius videtur, quàm ut Gentibus virorum eruditorum, ad profeſſorum munia obeunda idoneorum penuriâ, laborantibus amicè ſubveniatur, iisque docentes, queis carere commodè poſſumus, ſive ad tempus, ſive in perpetuum relinquantur, liberâ iisdem ejuſcemodi ſpartas acceptandi facultate indultâ.

SCHOLION. Fructus ex hiſce humanitatis officiis Populi Europæi quàm plurimi deguſtârunt uberrimos, & cum ingenti fœnore hodiedum Ruſſia colligit. Quid Regno Sueciæ ſæculo elapſo HUGONES GROTIOS, CARTESIOS, PUFFENDORFIOS aliosque viros conſummatæ doctrinæ, famâque celebres, ſtipendiis largiſſimis ad ſe pellexiſſe, atque in ſinu ſuo foviſſe profuerit, ſtatus rei literariæ, ac ſcientiarum præſens ſplendor abundè teſtatur. Cujus exemplum utinam alia regna omni ornatiori literaturâ deſtituta imitarentur, magno populorum bono, atque Pacis fulcimento haud exiguo.

§. 11.

Porro, quum exteris ad univerſitates noſtrates ſtudiorum acceſſum liberum indulgere, iisque, ut ſcientiarum largam ſegetem colli-

colligant, permittere, eædem humanitatis leges ſuadeant (§. 6.), vel hanc etiam ob cauſam Gentes obſtrictas eſſe cognoſcimus, ut idoneos ſcientiarum & artium Profeſſores conſtituant, atque univerſitates ſuas partim inanium, ad uſum vitæ nil proficientium, doctrinarum quisquiliis expurgent, partim ad vitæ ſtudiorumque neceſſitates requiſitis omnibus inſtruant, ornentque.

SCHOLION. Speciem hic habes officii humanitatis indefinitæ (Cap. I. §. 8.), quam populus populo debet, in definitam tranſientis, quando Genti cuidam in univerſitatibus ſtudiorum tum benefica tum vulgaria humanitatis officia præſtantur (Ibid. §. 9.), iisque, quod ſœpe fit, in collegiis certa ſtipendia adſignantur.

§. 12.

Scientiarum atque artium cum Gentibus exteris communicationem linguarum notitia haud mediocriter promovet, uti per ſe patet; Quare linguarum quoque tam antiquarum, quàm modernarum notitia promovenda, iisque addiſcendis idonea media ſubminiſtranda erunt.



Digitized by Google

SCHOLION. Linguæ univerſalis qualis hic præſtantia utilitasque futura eſſet, facilè eſt ad intelligendum (a); ſed tali quum careant populi, inter Gentes pleraſque Europæas lingua latina ejus vicem ſupplet.

§. 13.

Quando Gentes, ſive populi eadem ſcientiarum principia fovent, easdemque inde veritates eliciunt, ſcientiis uniformibus imbuti eſſe dicuntur. Quare *ſcientiarum uniformitas* in principiorum atque propoſitionum ſeu veritatum inde deductarum idenditate conſiſtit.

§ 14.

Quæ à Gentium voluntate poſitivâ, atque arbitrio haud dependent principia, atque propoſitiones, ſed intrinſeco veritatis robore conſiſtunt, eæ apud Gentes populosque alios, in cognoſcendi demonſtrandique methodo à vero haud aberrantes, diverſæ eſſe nequeunt; Diſciplinarum igitur, quarum principia atque veritates ab arbitrio

(a) Vid. Recueil de diverſes pieces par Meſſieurs Leibniz, Clarke, & Newton Tom. 2. p. 130.

Digitized by Google

trio hominum pendulæ haud ſunt, uniformitas minimè implicat.

SCHOLION. Uniformitatis hujus exemplum in diſciplinis Mathematicis puris, u. c. *Elementis* Euclidis, Geometriâ, Trigonometriâ, Algebrâ &c offendimus, neque enim alias circa propoſitiones in his diſciplinis obvias Angli, alias Galli, aut Germani tenent ſententias, neque citra abſurditatem manifeſtam tenere poſſunt.

§. 15.

Moralitas actionum intrinſeca, ex ipſâ creaturæ rationalis eſſentiâ, rerumque extra nos poſitarum naturâ profluens, nec non principia, & regulæ Juris Naturalis, Juris Publici univerſalis, & Juris Gentium generales, æternæ ſunt veritatis (a); unde Juris non minùs Naturalis atque Gentium, nec non Juris Publici univerſalis inter Gentes uniformitas poſſibilis eſſe concipitur (§.14.).

§. 16.

Quare cum paria ferè ex doctrinarum moralium, atque Juris Naturalis & Gentium,

 quæ

(a) Illuſtr. Wolfii. *Philoſ. pract. univerſ.* P. I. Cap. II. §. 142.

quæ ex cultûs Religioſi veri, (Cap. II. §.7.) uniformitate in populos compendia, ex difformitate damna redundent, juſti ſcilicet atque æqui reciprocum & æquale ſtudium, & ſocialitatis perfecta cuſtodia, in uniformitatem principiorum Juris Naturalis, Jurisque Publici univerſalis ac Gentium convertendos quoque eſſe populorum animos, rectè concludimus.

§. 17.

Juris Naturalis, ſicut aliarum ſcientiarum uniformitas (§.13.), ex diſtinctâ notionum in eodem occurrentium evolutione, ritèque demonſtratis ejusdem propoſitionibus ſponte ſuâ enaſcitur, modo animo veritatis cupido ad ejus ſtudium accedas; id itaque præprimis agendum Gentibus, ut belli pacisque jura ex ſuis principiis ac fontibus à membris Academiarum eo fine inſtitutarum immotè demonſtrentur, atque extra omnem diſceptationis aleam collocentur.

SCHOLION. **Nullum hic obſtaculum, niſi in affectibus, ignorantiâ, pravâque populorum voluntate offendimus. Fac igitur, verus ſcientiarum amor undi-**

undique vigeat, fac, ut infucatæ virtuti Imperantes eorumque Adminiſtri ſtudeant, & uniformitatem, quam hic commendamus, facilè obtinebis; ſi non perfectam, & omnimodam, talem ſaltem, qualis conciliandis populorum animis, & firmandæ paci ſtabili haud mediocriter velificatura ſit.

§. 18.

Quâ ratione Artes tum Liberales, tum Mechanicæ conjunctis Gentium viribus ad majorem perfectionis gradum evehendæ, & communicandæ invicem ſint, ex hactenus *dictis* haud difficulter conficimus; perficiendis præſertim Academias ſcientiarum & artium valdoperè conducturas eſſe, per ſe patet.

SCHOLION. De Artificum liberâ commeatione & præſtandis iisdem neceſſariis ſubſidiis idem, quod ſupra (§. 10. & 11.) Judicium eſto.



Digitized by Google

# CAPUT IV.

## DE OFFICIIS GENTIUM HUMANITATIS CIRCA COMMERCIA, SIVE MUTUAS RERUM COMMUTATIONES.

§. 1.

NOn omnem ferre omnia tellurem, ſed feliciùs quædam in hoc, alia in alio ſolo enaſci, quin nec pari ubique Gentes in artefactis, aliisque rebus in uſus vitæ efformandis pollere aut dexteritate aut viribus, ipſa experientia abundè comprobat; populos itaque in iis, quæ tum ad vitæ neceſſitatem, tum jucunditatem, & commoditatem requiruntur, ſibi ſolis haud ſufficere, proindeque ad ſuppſendos, mutuò rerum ac virium, quos patiuntur, defectus, obſtrictos eosdem eſſe (Lib. I. Cap. II. §. 9. & 10.) pateſcit.

§. 2.

Quoniam, ut vidimus (§. præced.) mutua debet eſſe virium atque rerum communicatio,

nicatio, facilè intelligimus, gratuitò eas aliis præſtandas haud eſſe, quamdiu hi in vicem aliquid dare aut præſtare potes ſunt (Lib. I. Cap. II. §. 12. & 13.); Qui rem ſuam in alterum eâ conditione transfert, ut in vicem rem aliam ab eodem recipiat, is *rem ſuam cum aliâ commutare* dicitur, mutuos itaque rerum ac virium defectus per reciprocas regulariter commutationes ſupplendos eſſe conſtat.

COROLLARIUM. Atque inde Gentes ſive populos ad commutandas invicem res ſuas obligari, conficimus (§. 1.).

SCHOLION. Reciprocis hiſce rerum commutationibus id inter alia conſequuntur Gentes, ut nativis non magis fruantur bonis, quàm iis, quæ apud alios populos proveniunt (a), utque, quod natura fortè negavit, id comis ſocialitatis cultura ſuppleat.

§. 3.

Mutuas rerum inter duos pluresve commutationes (§. 2.) *commercia* nuncupamus; Gentes

(a) Vid. Grotium de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 13. ibique Tesmar. in notis lit. σ.

Gentes itaque ſeu populi ad inſtituenda, colendaque inter ſe commercia obſtricti degunt (ibid. Coroll.).

SCHOLION. Ex vero igitur Hugo Grotius (a): *Nam* (inquit) *quominus Gens quæque cum quavis Gente ſepoſitâ commercium colat, impediendi nemini jus eſt, id enim permitti intereſt ſocietati humanæ, nec cuiquam damno id eſt*; multa pro firmandi commerciorum inter populos neceſſitate veterum teſtimonia dictaque allegans.

§. 4.

Quocum in ſpecie contrahere, atque res noſtras commutare (§. 2.) velimus, res liberæ facultatis eſt, in caſibus individuis pro cujusque arbitratu, indigentiâ ac neceſſitate determinanda; citra pactum adeò, aut extremum neceſſitatis caſum (infr. cap. 8.) Gentes ſeu populi ad res ſuas cum aliis commutandas jure perfecto (Cap. I. §. 1.) cogi nequeunt.

COROLLARIUM. Ac proin Gentes ad celebranda cum Gentibus vicinis commercia citra pactum aut caſum neceſſitatis nonniſi ex Jure humanitatis (Cap. I. §. 5.), & quidem, ſi obligationem gene-

(a) cit. l. n. 5.

Digitized by Google

generalem (§. 3.) ſpectes, indefinitæ (d. Cap. I. §. 8.), ſi individualem intuitu certi cujusdam populi, definitæ (ibid.) devinctas teneri, pronè conſequitur.

§. 5.

Porro inde conſit, quod in humanitatis officia peccent populi, qui vicinas Gentes à mutuo commerciorum uſu ſecludunt, atque ab acquirendis per reciprocas commutationes rebus ad vitæ tum neceſſitatem, tum commoditatem requiſitis arcent.

COROLLARIUM. Iidem in ſocialitatis (Lib. I. Cap. II. §. 13.), conſequenter prima Juris Gentium principia (ibid. §. 14.) injurii ſunt (Lib. II. Cap. I. §. 6.).

SCHOLION. Hæc ita in regulâ, & niſi juſtæ, gentem aliquam à commerciorum uſu excludendi, cauſæ ſubſint; veluti, ſi cum populo vicino pactum de non vendendis alteri, quàm ſibi ſoli certi generis mercibus initum (a); ſi ipſe populus rebus ſuis egeat; aliæque publici boni rationes commercia cum gente aliquâ exercenda prohibere, aut limitare ſaltem jubeant.

§. 6.

*Libertas commerciorum* eſt facultas, eadem in utilitatem tum propriam, tum aliorum

L pro

(a) Vid. Grot. J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 24.

pro arbitrio exercendi; Quum ergo nec arceri ab iisdem populi, nec reſtringi regulariter eorum uſus debeat (§. 5.); Libertatem commerciorum inter Gentes regulariter illibatam relinquendam eſſe, expeditum eſt.

SCHOLION. Sicuti nimirum emendi, ſic & vendendi ac permutandi facultas liberi eſt arbitrii, extra caſus boni publici aut neceſſitatis neque limitanda, neque reſtringenda.

§. 7.

Rerum vitæ uſibus inſervientium tam inquàm exportatio varias requirit commoditates, atque mediorum ad facilitandas earundem commutationes apparatum haud exiguum; veluti, ut tutus navibus, ac plauſtris præſtetur acceſſus, & diſceſſus, ut onerandarum, atque exonerandarum, nec non ponderandarum mercium procurentur compendia, ut prompta res permutandi, emendi, vendendique ſit occaſio, & quæ ſunt ejus generis alia plura, quæ ad commerciorum faciliorum uſum ſpectare dignoſcuntur. Seligenda itaque erunt loca commoda,

Digitized by Google

moda, & commerciis apta, iis omnibus inſtruenda ornandaque, quæ reciprocas inter Nationes ſeu populos plures commutationes facilitare apta ſunt.

§. 8.

Civitates, ſeu loca ejusmodi publicâ auctoritâte libero commerciorum inter Gentes exercitio deſtinata, variisque eum in finem inſtructa commoditatibus, ac munita privilegiis *Emporia*, & in ſpecie, ſi civitates maritimæ ſint, *Portus liberi* dicuntur; Unde gentium, emporia publica erigendi, portusque liberos conſtituendi obligationem (§. 7.) concipimus.

SCHOLION. Sunt igitur Emporia & Portus liberi nundinæ veluti, & mercatus publici Gentium; qui tum demum *Emporiorum* nomen propriè retinent, ſi emendi, vendendique facultas, merciumque in- & exportatio perpetua ibi vigeat; ſin temporaria ſaltem, ad certos anni dies menſesque reſtricta, *nundinarum* potiùs titulo inſigniuntur. Nec aliter Emporia à nundinis diſtinguit Kuhlewein in Diſſert. *de Jure Stapulæ* (a).



(a) p. 42. apud Pfeffingerum in *Vitriar. Illuſtrat.* Tom. III. Lib. III. Tit. 2. §. 43. p. 199.

§. 9.

Ex eo, quod Emporia commerciorum tum promovendorum, tum facilitandorum gratiâ erigantur (§. 7.), cauſam intelligimus, cur variis eadem ornentur privilegiis, veluti exemtionis mercium à pendendis vectigalibus, aut taxationis ſaltem eorundem modicæ, privilegii fori, liberi etiam ſubinde exercitii Religionis, aliisque, quæ partim in mercium, partim commercantium favorem conceduntur.

SCHOLION. Sunt & aliæ publici boni rationes prægnantiſſimæ, quæ vigilem populorum in erigendis ac conſervandis Emporiis curam ſibi depoſcunt; aſt, quum internæ ſint, & civitatis domeſticam utilitatem reſpiciant, de iis in Jure Publico univerſali diſpiciendum erit.

§. 10.

Ex domeſticis quoque populorum rationibus (§. præced. Schol.) fluit; quod in Emporiis plerumque civibus, merces recens adpulſas vel advectas præ extraneis coëmendi, ad horarum, aut dierum aliquot ſpatium Propolii privilegia concedantur.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM. Propolii privilegia libertati commerciorum admodum inimica ſunt (§. 6.), in iisdem igitur elargiendis providas eſſe Gentes convenit.

§. 11.

Stapularum privilegia, vigore quorum merces certis locis ſiſtendi, vendendi, exonerandi, atque in alias naves, plauſtrave transportandi neceſſitas imponitur (a), ex eodem, quo §. præced. diximus, fonte promanare facilè intelligimus; quare cum pari, imo longè majori ratione, quàm propolia commerciorum libertati (§. 6.) obſtent; in iisdem concedendis populos non minus parcos eſſe, commerciorum flos, atque neceſſitas (§. 3.) poſtulat.

SCHOLION. Quatenus inter ejusdem reipublicæ cives hiſce privilegiis locus eſſe poſſit, & quando certis eadem civitatibus impertiri publici boni ratio jubeat, in Jure Publico univerſali in genere, & in Jure Publico particulari, in ſpecie examinamus.

§. 12.

Quoniam itaque commercia inter Gentes populosque effloreſcere maximoperè

 refert

(a) Struv. *Corp. Juris Publici* Cap. XIII. §. 31.

refert (§. 3. ſeq.), conſilia quoque de iisdem promovendis, & in flore ſuo conſervandis ineunda eſſe, nemo inficiabitur; nec minus, ut privilegia ac jura, uni alterive nationi quâcunque ratione quæſita, ſarta tecta ſerventur, ſolicitè diſpiciendum erit. Dein in frequenti mercatorum, legibus, quod civilia eorundem negotia attinet, inter ſe patriis viventium (Cap. 5. ſeq.), è regionibus exteris in emporia atque portus maritimos affluxu fieri vix potuit, quin crebræ quoque inter commercantes tam ratione ſucceſſionum hereditariarum, quàm contractuum, lites orirentur, judiciali authoritate definiendæ: Hæ, & aliæ fortaſſe rationes plures, in caſibus individuis penitiùs enodandæ, permovêre populos, ut in portubus maritimis, ſeu emporiis, certos conſtituerent privilegiorum ac Jurium nationis Cuſtodes, nec non controverſiarum inter mercatores oriturarum futuros judices, quos *Conſules* nuncupant; quorum proin utilitas atque neceſſitas ex dictis haud obſcurè eluceſcit.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. De utilitate ac neceſſitate Conſulum pluribus videndus Conringius (a).

§. 13.

Nec minus ex eo, quod commerciorum flos pro virili augendus, atque mutuâ Gentium ſolertiâ conſervandus ſit (§. 3. ſeq.), Conſules recipiendos eſſe liquet.

COROLLARIUM. Quoniam tamen commercari cum exteris, iisdemque liberam apud nos emendi, vendendique libertatem concedere, nec non Juris dicundi poteſtatem alteri in terris noſtris permittere, imperfecti eſt Juris (Cap. ſeq.), receptionem Conſulum humanitatis, non neceſſitatis eſſe patet.

§. 14.

Conſules cuſtodes ſunt jurium ac privilegiorum mercaturæ, nec non litium inter mercatores ſuæ nationis occurrentium Judices (§. 12.); demandata cuſtodiendorum privilegiorum nationis cura, nec non judicis officio defungendi poteſtas non niſi à Superiori profluere poteſt; Conſules itaque neceſſariò à populo, cujus de privilegiis, atque juribus tuendis, nec non mercatorum litibus definiendis agitur, conſtituendos eſſe, nemo dubitat.

COROL-

(a) *De Commerc. Maritim.* Operum Tom. IV. p. 503. §. 34.

Digitized by Google

COROLLARIUM. Perinde quoque, Conſules ſub protectione ejus, à quo conſtituuntur, populi vivere, expeditum eſt.

SCHOLION I. Charactere tamen repræſentatio haud gaudent, uti ſuo loco oſtenſuri ſumus. De iis WICQUEFORTIUS (a) ita loquitur: „ Les Princes, „ qui les employent, les protegent, comme per„ ſonnes, qui ſont à leurs ſervices, & comme „ tout bon maitre protege ſon ſerviteur & ſon „ domeſtique.“ Et paulò poſt. „ Les Conſuls „ ne ſont que des marchands, qui avec leurs char„ ges des juges des differends, qui peuvent naitre, „ ne laiſſent pas, de faire leurs trafic, & d' etre „ ſujets.“

SCHOLION II. Quouſque Conſules Jurisdictionem populi, apud quem reſident, agnoſcere teneantur, nec non, quatenus ſubditorum qualitatem habeant, aut retineant, de eo ſuis locis diſpiciemus.

## §. 15.

Porro, quoniam nullius aut levis cujusdam lucri ſpe itinerum difficultates, atque pericula terrâ marique nemo facilè ſubiturus eſt, id quoque ſolicitè cavendum populis commerciorum florem integrum atque illibatum conſervaturis, ne in impoſitione vectigalium juſtos limites excedant, atque præſentis lucri odore illecti cum com-

Digitized by Google

commerciorum indubiè ſecuturo excidio ſibi vicinisque gentibus graviſſima damna inferant.

SCHOLION. De regali, ſive majeſtatico vectigalium jure in Jure Publico univerſali agimus, ejusdemque fontes perquirimus. Cœterùm dicta juſtam ſubin limitationem patiuntur, quando nimirum gravium impoſitione vectigalium importationes mercium quarundam impedire intendunt populi (a).

§. 16.

A commerciorum cum nationibus exteris integrè ſervato flore, rerumque ad vitæ uſus neceſſariarum liberâ ſive in-, ſive exportatione totius ſœpe Gentis divitiæ, ſalus, ac felicitas dependent; neque ſocietates, mutuæque commercantium commutationes citra plurimorum civium præſentiſſimam ruinam uno velut ictu disrumpuntur; Unde, ne bello quidem medio, ſiquidem ſalvâ commercantium ſecuritate geri idem poſſit, commercia prorſus inhibenda aut ſuſpendenda eſſe, facilè liquet (§. 3.).

M SCHO-

(a) Vid. Conring. *de Commerciis Maritim.* Tom. 4. p. 926. §. 160.

Digitized by Google

SCHOLION. Exercentur nimirum commercia inter privatos, quibus pro re natâ, u. c. ſi bellum terrâ geratur, commercia mari exerceantur, pactis mutuò initis plenam ſecuritatem impertiri nil prohibet. Aliud tamen haud dubiè dicendum, ſi ipſa commercia bello cauſam dederint.

§. 17.

Illa ipſa porro commerciorum inter gentes utilitas atque neceſſitas (§. 3.) navigantium æquè, ac terrâ commeantium ſecuritati, & commoditati proſpiciendum, atque adeò tum infeſtationes à Piratis, latronibus, atque prædonibus terrâ marique metuendas, tum viarum difficultates, quantum per vires cujusvis populi licet, applanandas, nec non naufragiorum pericula pro virili avertenda eſſe incúlcat.

COROLLARIUM. Conſtituendi itaque Pilotæ, qui vicina oris maria, obortis præſertim tempeſtatibus diligenter oberrent, atque naufragos fortè, aut à via declinantes in ſalvum, rectumve tramitem perducant, quique loca periculoſa expoſitis noctu lucernis, aut aliis quibuslibet ſignis indicent. Conducendæ naves, & contra piratas defendendæ, nec omittendum quidpiam, quod ad terreſtrium itinerum ſecuritatem commoditatemque quovis modo pertinet.

§. 18.

Digitized by Google

§. 18.

Ex dictis facilè conſtat cum officiis Gentium circa commercia nec non humanitatis regulis conciliari populorum quorundam conſuetudines haud poſſe, vi quarum naufragorum merces ad littora appulſas, aut extractas mari ſibi ceu proprias vindicant.

# CAPUT V.

## DE OFFICIIS GENTIUM HUMANITATIS CIRCA JURA SUMMI IMPERII, EORUMQUE EFFECTUS RECIPROCE AGNOSCENDOS.

§. 1.

Gentes citra ſocietatum civilium inſtituta ſaluberrima neque ſecurè, neque tranquillè vivere potuiſſe, conſequenter ordinanda fuiſſe ſumma Imperia, in Jure Publico univerſali invictis argumentis demonſtratum damus; Enimverò, quod ex communi neceſſitate ad ductum rectæ rationis, atque ſocialitatis



Digitized by Google

juſtam normam introducitur ( Lib. I. Cap. II. §. 12. ), id pro legitimè, recteque inſtituto apud omnes peræquè populos reputandum eſſe, per ſe liquet; civilia igitur quoque imperia, à Gentibus intra fines limitesque proprios ritè ordinata, ceu legitima, atque rectæ rationi conformia agnoſcenda eſſe, nemo dubitat.

COROLLARIUM. Quoniam determinans abſque determinato haud concipitur (a), patet, quod, qui ad agnoſcenda reciprocè Imperia civilia obſtricti ſunt populi, iidem ſupremæ poteſtatis effectus, quales in quolibet territorio ſeſe exerunt, in dubium vocare haud poſſint.

§. 2.

Porro, quum juxta demonſtranda ( Lib. III. Cap. I. ) ſummum cujuslibet Populi Imperium, ceu res in proprietate populi exiſtens, conſiderandum veniat; proprium autem quod eſt, id negari, impugnarique citra proprietarii læſionem perfectam nequeat, agnitionem illam ſummorum Imperiorum (§ 1.), atque inde profluentium conſectariorum

(a) Wolf. Philoſoph. prim. P. I. Sect. II. Cap. 2. §. 115.

Digitized by Google

riorum (Ibid. Coroll.), reciprocam, quatenus fines aut limites territorii haud egrediuntur, juris eſſe perfecti (Cap. I. §. 1.), facilè colligitur.

SCHOLION. Denegatam ſummi Imperii agnitionem, ſi cum effectu fiat, juſtam bello cauſam dare, Lib. IV. oſtenſuri ſumus.

§. 3.

Verùm enimverò multijugâ quoque ratione contingit, ut de valore actûs, effectuque negotii, non in territorio Gentis ſeu populi, ubi celebratum idem, aut perpetratum fuit, ſed in alieno, quorſum domicilium fortè contrahentes transtulêrunt, aut ubi delinquentes deprehenſi fuêre, quæſtio inſtituenda veniat; His caſibus, quum Gentes in ſtatu naturali independentiæ inter ſe vivant, nullum ſupra ſe ſuperiorem agnoſcentes (Lib. I. Cap. I. §. 5.); neque etiam, ex ſuppoſito, populi pacto mutuo expreſſo ad ratam gratamque in ſuis quoque territoriis habendam actuum juxta leges alterius reipublicæ celebratorum for-



Digitized by Google

mam aliosve eorundem effectus agnoſcendos ſeſe obſtrinxerint, agnitionem effectuum ſummæ poteſtatis, quatenus ad exteros ſeſe populos protendunt, ibique legale quoque robur præſtolantur, ex jure perfecto ſeu neceſſitatis haud fluere, manifeſtum eſt.

§. 4.

Ac proin juri humano, ſeu humanitatis officiis ( Cap. I. §. 5. ) adſcribendum eſſe apparet, quando Gentes ſive populi legibus, nec non reliquis ſummæ poteſtatis effluviis extra fines territorii valorem aliquem tribuunt, eorundemque robur mutuò agnoſcunt.

SCHOLION. Nititur tamen eadem hæc agnitio cauſis atque rationibus graviſſimis. Primò namque formam illi actus in proprio ſubjectionis domicilio nacti ſunt legalem (§ 1.), citra evidentiſſimum ſive ſubditorum, qui tum fuerant, ſive reipublicæ præjudicium vix ac ne vix retractandam. Dein, quot, obſecro! litigiis, quantæ rerum bonorumque confuſioni portam aperis; ſi Gentes ſeu populos, advenarum, atque domicilia ad ſe transferentium quoſcunque actus, & contractus indiſtinctè ex legibus loci, ubi commorantur,

Digitized by Google

tur, dijudicare debere, admittas; Queis ritè penſitatis ſocialitatis comem cuſtodiam, nec non tranquillitatem Gentium mutuam eam agnitionem etiam hoc caſu omnino ſibi depoſcere, facilè mecum conſentientes habebo æqui bonique amantes omnes.

§. 5.

Unde effectuum ſummæ poteſtatis, & validitatis actuum juxta leges alterius reipublicæ pro re natâ ritè celebratorum agnitionem ex primo Juris Gentium principio, ſocialitate nimirum (Lib. I. Cap. II. §. 13.) & communi populorum neceſſitate profluere, dicendum erit.

SCHOLION. Quum verò diverſi hìc caſus probè diſcernendi ſint, rem delicatiſſimam, ſummiſque obſitam difficultatibus penitiùs illuſtrare haud pœnitet.

§. 6.

Inter partes ſummi Imperii civilis primum facilè locum ſibi vendicat leges ferendi, eaſdemque ad caſus obvios applicandi, id eſt, juris dicundi poteſtas; leges igitur cujusvis populi à Gentibus vicinis pro ritè latis, plenâque ſubditos obligandi vi pollenti-

Digitized by Google

lentibus habendas, atque agnoſcendas eſſe liquet (§. 1.).

SCHOLION. Modò tamen ab æquitate naturali nimiùm ne abeant; hoc enim ſi compareat, in caſu §vi 2. impugnari quidem jure perfecto nequeunt; ſed jure tamen extra rempublicam gentes aliæ effectum, ac legale iisdem robur omne denegant (§. 3. ſequ.).

§. 7.

Quæcunque igitur à ſubditis reipublicæ juxta ſuæ civitatis leges ex præſcripto acta, geſtaque fuêre, ea à Gentibus quoque aliis pro ritè actis, geſtisque reputanda ſunt; Et ex adverſo, quæ ob neglectam à legibus præſcriptam formam nulla irritaque ſunt, ea ubivis terrarum pro nullis, atque irritis haberi æquum eſt.

SCHOLION. Quæ §. præced. in Schol. adjecimus hic quoque, ut & in §§. ſeq. advertenda erunt.

§. 8.

Unde contractus, quos ſubditi juxta leges loci ſeu reipublicæ ritè celebrârunt, nec non teſtamenta atque diſpoſitiones ultimarum voluntatum, quas ſecundùm ſolemni-

Digitized by Google

ſolemnitates à legibus præſcriptas condiderunt, non intra fines territorii ſolùm, ſed apud exteros quoque populos, apud quos de actuum horum valore quæri fortean contingit, æterno firmitatis robore conſiſtere, atque pro validis agnoſcendas eſſe, expeditum eſt (§. 3. & 7.).

SCHOLION. Negotia tamen, atque diſpoſitiones illas puras, id eſt, de rebus tantùm, actibusque intra fines territorii ſitis, vel geſtis erectas eſſe, hìc loci ſupponimus. Quid iis in caſibus, ubi de rebus extra territorii limites jacentibus, aut de contractibus alibi celebratis ſermo eſt, juſtum, æquumque ſit, in ſequentibus elucidabimus.

§. 9.

Idem quoque de matrimoniis, quæ juxta ritus ac leges populi cujusdam, eidem ſubjecti cives contraxêre, quoad vinculum ſaltem, atque effectus civiles, ſtatuendum (§. 6. & 7.); hæc namque ad exteras non minùs Gentes valorem ſuum protendere, atque pro ritè initis habenda eſſe, ex dictis (§. cit.) pronè conſequitur.

COROLLARIUM I. Liberi igitur legitimi aut illegitimi apud exteros quoque cenſebuntur, prout ex



Digitized by Google

connubio parentum juxta leges ſuæ civitatis juſto, aut injuſto, effectibusque civilibus deſtituto procreati fuêre. Id quod ad effectus quoque matrimoniorum imparium trahendum.

COROLLARIUM II. Quoniam tamen ad id, ut legibus alicujus populi aliæ quoque Gentes apud ſe plenum effectum tribuant (§. 6.), æquitati eædem naturali ut conſentiant, opus eſt (ibid. Schol.), ſecus dicendum, ſi mâtrimonia inter perſonas in gradibus Jure Naturali, aut divino prohibitis, conjunctas eſſe appareat.

SCHOLION. Apud Gentes igitur moratas (Lib. I. Cap. II. §. 18.) nullâ ratione conſiſtent matrimonia inter fratres atque ſorores inita; licet fors Gentis cujusdam leges eas conjunctiones ferant. Quid verò circa connubia inter mares & fœminas diverſarum Gentium, ſeu rerumpublicarum juris ſit ex mox dicendis palam fiet.

§. 10.

Sanctiones pœnales perinde ſummi Imperii (§. 1.), & poteſtatis legislatoriæ effectus ſunt (§. 6.); earumque in republicâ neceſſitas in coërcendis legum transgreſſoribus, nec non pacis ac ſecuritatis publicæ turbatoribus obſcura nemini eſſe poteſt; Quare nec harum robur à Gentibus exteris jure impugnatur (§. 7.); ſed, quæ in reos ſtatutæ

Digitized by Google

ſtatutæ pœnæ, atque executioni mandatæ fuêre, eæ pro legitimè decretis, juſtèque executioni mandatis ubivis reputandæ erunt (ibid.).

COROLLARIUM. Conſequitur, quod, qui juxta leges loci, ubi delictum admiſſum, infames declarati fuêre, ex obligatione Gentium humanâ (§. 4.) pro infamibus ubivis habendi ſint; ac proin ſi qui finibus expulſi bannitique fuerint, ii à Gentibus vicinis, ſalvis humanitatis officiis, nec recipi, nec ad honores, dignitatesve evehi poterunt.

SCHOLION I. Ex uſu nihilominus Gentium, præſertim, ſi neque contiguæ, neque ex receptione proſcriptorum magnum adeò iisdem diſcrimen immineat, hoc ipſum cum temperamento aliquo accipitur; cui nos minimè refragamur, potiſſimùm, quum miſellis iſtis & locum perfugii, & viam ad meliorem frugem redeundi, apertam relinqui, æquum ſit.

SCHOLION II. Sed nec, quam (§. 6. in Schol.) inculcavimus, regula inſuper hic haberi debet; utpote, quæ in ſanctionibus pœnalibus multifariàm ſui uſum exerit.

§. 11.

Rerum judicatarum, atque pro tribunali deciſarum auctoritatem, ſiquidem ex majeſtaticâ leges ad facta applicandi poteſtate

N 2 pronè

Digitized by Google

pronè conſequitur (§. 6.), extra rempublicam quoque à Gentibus aliis quibuscunque agnoſcendam, immotumque ubivis locorum ſecum ferre robur, non minus limpido ex ſtabilitis hucusque principiis (§. 6.) alveo deducimus (§. 7.).

COROLLARIUM. Lites igitur judiciali auctoritate juxta leges, atque ſtatuta loci definitæ retractari, ſalvis humanitatis officiis, à Gentibus vicinis nequeunt (§. 4.), licet leges inter ſe diſcrepent, victusque aliò domicilium transtulerit.

SCHOLION. Plura alia pronè inde conſequentia brevitatis ſtudio prætermittimus, à perſpicacioribus tamen ex principiis hucusque demonſtratis facilè derivanda, atque in uſum præſentem transferenda; Conferri quoque merentur Hertii (a), atque Cocceji (b) opuſcula, hoc thema ſolidè tractantia.

§. 13.

Quum porro Nobilitatis inſignia, graduum academicorum honores, nec non tituli, ac præeminentiæ aliæ quæcunque ſub-

(a) Opuſc. Tom. I. *De Colliſione Legum.* Sect. IV.
(b) *De Fundata in territor. & Concurrente plurium locorum poteſtate.* Diſs. Vol. I.

ſubditis ejusdem civitatis conceſſæ; non niſi ſummam populi poteſtatem pro fonte agnoſcant; hiſce, ob benè merita in patriam, aut doctrinæ, ſcientiæque præcellentiam ornatos, apud exteros quoque populos pro talibus æſtimandos eſſe, communis Gentium ratio, humanitasque poſtulat (§. 4. & 7.).

COROLLARIUM. Comes itaque, Marchio, aut Baro in Regno Galliæ ritè creatus, jure quoque talis in Germaniâ, Angliâ, Ruſſiâ &c. reputatur, & viciſſim. Qui Doctoratûs aut alterius gradûs academici honore in Germaniâ ritè condecoratus fuit, talis non minus in Hiſpaniâ, Galliâ, Poloniâ, Sueciâ, aliisque Regnis ac Rebuspublicis cenſendus jure veniet.

SCHOLION. Utrùm verò paribus quoque apud exteros juribus fruantur, id ex legibus peculiaribus populorum dijudicandum; quibus, ut propriæ civitatis membris intra ditionum ſuarum limites prærogativas quasdam præ exteris indulgeant, integrum eſſe, negari nequit.

§. 13.

De pubertatis, & majorennitatis per leges definitis terminis, de conceſſionibus veniæ ætatis, reſtitutionibus famæ, legitimationibus, aliisque ſimilibus ſummæ po-



Digitized by Google

teſtatis legislatoriæ effectibus idem dicendum eſſe, per modum corollarii addimus; ſiquidem ex antecedentibus non minus plana eſſe intelliguntur.

SCHOLION. Atque hæc ita, quando tempore contractûs, nec non celebrati aut patrati negotii tam in res, quàm in perſonas ſummum Imperium, atque Jurisdictio competebat. Brevibus nunc, quid iis in caſibus, ubi colliſiones ſeu conflictus emergunt, Jus Gentium præcipiat, diſpicere lubet.

§. 14.

Prænotandum igitur, quòd exactam officiorum, de quibus hucusque egimus (Cap. II. & Cap. III.), inter Gentes cuſtodiam, ac potiſſimùm reciprocam commerciorum culturam (Cap. IV.), nec non conjugia inter diverſarum rerumpublicarum perſonas contracta, aliosque actus, nec non negotia cum exteris geſta, gerendave, hi inter cœteros conſequantur effectus frequentiſſimi: I. quod ſubditi reipublicæ unius intra fines civitatis alterius aliquamdiu conſiſtere, ibidemque rebus ac commerciis ſuis invigilare ſœpiùs neceſſum habeant.

Digitized by Google

beant. II quod Civibus fortunarum ſedes atque domicilia mutandi, eademque aliò transferendi, aut in duobus etiam locis conſtituendi ſive neceſſitas premat, ſive utilitas lucrumque ſuadeat. III denique, quod in diverſis territoriis non rarò prædia atque bona poſſideant, ſive hereditario jure ad eosdem devoluta, ſive modis aliis legitimis acquiſita.

SCHOLION. Hos mutuæ humanitatis atque ſocialitatis effectus ipſa experientia abundè comprobat; ut illuſtratione ulteriori opus haud habeant.

§. 15.

Quod effectum primum attinet: axiomatis loco tenendum, quod, qui commerciorum, ſtudiorum, ſimilive de causâ, absque animo conſtituendi domicilium, ad exteras ſeſe Gentes, populosve transferunt; ſubditi nihilominus, ac cives ſuæ reipublicæ ſeu civitatis maneant; Neque adeò propter temporariam ſoli mutationem pactitium ſubjectionis vinculum diſſolvatur.

COROLLARIUM. Ac proin cives ſeu ſubditi apud exteros verſantes, & ſtudiorum, aut commercio-

rum

rum causâ abſentes, quoad fieri poteſt, legibus ſuæ reipublicæ vivere, juſſibusque ſupremi Magiſtratûs parere obſtricti ſunt.

SCHOLION. Propoſitionum harum veritas vel ex naturâ atque indole ſocietatis, qualem quoque eſſe rempublicam, extra controverſiam eſt, abunde eluceſcit. Quis enim, ſocium eſſe deſinere, diceret eum, qui ad breve aliquod ſpatium è loco, ubi ſocietas congregata eſt, diſcederet, & aliò commigraret?

§. 16.

Quoniam tamen intra fines reipublicæ ferendus, aut recipiendus nemo, niſi, qui cum certâ animi deſtinatione ac propoſito, legibus, ſalutis ac tranquillitatis publicæ causâ conditis, ſe conformandi, nihilque, quod publico civitatis bono obſit, admittendi acceſſerit; facilè patet, advenas & peregrinos quoscunque, ad tempus aliquod in civitate commorantes, eatenus legibus ejusdem teneri, quatenus pax, & ſecuritas, nec non bonum reipub. commune idem efflagitat.

SCHOLION. Subditi tamen propterea propriè ita dicti haud fiunt (§. 15.); quod ſi nihilominus pro talibus etiam, quoad hos effectus, eos habere velis, minimè refragamur.

§. 17.

Digitized by Google

§. 17.

Quum igitur, pœnas in delinquentes pacis ac ſecuritatis publicæ causâ conſtitui, notorium ſit; his quoque ſubjacere exteros in alieno territorio delinquentes, pronè conſequitur (§. 16.).

COROLLARIUM. Delictum adeò fundat forum, ſeu jurisdictionem in quoscunque, ſive exteri, ſive cives ſint.

SCHOLION. Quatenus in Legatis id limitationes patiatur ſuas, infra diſpiciemus.

§. 18.

Qui, quod effectum II. attinet (§. 14.), domicilia planè mutant, novæ ſocietati civili nomen dant, cui perinde, ut priori, ſubjectionis nexu illigantur; Unde nil hìc monendum aliud, quàm quod actus in priori domicilio ritè geſti, niſi ex circumſtantiis peculiaribus aliud colligendum ſit, validitate per omnia ſuâ, atque robore conſiſtant (§. 7. ſeq.). Qui verò in duobus locis domicilia fixêre, duarum ſocietatum membra eſſe intelliguntur, quibus adeo regulariter ex æquo devincti ſunt.

O SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Colliſiones tamen in caſu poſteriori ſuboriri frequentiſſimas, experientia, ipſaque duobus ex æquo ſerviendi difficultas loquitur.

§. 19.

Denique, quod effectum III. attinet, advertendum, quod bona intra limites territorii ſita, ut ut à civibus alterius reipublicæ poſſeſſa, imperio tamen atque jurisdictioni populi per omnia ſubjecta maneant; ac proin ſupremo Magiſtratui, non ſolùm onera iisdem communia imponendi, ſed & acquirendi, poſſidendi, transferendi, alienandique modos ſub qualibuscunque clauſulis, etiam annullatoriis, definiendi, ac legibus ſtatuminandi facultas integra eſſe intelligatur.

SCHOLION. Perinde, uti in §. 16. Schol. exteros, in alieno commorantes ſolo, ratione actuum quorundam in ſubditorum iſtius civitatis claſſem ſuo modo referri diximus; ita ſimiliter bonorum in alieno territorio poſſeſſores, horum intuitu, civitatis, ubi bona ſita ſunt, ſubditis accenſeri, haud implicat.

§. 20.

Cives, extra locum domicilii in alieno conſtituti, ſubditi manent, legibusque ſuæ civi-

civitatis vivere obſtricti (§. 15.); haud aliter, quàm ubi ſecuritas, atque tranquillitas publica poſtulat, Imperio atque Jurisdictioni populi, apud quem degunt ſubjecti (§. 16.); Ejusdem igitur reipublicæ cives, in alieno territorio commorantes, contractus & negotia civilia qualiacunque juxta leges ſuæ civitatis rectè celebrant, imò de jure celebrare tenentur (§. 15.).

SCHOLION. Quod ſi tamen circa hos contractus, inter contrahentes lites oriantur, Magiſtratus loci, quousque exteri illi ibi commorantur, judex eſt; quum jurisdicundi poteſtatem alteri intra limites territorii concedere vix ac ne vix Imperii ſummi ratio ferat; Unde, quod in Conſulibus (Cap. IV. §. 12.), Legatis, atque exercitibus extra territorii fines conſtitutis contrarium obſervari videmus, id ad exceptiones pertinet, ex rationibus peculiaribus, boni præſertim publici, prægnantiſſimis admiſſas; veluti ſuis locis videbimus.

§. 21.

Quodſi verò cives exteri cum ſubditis loci, ubi degunt, contrahant, eosdem legibus loci alligatos eſſe, tùm bonum civium commune (§. 16.), tum ratio ſubjectionis ex unâ contrahentium parte efflagitat.



Digitized by Google

§. 22.

Idem adhuc dicendum, ſi diverſarum rerumpublicarum cives in loco extero tertio contractum, aliudve negotium celebrent; etenim contrahentium inter ſe jura, juxta ſuæ civitatis leges contrahendi, æqualia ſunt (§. 15.); Unde, quum ceſſurum neutrum ſupponamus, neque etiam, ſtrictè loquendo, cedere propriâ ſpontè, ob perdurans ſubjectionis vinculum, poſſint (§. eod.); aliud evadendi medium non datur, quàm ut utrique legibus loci, ubi commorantur, ſeſe ſubjiciant, & ſecundùm illas contractum perficiant.

SCHOLION. At verò, quum inter privatos plerumque, & circa res privatas hæc negotia celebrentur, queis boni communis rationes non adeo implicitæ ſunt, liberum maximâ ex parte relinquitur ſubditis, ubicunque degentibus, juxta cujus loci leges contrahere velint; planè, ut ne ipſi quidem ejusdem civitatis cives, apud exteros verſantes, patriis ſuis legibus cum tanto rigore adſtringantur. Hinc voluntatis plerumque quæſtiones ſunt, quæ hìc moventur, ex peculiaribus uſibus, legibusque populorum decidendæ.

§. 23.

Digitized by Google

§. 23.

Quum porro juſtæ haud intelligantur nuptiæ, niſi juxta leges loci, ubi domicilium quis habet, cuique ſubjectus eſt, contractæ: cives ejusdem reipublicæ in alieno ſolo nuptias celebrantes legibus domicilii ſeſe conformare teneri (§. 15.), facilè colligitur.

§. 24.

Quod ſi una alterave contrahentium pars non ejusdem, ſed alteriùs reipublicæ Imperio ſubjecta ſit, diſpiciendum, an iisdem, an diverſis legibus regantur: ſi iisdem, perinde erit, utrius loci legibus ſe conforment. Sin diverſis, aut, planè abſtinendum à connubio, aut impetratâ ab unâ alterâve parte diſpenſatione colliſio tollenda erit.

SCHOLION. Campum hic vides ampliſſimum, plures alias inde concluſiones, in caſibus collidentium inter ſe legum obſervandas, eliciendi; ſed quas attingere inſtituti rationes haud ſinunt.

§. 25.

Exteros in locis, ubi commerciorum, aliorumve negotiorum causâ commorantur,



Digitized by Google

circa res atque merces vetitas in- aut exportandas contrahere haud poſſe, ex §. 16. liquidum eſt.

COROLLARIUM. Quin nec alias ſolennitates, quas publicæ civitatis leges circa contractus, negotiaque ſimilia neceſſariò obſervandas eſſe præcipiunt, prætermittendas facilè eſſe, ex eodem fonte deducimus.

§. 26.

Ex eo porro, quod cives, in alieno territorio commorantes, ſubditi ſuæ civitatis eſſe, haud deſinant (§. 15.), eosdem in diſpoſitionibus ultimarum voluntatum circa bona & res, in foro domicilii ſitas, formam & ſolennitates hujusce fori rectè, imò ex debito obſervare, indubiâ ſequelâ derivamus.

COROLLARIUM. Bona mobilia, quæ ſecum vehunt peregrinantes, aut in alieno conſiſtentes cives in loco domicilii, alibive compararunt, pro acceſſoriis & pari cum peregrinantibus jure, niſi peculiares locorum leges obſtent, meritò reputantur, uti ex §. 15. & 16. facilè colligitur: quapropter circa bona hæcce exterorum mobilia idem, quod de rebus in loco domicilii ſitis, quoad liberam de iis diſponendi facultatem, juris eſſe conſtat.

SCHOLION. Aliud fortean de bonis mobilibus apud exteros acquiſitis dicendum, quorum ſicuti acquiſitio-

Digitized by Google

quiſitiones, ſic translationes quoque variis legibus circumſcribere poteſt ſumma poteſtas (§. 19.). Quare in ipſis rerum momentis praxis & obſervantiæ locorum conſulendæ.

§. 27.

Quodſi de bonis alicubi ſitis, ſive mobilibus, ſive immobilibus, aliter quàm legibus iſtius loci teſtari citra nullitatis vitium haud liceat (§. 19.), tum, ſive in loco domicilii, ſive in alieno ſolo quis teſtetur, ſolennitates loci, ubi res ſitæ ſunt, neceſſariò obſervandas eſſe, per ſe liquet (§. eod.).

SCHOLION. Leges tamen ejusmodi prohibitivæ atque reſtrictivæ certò extent, neceſſum eſt; aliàs namque ex humano jure inter Gentes & populos ex rationibus ſupra (§. 22. Schol.) allegatis, paſſim recepto, in loco domicilii, quin in extero etiam ſolo, diſpoſitiones ultimarum voluntatum & teſtamenta, juxta leges ſive domicilii, ſive reipublicæ exteræ, de bonis ubicunque ſitis validè eriguntur.

§. 28.

Gentes, ſive populi ab acquirendis in locis exteris rebus regulariter, & ſine rationibus prægnantibus excludendi haud ſunt

(Cap. IV.

(Cap. IV. §. 5. Schol.); multò minùs dominiis earum rerum, quas cives in uſus ſuos in loca extera ſecum vehunt, exuendi, aut de iis diſponendi libertas reſtringenda erit: id quod tum ex dominii nativâ indole, tum ex dictis (§. 15) facilè colligimus: Exteris igitur, ſicut in alieno ſolo acquirere liberum, ſic de acquiſitis, multòque magis de aſportatis aliunde bonis tam mortis cauſâ, quàm inter vivos, pro arbitrio diſponendi facultas integra, atque illibata relinquenda eſt.

SCHOLION. Id quod tamen ſalvis legibus particularibus locorum, acquiſitionibus certarum rerum exteros ex cauſâ publicâ jure præcludentibus, tum quaſdam etiam res in rempublicam invehi vetantibus, invectas verò, ſeu importatas fiſco addicentibus, capiendum eſſe, per ſe patet. Nimirum demonſtrata à nobis propoſitio, ſicuti leges generales aliæ plures, in caſibus, & ſub circumſtantiis ſpecialibus, juſtas ſuas haud rarò limitationes patiuntur.

§. 29.

*Jus Albinagii*, ſeu *Peregrinitatis* dicitur lex, ſeu conſtitutio, vigore cujus exteri à ſucceſ-

ſucceſſionis, & teſtamenti factionis activæ jure excluduntur, eorumque bona fiſco vindicantur (a); Enimvero ejusmodi excluſio, atque de bonis ſuis diſponendi adempta facultas, officiis Gentium humanitatis erga exteros repugnat (§. 27. & 28.); Jus igitur Albinagii cum Jure Gentium haud conſiſtere liquidò apparet.

COROLLARIUM. Quoniam Mercatores citra magnum bonorum in- aut exportandorum apparatu in terris exteris vix ac ne vix conſiſtunt; hæc verò poſt obitum eorundem fiſco cedere, admodùm durum, & commercantes è finibus territorii arcere aptum ſit, Jus Albinagii commerciis præterea inimiciſſimum eſſe pateſcit (Cap. IV. §. 6.).

SCHOLION. Factum inde, ut floris commerciorum conſervandi gratiâ pactis mutuis ſœpè limitatum, aut cum vicinis quibusdam populis prorſus ſublatum fuerit (a). Qui æquitatem ejusdem ex Jure Romano demonſtrare contendunt, in vitium petitionis principii incidunt; aut Jura Romana ſiniſtrè ſaltem applicant.

§. 30.

Exteri legibus loci, quatenus ſecuritas publica civiumque ſalus id poſtulat, obligantur



(a) Domat Traitè *Des Loix civiles dans leur ordre naturel* Tom. I. p. 390.

(b) Domat cit. l. Tom. I. §. III. p. 326. dans les notes.

gantur (§. 16.); Quare, cum leges pœnales vel maximè ſecuritatis publicæ causâ ferantur, iisque exteri quoque ſubjaceant (§. 17.); eosdem, dum in alieno ſolo delinquunt, juxta leges loci, ubi delinquunt, judicandos, atque puniendos eſſe, extra controverſiam eſt.

COROLLARIUM. Siquis igitur exterus in Saxoniâ e. g. adulterium committeret, is haud dubiè pro re natâ pœnâ mortis afficiendus foret.

SCHOLION. Limitationes quasdam circa Legatos charactere repræſentatitio gaudentes infra Lib. V. adjicimus.

§. 31.

Porro, quum pœnæ in crimina ſtatutæ à populis quoque exteris, cœteris paribus (§. 7. Schol.), pro legitimis agnoſcendæ ſint (§. 2. & 3. & 7.); conſequenter iis obnoxius habendus ſit, quisquis in territorio delinquit (§. 30.); præterea executioni easdem in loco delicti admiſſi mandari, fini pœnarum vel maximè congruat; delinquentes ad locum delicti remittendos, ibidemque juxta leges loci, ubi crimen admiſſum, in eosdem animadvertendum eſſe, nemo dubitat.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Multò magis ſi inquiſitio in loco delicti jam cœpta fuerit. Sed quid, ſi populus, apud quem quis deliquit, recipere delinquentem nolit? Reſpondeo, reum tunc in loco deprehenſionis condemnandum, pœnâque, quâ in loco delicti admiſſi ſe obnoxium fecit (30.), plectendum eſſe; niſi aut nimia pœnæ durities, levitasve, aut circumſtantiæ contrarium jubeant.

§. 32.

Rerum judicatarum auctoritas ubivis, etiam apud populos exteros conſiſtit (§. 11.); lata itaque contra ſuccumbentem ſententia in causâ civili actionem rei judicatæ tam extra, quàm in territorio producit.

§. 33.

Ulteriùs, juſtitiæ æqua adminiſtratio ubivis locorum procuranda, Gentes ex ſocialitatis, atque humanitatis communi lege (Lib. I. Cap. II. §. 7. & 12. item Lib. II. Cap. I. §. 7.), ad mutua ſibi auxilia, ſubſidiaque etiam hìc præſtanda obligat; Probationes igitur ùt ritè perficiantur, acta & inſtrumenta publica mutuò communicanda, teſtes examinandos, aut, ut in foro actionis vel inquiſitionis inſtitutæ examinentur,



Digitized by Google

atque confrontentur, reciprocè ſiſtendos, aliaque juſtitiæ adminicula promptè ſubminiſtranda eſſe, patet.

SCHOLION. Hunc quoque in cenſum reorum fugitivorum in territorio alieno indultam perſecutionem, nec non ex comi humanitatis officio ſuſceptam ſolertem eorundem indagationem referas.

§ 14.

Quòd verò præſtationem horum officiorum humanitatis requiſitio præcedere debeat, facienda ab eo, qui exhiberi ſibi illa deſiderat, populo, tum ex dictis hucusque colligitur, tum infra (Cap. 8. §. 10.) uberiùs demonſtrabitur. Res nimirum periculoſa eſt, connivere, ut vicini jure velut ſuo ac perfecto, propriâque ſponte intra fines limitesque territorii actum Imperii, & Jurisdictionis exerceant.

SCHOLION. De Regalibus Juribus, quæ dicenda reſtant, ea Libro ſequenti Cap. I. reſervamus.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT VI.

## DE OFFICIIS GENTIUM HUMANITATIS CIRCA SIGNA EXTERNA AMORIS ATQUE HONORIS MUTUO SIBI EXHIBENDIS.

§. 1.

GEntes repræſentant perſonas ſimplices in ſtatu naturali viventes (Lib. I. Cap. I. §. 5.); mutuò igitur ſeſe amore proſequi perinde obligantur (a). Enimverò, qui alterum amat, ex felicitate ejusdem gaudium, ex infelicitate verò tædium atque triſtitiam percipit (b); Gentes itaque ad percipiendam ex eo, quod cuique proſperum accidit, voluptatem ac gaudium, ex eventibus autem ſiniſtris, ut tædio ac triſtitiâ afficiantur, obligari, evidens eſt.

SCHOLION. Loquimur de Gentibus bello juſto haud implicitis; licet nec hic ſtatus amorem mutuum, ejusque effectus prorſus excludat, veluti Lib. IV. oſtenſuri ſumus.



(a) Illuſtr. Wolf. Moral. §. 774. ſeq.
(b) Idem *Pſychol. Empir.* P. II. Sect. I. C. III. §. 640. ſequ.

§. 2.

De amore ſociali, ſive promptitudine mutuâ ex alienâ felicitate voluptatem & gaudium, viciſſimque ex alterius miſeriâ dolorem ac tædium percipiendi, ut perſuaſi invicem, certique ſint populi, ad ſocialitatis exactam cuſtodiam (Lib. I. Cap. II. §. 13.) plurimùm refert; felicitas igitur Gentium aliarum pro virili non promovenda ſolùm, atque ita re ipsâ conteſtandus amor, ſed ſignis præterea externis ſignificandus, id eſt, efficiendum erit, ut ſtatus animi in fortunâ alterius proſperâ non minùs, quâm adversâ, ceu amoris effectus (§. 1.), reciprocè innoteſcat.

§. 3.

Ex fortunâ, eventibusque ejus, quem amamus, proſperis affectus lætitiæ ac voluptatis enaſcitur (§. 1.); Populis itaque, qui fortunâ utuntur proſperâ, quibusque ex rebus benè geſtis aut aliunde inſignis quædam felicitas obtingit, gaudium atque lætitiam inde hauſtam Gentes amicæ ſignificare tenentur (§. 2.).

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM. *Gratulamur* alteri, quando eidem gaudium noſtrum de rebus ejusdem proſperis cum voto perdurationis non interruptæ ſignificamus; Quod ſi igitur Gentes amicæ inſignis victoriæ palmam retulerint, ſi provinciam urbemque munitam ab hoſte ceperint, aut recuperârint; ſi poſt bellum diuturnum optatam pacem concluſerint; præſertim verò, ſi quando in regiminum formis Monarchicis, mixtisve ex Monarchiâ ſummus Imperans ſucceſſionis jure regimen terrarum capeſſiverit, aut electionis viâ ad hoc faſtigium evectus fuerit, nec non coronationis, aut ſacri regii, nuptiarumve feſtiva ſolemnia celebrârit; vel etiam, ſi ex juſto conjugio regni terrarumque heredem indeptus fuerit, à Gentibus vicinis amicis hauſtam inde lætitiam cum voto perrennaturæ continuationis Monarchæ, ſeu populo ſignificandam, id eſt, gratulandum eſſe pateſcit.

SCHOLION. Idque ſive literis, ſive miſſis eum in finem nuntiis, verborum interpretibus, de quibus Lib. V. uberiùs agendum erit.

## §. 4.

Quumque ex eventibus adverſis, atque ſorte amici ſiniſtrâ tædio ac triſtitiâ ſuffundamur (§. 1.); his quoque caſibus dolorem atque triſtitiam, ceu amoris effectus (§. 2.), Gentibus adversâ utentibus fortunâ ſignificare, eadem humanitatis ratio inculcat (d. §.).

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM. *Condolemus* alteri, quando eidem dolorem atque triſtitiam noſtram ex fortunâ ipſius adverſâ hauſtam cum voto, ut D.T.O.M. eundem imposterum à calamitatibus ejusmodi immunem ſervare velit, eâ, quâ in §. praeced. diximus, ratione ſignificamus; Quapropter, ſi Gens amica infauſto prælio ſuccumbat; fortalitium, aut provincia ab hoſte occupetur; tum potiſſimùm in Monarchiis, conjux fortè aut proles regia moriatur, ipſeve Monarcha è vivis abeat; vel aliâ quacunque alicujus momenti calamitate prematur, populo ſeu Monarchæ condolendum, animique mæſtitiam inde ſubnatam à Gentibus amicis declarandam eidem eſſe, amori, ſocialitatisque legibus apprimè convenit.

SCHOLION. En fontem legationum, quas vocant honorificas, *des ambaſſades d'honneur, de rejouiſſance, & de condoleance*; queis unicè ferè in defungendis hiſce humanitatis officiis inter Gentes & populos locus eſſe dignoſcitur.

§. 5.

*Honorat* alterum, qui perfectiones ejus agnoſcit, verumque iisdem pretium morale ſtatuit; unde *honorem* rectè definimus, quod ſit judicium de perfectionibus alterius, earundemque valore ac pretio morali.

SCHOLION. Sic virum ſcientiis clarum honorat, qui, quantùm in illis profecerit, diſtinctè intelligit, indeque, quæ ejusdem ſint merita, dijudicat.

§. 6.

§. 6.

Gentes ſibi reciprocè præſtare obligantur, quidquid ratione qualicunque ſibi mutuò debent, uti ex generali juſtitiæ notione dilucidè pateſcit (Lib. I. Cap. II. §. 19. & 21. Item Lib. II. Cap. I. §. 6.); Enimverò inter debita quoque, juris minimùm imperfecti, honorem quoque mutuò exhibendum pertinere, vel inde colligere licet, quod æquum is cujusque perfectionibus pretium ſtatuat atque, ni aliud obſtet, in effectu tribuat; conſequenter reciprocè ſeſe honorantium felicitas inſigniter inde promotum eatur; quapropter Gentes ad honorem ſibi mutuò tribuendum obſtrictas eſſe, manifeſtò liquet.

SCHOLION I. Citra pactum tamen, uſumque longævum vim pacti habentem, non niſi imperfecto, ſeu humanitatis jure. Quum enim honor in honorante ſit (§. 5.), atque quantum morale intrinſecum perfectionesque honorati in ſe nec augeat, nec minuat, eundem mediis violentis extorquere, hujus officii ratio haud patitur; quippe hoc ipſo indignum quodammodo ſe honore præbet, qui in externâ perfectionum ſuarum agnitione præcipuum pretium poneret. Aſt aliud tamen de læſionibus honoris dicendum eſſe, Lib. IV. monſtrabimus.

SCHOLION II. Ex eo tamen, quod ex honoris pro condigno ac meritis (§. 5.) præſtatione eximia felicitati noſtræ incrementa accedant, in officia non æqui tantùm, ſed & juſti latè ita dicti, impingunt, qui debitum aliis honorem haud tribuunt; juſtitiæ ſiquidem generalis notio (Lib. I. Cap. II. §. 10.) ad utraque, perfecta ſcilicet, & imperfecta Gentium officia pertinet (Lib. I. Cap. II. §. 19.). Ut peculiares, quæ pro honore aliis tribuendo rationes militant, ſilentio prætereamus.

§. 7.

Socialitatis inter Gentes ſuis numeris abſoluta cuſtodia inter maximas populorum perfectiones meritò reputatur, utpote in quâ communis populorum ſalus ac tranquillitas vertitur (Lib. I. Cap. II. §. 13. & 14.). Honoris itaque inter Gentes haud poſtremum fundamentum in ſocialitatis cuſtodiâ, ejusdemque officia adimplendi tum aptitudine, tum promptitudine conſiſtere, facilè colligitur.

§. 8.

Porro, quem Gentes ſibi mutuò exhibent, honor vel *internus* eſt, vel *externus*. *Ille* in judicio animæ interno conſiſtit, nec alius

Digitized by Google

alius eſt, quàm quem (§. 5.) definivimus. *Externum* actus abſolvunt, quibus judicium illud animæ internum atque valorem quanti moralis alteri ob perfectiones ſuas debiti palam conteſtamur.

COROLLARIUM. Gentes ad exhibendum ſibi mutuò honorem obligantur (§. 6.); quare tam honorem internum, quàm externa ejus ſigna ſibi exhibere obſtrictas easdem eſſe liquet.

SCHOLION. Signa honoris externa reciprocè inter Gentes declaranda, ſummi quoque Imperii, quo quilibet populus intra fines territorii ſui inſtructus eſt, ſplendor, atque majeſtatis rationes politicæ efflagitant.

§. 9.

Populi ſeu Gentes, quod determinationes generales, atque eſſentiales in ſtatu earundem obvias attinet: nimirum, quod independentes ſint, ſummoque omnes Imperio polleant (Lib. I. Cap. I. §. 1.), æquales ſunt (Cap. I. §. 17.); eatenus igitur iisdem gaudent perfectionibus: in quibus, quum honoris alteri tribuendi ratio deprehendatur (§. 5.), Gentes quoad has ſtatûs ſui



Digitized by Google

determinationes & ſublime decus æqualiter honorandas eſſe, nemo dubitat.

§. 10.

Enimverò, quominus Genti uni perfectiones inſint, quæ penes aliam haud occurrunt, minimè implicat (Lib. II. Cap. I. §. 18.); Has itaque cum *prærogativas* dicamus, ob prærogativas Gentes quasdam præ aliis, quæ iisdem deſtituuntur, honorandas magis eſſe, ex ipsâ honoris definitione (§. 5.) colligimus.

COROLLARIUM. Prærogativæ, quò majores fuerint, eò extantiora quoque ad manifeſtandum honorem ſigna adhibenda eſſe liquet (§. 8. Coroll.).

SCHOLION. Quoniam prærogativas morales Genti uni præ alterâ tribuere, res valdè invidioſa eſſe intelligitur, utpote, quæ in offenſam populi unius aut alterius facilè abire poteſt; in decernendis populo uni præ altero prærogativis Gentes cautas eſſe convenit. Quod ſi tamen prærogativis haud mediocribus Gens una præ alterâ actu effulgeat; eæ quominus in effectu quoque ab aliis agnoſcantur, meritumque iisdem decernatur pretium (§. 5.), faſtus fortè & arrogantia tertii cujusdam obſtare nequit; Honorantis eſt de debito alteri honore ſtatuere (§. 5.); quidni igitur ob prærogativas majores, major quoque uni præ altero exhibeatur?

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Signa honorum externa partim in titulis, ſummi Imperii, atque formarum regiminis ſymbolis; partim in actibus aliis externis conſiſtunt, queis judicium de alterius Gentis perfectionibus, earumque quanto morali manifeſtant populi; Titulos igitur honorum, ſignaque alia externa, ceu eorumdem ſymbola, perfectionibus populorum tum æqualibus (§. 9), tum inæqualibus, nec non prærogativis (§. 10.) attemperanda eſſe, extra controverſiam eſt.

SCHOLION I. Queis honorum titulis, nec non ſignis Gentes, atque populi actu inter ſe utantur, tum ex hiſtoriâ, tum ex conventionibus publicis, atque uſu & obſervantiâ pleniùs diſcendum. Plerumque conventionibus populorum, atque obſervantiâ hæc honorum ſolemnia determinantur; veluti in iis omnibus fieri aſſolet, quæ colliſionibus nocivis anſam facilè dare apta ſunt.

SCHOLION II. Licet autem officia Gentium pleraque circa externa honorum ſigna in officia neceſſitatis ita migrent, (Cap. VIII. §. 2. ſeq.): eorum tamen fontes, atque fundamenta perveſtigâſſe haud piget; præcipuè, quum in dubiis titulorum ac præeminentiarum controverſiis decidendi rationes aliunde, quàm ex Jure Gentium naturali repeti haud valeant.



Digitized by Google

§. 12.

Ad externa quoque honorum ſigna ordo in ſedendo, eundo, ſtando, ſubſcribendo, aliisque ſolennitatibus obſervandus pertinet, quem generali *Proëdriæ*, ſeu *præcedentiæ* nomine efferunt.

COROLLARIUM. Conteſtationes, atque ſigna honorum externa perfectionibus attemperanda ſunt (§. 11.), hæ itaque, ubi æquales fuerint, jus ſeſſionis inter Gentes populosque æquale obtinebit; Sin inæquales, ſeſſionis atque præcedentiæ ordo juxta prærogativas cuivis populo proprias determinandus veniet (§. 10. Coroll.).

SCHOLION. At enimverò, quis ita collocabit populos? Quis perfectionum atque prærogativarum æquum calculum ſic ſubducturus eſt, ut citra offenſam Genti uni præ alterâ Proëdriæ atque præcedentiæ jus adſignare præſumpſerit? Status æqualitatis, in quo Gentes juxta ſe vivunt (Cap. I. §. 17.), prærogativarum ferè impatiens eſt; & ſiquando populo quædam inſunt (ibid. §. 18.), eas tamen agnoſcent quàm difficillimè, qui majeſtate æquales, potentiâ haud adeò diſcrepant. Quæ difficultates tanti momenti viſæ ſunt nonnullis, ut Gentes populosque omnes æqualiter prorſus naturâ honorandos eſſe ſtatuerint; nec ullis inter eosdem prærogativis, ceu præcedentiarum fundamentis, locum reliquerint (a). Aſt perperam, meo quidem judicio: Licet enim, quæ Genti-

(a) Puffendorf. J. N. & G. Lib. VIII. §. 17. ſeq.

Digitized by Google

Gentibus naturâ inſunt perfectiones & prærogativæ (§. 10.), nòn niſi jus præcedentiæ imperfectum tribuant (§.6.Schol.), ad præcidendas colliſiones & diſceptationes, in caſibus individualibus pactis, atque conventionibus mutuis ulteriùs determinandum, hoc ipſum tamen Jus Gentium naturale definiendo proëdriæ juri rationes ſubminiſtrat haud contemnendas; quibus ritè, ac pacato animo, citraque philautiæ aut invidiæ ſtimulum diſcuſſis, Gentes inter ſe de prærogativis (§. 10.), conſequenter de præcedentiæ quoque, ac ſeſſionis ordine ſtatuere poſſunt. Nos impræſens rationes proëdriæ, quas Jus Gentium naturale ſuggerit, expendimus, quid pactis in ipſis rerum momentis definitum, hiſtoricæ diſquiſitioni relinquentes.

§. 13.

Gentes, quæ amplitudine terrarum, copiis & manu militari, divitiis atque opibus reliquas præcellunt, ad finem ſocietatis civilis, ſecuritatem ſcilicet atque tranquillitatem communem procurandam, uti & auxilia vicinis præſtanda, debellandósque hoſtes validiores longè, atque aptiores exiſtunt iis, quæ virium, atque mediorum ſufficientium defectum patiuntur; perfectionibus igitur atque prærogativis præ aliis populis pollent (§. 10.); atque adeo, qui potentiores

res aliis atque validiores ſunt, præferendos venire populos, iisdemque jus Proëdriæ adjudicandum eſſe conſtat.

SCHOLION I. Adde: quod populorum atque Gentium potentia naturaliter velut metum quendam reverentialem aliis inſpiret, atque, ne Proëdriæ prærogativa potentioribus facilè in controverſiam vocetur, efficiat.

SCHOLION II. Suas nihilominus regula exceptiones patitur, hiſtoricis plerumque & politicis rationibus ſubnixas (§. ſeq.). Quid enim, ſi populo prævalenti olim potentiâ ac viribus hanc ipſam ob cauſamGentes reliquæ loco tum ceſſerint? Hic, licet amplitudine terrarum atque robore militari poſtea inferior fortè evaſerit, Proëdriæ tamen multo ſæculorum uſu quæſito jure vix ceſſurus eſt, præſertim ſi monarchicâ regiminis formâ regatur, atque ita Monarcha in continuâ præcedentiæ poſſeſſione permanſerit. Quod itidem diverſitas formæ regiminis, ut loco cedat potentior, in causâ eſſe poſſit, ex §. ſeq. eluceſcet.

§. 14.

In formis regiminum monarchicis, aut mixtis ſaltem ex monarchiâ tota reipublicæ poteſtas, nec non perſonæ moralis, quam repræſentat (Lib. I. Cap. I. §. 5.), unitas in Monarchâ, ceu typo, comparet, atque majori longè

Digitized by Google

longè luſtro ac decore, quàm in democraticis aut ariſtocraticis regiminum formis ſeſe oſtentat, atque hanc ipſam ob cauſam majorem ſui venerationem in mentibus, vicinorum non minùs populorum, quàm ſubditorum concitat. Habent præterea formæ regiminis monarchicæ in juribus, ſimilibusque territorii fines egredientibus, belli ſcilicet pacisque negotiis, haud exigui momenti prærogativas, queis polyarchicæ regiminum formæ aliæ ferè carent; Monarchas igitur, id eſt, populos formis regiminis monarchicis gubernatos, cœteris paribus, Gentes alias præcedere, potiorique ab his loco habendos eſſe, ex demonſtratis (§. 10. Coroll.) planum evadit.

COROLLARIUM I. Unde Imperatores, Reges, ſimilesque Monarchæ præ rebuspublicis liberis in ſpecie ita dictis priorem locum jure obtinent.

COROLLARIUM II. Id quod tum etiam locum ſibi vindicare intelligitur, quando populus liber regem atque Monarcham ſibi præficit. Quidni enim in cœtu confœderatorum digniorem jam locum occupet, qui antea cedere tenebatur reliquis? diſſentiente licet Grotio (a), ex facto magis, quàm ex intrinſecis rationibus regulam extruente (Schol. ſeq.).

R SCHO-

(a) J.B.&P. Lib. II. Cap. IX. §. 8.

SCHOLION. Cœteris paribus dixi, & niſi amplitudo terrarum ac potentia reipublicæ democraticæ aut ariſtocraticæ præpondium addat; veluti in Republicâ Romanâ exemplum luculentiſſimum nobis antiquitas exhibet. Quidquod poſſeſſio antiqua temporumque rationes multa ſœpe peculiaria inducant. Quid ſi enim ex monarchicâ in democraticam aut ariſtocraticam regiminis formam fortè conceſſerit populus? hoc caſu, manente priore virium robore ac potentiâ Regi aut Monarchæ, cui antea præferebatur, loco cedere, durum fors ac difficile videbitur: & viciſſim. Quæ, ut & alia multa, in ipſis rerum momentis curatè penſitanda iterum iterumque inculcamus.

## §. 15.

Inter populos potentiâ æquales, iisdemque rectos regiminum formis antiquitatis regnorum & rerumpublicarum, meritorum & præclarè geſtorum, moratioris atque cultioris vitæ, aliarumque virtutum, ſi quando de determinando loco honorificentiori quæſtio vertitur, computum quoque ineundum eſſe, ex antecedentibus haud dubiè elucescit (§. 10. ſeq.).

SCHOLION. Si nimirum populos ponas, qui meritis ac prærogativis verum ſtatuere pretium nôrint (§. 5. & 6.), nec affectibus abrepti, non niſi ſua laudibus digna, eximiaque reputent.

§. 16.

Digitized by Google

§. 16.

Proëdria, atque præcedentia Genti uni præ alterâ attributa ad ſigna externa honoris pertinet (§. 12.); quæ, quum pro modulo perfectionum, meritorum ac prærogativarum ab honorante definienda ſint (§. 10.), Populo intra ſui minimùm territorii limites de honorum ſignis externis, conſequenter de ſedendi quoque ac eundi ordine ſtatuendi poteſtas dubia reddi nequit.

SCHOLION. Diſſentit Wicquefortius (a). Aſt ſine ſolido fundamento; Etenim, quem domi meæ alteri ego locum aſſignare velim, liberum utique mihi eſſe deber, niſi aut lege publicâ, aut pacto ſedendi utrinque ordo definitus fuerit. Quare aliud quoque tum dicendum erit: ſi populus aliquis aut pacto præcedentiæ Jus præ altero obtinuerit, aut in longinquâ ejusdem poſſeſſione ſit: tum namque citra offenſam locus eidem honorificentior negari haud poterit. Interim ex hâc populorum Proëdriam in ſuo territorio decernendi facultate intelligimus, quur ſeſſionis ordo in omnibus regnis, inter eosdem etiam, idem haud obſervetur; E. g. quod in Aulâ Imperatoris Rex Hiſpaniæ Regi Galliæ præferatur, qui in aliis Regnis atque Rebuspublicis ferè antecedit. Quod

R 2 porro

(a) Traitè *de L' Ambaſſad. & ſes fonctions* Lib. I. Sect. 22. pag. 308.

porro in proprio territorio populo extero pro qualitate repræſentantis locus honorificentior relinquendus ſit, humanitatis non minùs, quàm hoſpitalitatis officia innuunt (Cap. VII. §. 12. ſequ.).

§. 17.

Gentes ſive populi in publico conventu inter ſe ceu in territorio nullius conſtituti, & veluti perſonæ in ſtatu naturali viventes (Lib. I. Cap. I. §. 5.) conſiderantur; quo igitur inter ſe ordine ſedere, aut ire debeant, ex ſtabilitis hucusque fundamentis ab ipſis populis definiendum erit; Ac proin, prior ei relinquendus locus veniet, qui potentior, aut in ipſâ fortè regiminis formâ prærogativâ præpollet; atque ita porro.

SCHOLION I. Verùm, cum ejus rei definitio plurimis obſita ſit difficultatibus, ad conventiones, pacta, & obſervantias recurritur: queis deficientibus, citra ſeſſionis atque ordinis prærogativam, aut præjudicium loca ex condicto ſubin occupantur; aut pro re natâ interpoſitis proteſtationibus Jura Proëdriæ conſervantur.

SCHOLION II. Quodſi Proëdriæ Jus pacto, atque adeò jure perfecto (Cap. I. §. 1.), quæſitum fuerit; iisdem, quibus iura perfecta alia, mediis & conſervari, & defendi idem poſſe, expeditum eſt.

§. 18.

Digitized by Google

§. 18.

Quoniam porro honorum tituli perfectionibus ac prærogativis adaptandi ſunt (§. 11.); potentioribus quoque populis majores honorum ac majeſtatis titulos tribuendos eſſe liquet.

COROLLARIUM. Quumque Monarchæ reſpublicas in ſpecie ita dictas cœteris paribus antecedant (§. 14.), hos quoque præcellentioribus majeſtatis titulis atque encomiis mactandos eſſe conficimus.

SCHOLION. Heic rurſus in uſum obſervantiamque præſentem veniendum, quæ à regulis hiſce deviantia multa hinc inde inducere apta eſt, tempori, pactis, aliisque circumſtantiis pluribus in acceptis ferenda.

§. 19.

Gens quælibet ab alterâ independens quum ſit, titulos quoque, tum regiminis formæ, tum potentiæ, reliquisque prærogativis congruos, quin jure, proprioque arbitrio aſſumat, dubitari nequit.

SCHOLION. Modò ne jura & prærogativas populi alterius lædant; quo caſu juſtam utique contradictionem paterentur.

§. 20.

Ex eo tamen, quod honorare alterum, conſequenter externis quoque honorum ſignis eundem condecorare, meri ſit Juris humani (§. 6. Schol.), agnitio axiomatum regiorum, atque aliorum titulorum jure perfecto ab aliis populis peti nequit.

SCHOLION. Unde qui tales aſſumunt monarchæ, aut populi, ut ab exteris quoque agnoſcantur, literis, miſſisve legationibus impetrare ſolent. In quo potentiorum agnitio multùm ponderis habere dignoſcitur, utpote quorum exemplum imitari reſpublicæ minùs potentes vix ac ne vix detrectaturæ ſunt. Exemplum habuimus in Rege Boruſſiæ, qui impetratâ ab Imperatore axiomatis regii agnitione, apud reliquas Gentes ut idem obtineret, haud multùm difficultatis invenit (a).

CA-

(a) Vid. Illuſtr. D. à LUDEWIG. *De Jure appellandi Reges.* Opuſc. Tom. I. Opuſc. I.

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## DE RELIQUIS QUIBUSDAM OFFICIIS GENTIUM HUMANITATIS, UTILITATIS PRÆSERTIM INNOXIÆ.

§. 1.

U*Tilitatem innoxiam* hic dicimus, quæ citra præſtantis incommodum aut moleſtiam ab aliis ex re noſtrâ percipitur; quæ verò talem præſtare aptæ ſunt, *res utilitatis innoxiæ* nuncupantur.

SCHOLION. Innoxias igitur intelligimus utilitates, non quatenus à domino ſeu proprietario perceptæ, aliis noxam nullam inferunt, ſed quatenus aliis præſtitæ, præſtantem indemnem relinquunt. Unde utilitatis innoxiæ vocabula in ſignificatu, à nativâ ſuâ notione nonnihil declinante, accipi pateſcit.

§. 2.

Qui res utilitatis innoxiæ alteri præſtat, officia humanitatis (Cap. I. §. 5.), & quidem vulgaria (ibid. §. 9.) eidem exhibet; Enimvero officia humanitatis Gentes ſibi mutuò exhibere obſtrictæ ſunt (ibid. §. 6.), eas-

Digitized by Google

eaſdem igitur ad res quoque & officia utilitatis innoxiæ ſibi mutuò præſtanda obligari, manifeſtum eſt.

§. 3.

Rerum atque officiorum utilitatis innoxiæ præſtatione Gentibus aliis eadem exhibentibus nihil emolumenti decedit, nec damnum obvenit (§. 1.); quod ſi igitur denegentur, denegationis hujus atque intermiſſæ præſtationis ratio in utilitate propriâ præ alienâ promovendâ haud deprehenditur; quum tamen aliquam ſubeſſe neceſſe ſit (a); eadem aut in defectu ſocialitatis, aut in odio atque invidiâ erga Gentes alias ponenda erit; denegata itaque rerum ac officiorum utilitatis innoxiæ præſtatio aut ſocialitatis (Lib. I. Cap. II. §. 13.) defectum, aut odium, invidiamque in præſtare eadem renuente arguit.

COROLLARIUM. Socialitate, amoreque erga proximum omni vacui *Miſanthropi*, ſeu oſores generis humani nuncupantur; quare qui officia & res utilitatis innoxiæ aliis denegant populi, in claſſem Miſan-

(a) Illuſtr. Wolf. *Philoſoph. prim.* §. 70.

Miſanthroporum, atque oſorum generis humani, quin & barbarorum in ſublimiori quodam gradu (Cap. I. §. 11.), rectè referuntur.

§. 4.

Qui ſpretis omnibus ſocialitatis atque mutui amoris (Cap. VI. §. 1. ſeq.) officiis nullam egentibus opem, aut innoxium (§. 1.) etiam auxilium ferunt, pro ſociis haberi nequeunt (Lib. I. Cap. II. §. 12. Schol.); Quapropter ſocialitatis quoque officiis reciprocis indignos eosdem jure reputari, nemo abnuet.

SCHOLION. Per modum ſcilicet juſtæ tallonis, quâ in monſtra ejusmodi generis humani animadvertendum eſſe, ipſa ſana ratio inculcat; quò nimirum ſuo edocti damno ad meliorem frugem & ſocialitatis comem obſervantiam redire compellantur.

§. 5.

Quum itaque innoxiæ utilitatis res atque officia negare petentibus, fœdum adeò, naturâque humanâ prorſus indignum vitium eſſe appareat, promptè eadem aliis exhibenda eſſe, novâ ratione eluceſcit (§. 3.).

SCHOLION. Quæ autem ad res & officia utilitatis innoxiæ referenda ſint, ex peculiari officiorum naturâ, nec non circumſtantiis definiendum. Id certum, ad omnia Gentium negotia eadem ſeſe protendere, ita ut, tam quæ hucusque elucidavimus Gentium officia, quàm illa, quorum rationes in ſequentibus perquirimus, pro re natâ in hunc cenſum referri haud implicet; quin, nec belli tempore omnem officia humanitatis aliis præſtandi obligationem ceſſare, neque noxiam ſemper eandem eſſe, ex dicendis Lib. IV. palam fiet.

§. 6.

Uſum viarum publicarum populis exteris tum commerciorum exercendorum (Cap. IV. §. 3. & 17.), tum ſcientiarum atque artium excolendarum (Cap. III. §. 11.), aliorumque negotiorum perficiendorum causâ concedere, res regulariter eſt innoxiæ utilitatis, uti per ſe intelligitur; earum igitur uſu qui Gentes exteras excludunt populi, regulariter vitii turpiſſimi, defectûs ſcilicet ſocialitatis & amoris, nec non barbariei craſſiſſimæ (§. 3.) reos ſe faciunt.

SCHOLION I. Regulariter: innoxium enim utrùm aliquid habendum, ex circumſtantiis variis locorum & temporum dependet; quæ ſi ita comparatæ ſint, ut præſtatio illa noxia eſſe incipiat, & cum

cum gravi præſtantis damno conjuncta, aliud ſtatuendum eſſe, res ipſa loquitur.

SCHOLION II. Quodſi reparationes, atque conſervationes viarum, & pontium, nec non ſecuritas commeantibus præſtanda impenſas eam ob cauſam faciendas requirant; gratuitus quidem viarum uſus ut concedatur, neceſſe haud eſt (a); ſoluto tamen vectigali, pontagio aut pedagio, qui permittitur viarum publicarum uſus, eundem adhuc ad res utilitatis innoxiæ referendum eſſe, facilè colligitur. Quo verò jure vectigalia pro tranſitu rerum ac perſonarum peti queant, in Jure Publico univerſali inquirimus.

§. 7.

A viarum uſu *Tranſitus* veluti ſpecies à genere differt; idque nominis uſui viarum ex uſitatiori loquendi formulâ tum tribuimus, quando per territorium alienum intermedium ad terras ſive noſtras, ſive alienas commeamus; atque adeò viâ Gentis alterius ceu medio, ad deſtinatum locum alium pergendi, utimur; Quodſi igitur tranſitum innoxium eſſe compareat, non magis, quàm viæ uſus citra inhumanitatis (quam diximus §. 6.) notam denegari poterit.

S 2 SCHO-

(a) Grotius de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 13.

SCHOLION. Secùs, ſi populo grave inde damnum, aut periculum impendeat; ſiquidem concedendi hujusce uſûs tum ratio ceſſat (§. 3.); veluti ſi armati, ſi in magnâ nimis copiâ, ſi contagione infecti populi tranſitum expoſcant; Si quando ex ejusdem conceſſione bellum Genti ab aliis populis immineat; & quæ ſunt aliæ rationes plures, propter quas exteri à finibus populi cujusdam juſtè arcentur: de quibus pluribus agendi campus infra Lib. IV. ſeſe offeret.

§. 8.

Quum eadem ſit navigationis in flumine ratio, idem quoque circa uſum ejusdem innoxium, intra fines territorii alieni ex humanitatis lege (§. 3.) indulgendum, ſtatuendum eſſe liquet, quod de uſu viæ publicæ atque tranſitu innoxio demonſtravimus (§. 6. & 7.).

SCHOLION. Obſervanda tamen hìc quoque erunt, quæ (cit. §§.) in Scholiis monuimus. Scilicet ſicut juſtæ ſæpiùs, exteros ab ingreſſu territorii qualicunque ratione ſuſcipiendo arcendi, cauſæ ſubſunt (d. §§.), ita ſtatuta ac leges rerumpublicarum tum floris commerciorum, tum aliarum utilitatum gratiâ multa peculiaria hinc inde inducunt (Caput IV. §§. 10. & 11.).

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Ad commercia mutuò exercenda Gentes atque populi obligantur (Cap. IV. §. 3.); Quod ſi igitur certi generis rebus Gens aliqua affluat, easque commutare cum vicinis ſoleat, aut ſine damno, quin cum emolumento queat; hoc caſu commercandi, id eſt, permutandi, emendi vendendique facultatem exteris indulgere, ad res innoxiæ utilitatis (§. 1.) pertinere, nemo dubitat; quare barbariei atque inhumanitatis fœdiſſimæ labem haud effugient populi, qui commerciorum libero atque innoxio uſu vicinos arcent.

SCHOLION. Cur verò hâc quoque libertate populi ſubin excludantur, rationes ſubeſſe queunt graviſſimæ. Quid ſi enim commercia quædam publico civitatis bono nociva eſſe deprehendantur? Quid ſi è regionibus contagione infectis merces aſportentur? Quid ſi populo aut civitati cuidam jus privativum, certi generis merces cum excluſione aliarum Gentium emendi, vendendive, pacto quæſitum (Cap. IV. §. 5. Schol.) &c.

§. 10.

Ulteriùs inde conficimus, quod ab Emporiis, portubus maritimis atque littoribus

arceri naves ac Gentes exteræ ſalvis iis, quas demonſtravimus (§. 3. & 5.), humanitatis legibus nequeant; potiſſimùm, ſi nonniſi innoxiæ humanitatis officia ſibi præſtari cupiant, & vel navium reparandarum, retium exſiccandorum, aquæ hauriendæ, annonæ aliorumque victualium pretio numerato comparandorum ergò, ad oras, littoraque appulerint.

SCHOLION. Recuſari tamen appulſus aut acceſſus cauſæ juſtæ ſi Genti fuerint, ſecus ſtatuendum eſſe, ex antecedentibus liquet; Cogita hoſtes eſſe, qui hoſtili fortè animo terras ingredi meditantur; Cogita è locis contagioſis venire naves, ſimiliave malorum impendere pericula.

§. 11.

Receptum dare, atque intra fines territorii recipere, quos vis major, invaſiones hoſtiles, incendia, inundationes, religionis & ſacrorum dempta libertas patrium vertere ſolum compulêre, communis miſeriæ ſenſus (Cap. I. §. 20.), atque vulgaria humanitatis officia inculcant (ibid. §. 5.); Quapropter, ſi innoxium tantummodò aſylum

lum, receptumque efflagitent, barbarorum, atque miſanthroporum fœdum nomen (§. 3. Coroll.) meritò in ſe derivabunt, qui afflictis addendo afflictionem, à finibus territorii miſeros illos repulerint populi, atque neceſſaria iisdem vitæ ſubſidia denegârint.

SCHOLION. Enimverò & his caſibus morbos contagioſos, ſacrorum diverſitatem, mores depravatos, atque profugorum vitia, propriæ civitatis indigentiam, nec non his ſimilia, profugos, finibusque pulſos ab ingreſſu territorii arcendi, cauſas ſuppeditare juſtiſſimas, quis dubitet, niſi qui ſalutem reipublicæ ſupremam legem eſſe negârit?

§. 12.

Qui exteris apud ſe divertentibus humanitatis officia promptè exhibent populi, *hoſpitales* audiunt; qui ex adverſo eadem negant, *inciviles*, *ruſtici*, atque *inhoſpitales* nuncupantur. Quare, quid *hoſpitalitatis*, quid *inhoſpitalitatis* ac *ruſticitatis* nomine indigitemus virtutis atque vitii, obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM I. Populi ergò hoſpitales exterorum indigentias quavis ratione ſupplent, neve ad vitæ & hoſpitiorum commodum uſum quidpiam deſide-

deſideretur, providi curant: conſortio exteros dignantur comi,atque,ut hoſpitibus benè ſit,propriis etiam cōmoditatibus,vitæque compendiis renuntiant;ut brevis ſim,hoſpitalitatis virtutem qui colunt, necquidpiam prætermittunt, quò officioſitatem (Cap. I. §. 10.), atque exteris inſerviendi ſtudium tum verbis, tum factis palam commonſtrent.

COROLLARIUM II. Ex adverſo, quæ inhoſpitalitatis vitio infectæ ſunt Gentes, exteros alto juxta ſe ſupercilio deſpiciunt, ne hilum ſolicitæ, utrùm benè, an malè ipſis ſit; conſortio eos vix dignantur honeſto, quin excludunt planè; denique omnibus ſuis actionibus nil niſi barbaram ruſticitatem, aut vanum faſtum produnt.

SCHOLION. Hoſpitalitas uti ex ſcientiarum, bellarumque artium culturâ haud proletariâ (Cap. III. §. 4.), nec non æqualitatis conſideratione feriâ (Cap. I. §. 20.) pronè enaſcitur, ita inhoſpitalitatis, ſeu ruſticitatis fontes, in ignorantiâ, defectu ſcientiarum & virtutis, inanique faſtu unicè quærendi ſunt; ceu tot populorum quotidiana exempla comprobant.

## §. 13.

Hoſpitalitatis erga exteros ſive advenas comis cuſtodia maximâ ex parte in præſtatione rerum innoxiæ utilitatis conſiſtit,uti ad exempla eunti obvium eſſe debet; in quam igitur claſſem hominum conjiciendi ſint populi

Digitized by Google

populi nullam hoſpitalitatis curam habentes, ex dictis (§. 3. Coroll.) pronè colligimus.

SCHOLION I. In barbarorum ſcilicet, inhumanorum atque Miſanthroporum, faſtu inani inturgeſcentium; nil quibus pulchrum, nil eximium, præſtansque habetur, niſi quod in fimo (ut ita loquar) ipſorum naſcitur (a).

SCHOLION II. Quod ſi cum officiis humanitatis vulgaris eminentia (Cap. I. §. 9.) quoque conjungant populi hoſpitales, eximiori quodam hoſpitalitatis gradu eos tum fulgere, per ſe liquet.

§. 14.

Quem de libertate, apud vicinas Gentes ambiendi atque contrahendi matrimonia, ex hiſtoria Romana (b) huc communiter caſum referunt, eum, ſi fors exiſtere contingeret, atque citra Gentis vicinæ noxiam talis modi matrimonia ambiri intelligerentur, juxta hæc ipſa à nobis hucusque ſtabilita principia dijudicandum, ac decidendum eſſe, dubio caret.



(a) Vid. Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 16. ibique Tesmar. in notis.
(b) Idem cit. l. §. 21.

SCHOLION. Verùm enimverò & hic plurimæ queunt eſſe cauſæ; cur Gens aliqua cum populo vicino miſcere ſanguinem, ac connubia contrahere juſtè recuſet, quin citra crimen permittere ne valeat quidem. Quid ſi enim Gens vicina aliis ſacris, iisque à populi alterius religione toto cœlo diverſis addicta? Quid ſi bonorum ratio, aliæque circumſtantiæ plures matrimoniorum cum exteris contrahendorum libertatem reſtringi aut tolli prorſus jubeant?

§. 15.

Ex eo, quod amor erga benefactores, ceu fortunæ ac felicitatis noſtræ fabros atque cooperatores, ab ipsâ naturâ implantatus ſit homini (a), quàm fœda inhumanitatis labe ſeſe conſpurcent Gentes gratitudinis erga benefactores incuriæ, aut planè pro benefactis mala rependentes, facilè eſt ad judicandum (§. 3.).

SCHOLION. Nullum quippe ingratitudine turpius vitium cogitari poteſt; etenim, quum ipſi velut naturæ humanæ repugnet, in ingrato inſignem odii atque malitiæ gradum præponit.

§. 16.

Quæ ex rebus utilitatis innoxiæ percipiuntur compendia, eadem ex re non propriâ,

(a) Illuſtr. WOLF. *Moral.* §. 834. ſequ.

Digitized by Google

priâ, ſed alienâ proveniunt (§. 1.). De re alienâ non niſi dominus ſeu proprietarius jure diſponit; quare nec innoxias utilitates ex re aliena absque conſenſu domini, citraque requiſitionem humanam percipiendi Jus eſſe, manifeſtum eſt.

SCHOLION. Intellige, ſi proprietarium requirendi ſpatium reliquum ſit, aut tempus ſinat; aliàs namque conſenſus iſte meritò præſumitur; & ſufficit, ſi ex poſt, qui re alienâ fruitus eſt, gratitudinem ſuam teſtificando, ſe non animo jura proprietatis aut dominii alterius lædendi, ſed neceſſitate compulſum, utilitates illas innoxias decerpſiſſe, declaret.

§. 17.

Humano igitur modo requirendus viarum publicarum uſus (§.6.) atque tranſitus (§.7.&8.): rogandus comiter populus vicinus, ut receptum det, terrasque profugis adſignet (§ 11.); civili ratione flagitanda matrimonia (§. 14.), commerciorumque liberum exercitium (§.9.); nec non alia ejus generis, quæ licet innoxiam proprietario utilitatem aliis præſtent, illius tamen in juribus eſſe, ejusdemque profluere ex dominio dignoſcuntur (§. 1.).

 SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Idque eò potiori ratione, quòd cauſæ recuſationis juſtæ ſat graves ſubeſſe queant: quarum præcipuas in antecedentibus annotavimus. Adde, quod irrequiſito proprietario ad alienas res accedens non minùs enormiter in humanitatis, imò planè in neceſſitatis, officia peccâſſe cenſendus ſit, quàm is, qui uſum rerum innoxium aliis negat.

# CAPUT VIII.

## DE OFFICIIS GENTIUM HUMANITATIS IN OFFICIA NECESSITATIS ABEUNTIBUS.

§. 1.

Officia neceſſitatis, ſive perfecta qualia dicamus, ex dictis (Cap. I. §. 1. & 3.) intelligimus: talia ſcilicet, quæ ex legibus perfectè obligantibus deſcendunt, quæque adeò mediis coactivis à præſtare eadem renuentibus extorquere fas eſt (d. §. 1. Schol.).

§. 2.

*Officia* igitur *humanitatis* (Cap. I. §. 3. & 5.) *in officia neceſſitatis tranſeunt*, quando,

Digitized by Google

do, quæ debebantur jure imperfecto, perfecto jam deberi incipiunt: id eſt, quando, quæ amori, liberæque præſtantium arbitrio relinquebantur (Cap. I. §. 7.), jam neceſſaria evadunt, eique, cui præſtari debent, executionem eorundem vi atque mediis coactivis urgendi, juſtam facultatem tribuunt (§. 7.).

§. 3.

Ad quod pacto aliquem obſtrictum habemus, idem jure perfecto nobis debetur; veluti tum ex doctrinâ pactorum in Jure naturali traditâ (a) eluceſcit, tum Lib. ſeq. Cap. IV. uberiùs demonſtraturi ſumus; Quod ſi igitur Gens aliqua ad præſtandum alteri officium humanitatis pacto ſe obſtrinxerit, idem jure deberi perfecto (§. 1.), atque adeò pacta primum, eumque præcipuum, officia humanitatis in officia neceſſitatis commutandi (§. 2.), modum abſolvere (b), extra dubitationis aleam poſitum eſt.



(a) Koehler J. N. & G. P. I. Exercit. 6. §. 1307. ſeq.
(b) Ibid. §. 1326.

Digitized by Google

SCHOLION. Nimirum, ad quod pacto nos obligamus, illud juxta immota Juris naturalis principia noſtrum eſſe deſinit, atque alterius fieri intelligitur (a); Quidni igitur, quod ſuum eſt, cuilibet, adhibitis etiam, ſi opus videtur, mediis violentis petendi facultas ſit?

§. 4.

Idem de teſtamentis, atque ultimis voluntatibus, nec non præſcriptionibus dictum eſto. Quum non minùs inter Gentes, populosque liberos, quàm inter privatos, hos ſuum in alios transferendi modos locum ſibi vindicare, Lib. ſequ. III. Cap. III. evincamus.

§. 5.

Gentes porro in tales haud infrequenter circumſtantias incidunt, ut, niſi humanitatis quoddam officium à populo vicino, in ſpecie determinato, iisdem exhibeatur, pereundum ipſis, vel ſaltem evidens ſubverſionis diſcrimen, certave, eaque non levis, calamitas ſubeunda ſit. Congeriem ejusmodi circumſtantiarum, in quas Gens aliqua,

(a) KOEHLER. cit. l. §. 1308. ſequ.

Digitized by Google

qua, ſive populus incidit, *caſum neceſſitatis* dicimus; unde Gentes non rarò in caſus neceſſitatis incidere, manifeſtum eſt.

SCHOLION. Quodſi cum denegatione officii humanitatis ruina certa atque interitus populi conjunctus ſit, *caſum neceſſitatis extremæ* nuncupant; eumque à *caſu neceſſitatis ſimplicis*, quando nonniſi ingens inde damnum emergit, diſtinguunt; quam diſtinctionem, quum utilitate ſuâ haud careat, impræſens quoque innuere libuit.

§. 6.

Ulteriùs populi, à quibus in caſibus neceſſitatis officia humanitatis expoſcuntur, vel pari ex adverſo neceſſitate premuntur, vel ſimilem, exhibendo alteri, quod jure humano debent, indigentiam pertimeſcendam haud habent.

SCHOLION. Diverſi hi caſus probè ſecernendi, utpote ex quibus diverſa quoque in caſibus peculiaribus jura enaſcuntur.

§. 7.

Qui alteri in caſu neceſſitatis officium humanitatis, cujus præſtatione ab interitu eundem, aut inſigni calamitate immunem ſervare

Digitized by Google

ſervare poterat, denegat, is interitûs, infortuniique cauſa, conſervationis verò, ac felicitatis obſtaculum exiſtit. Quoniam igitur interitûs noſtri, inſigniumque miſeriarum cauſas, conſequenter conſervationis quoque, atque felicitatis obſtacula removendi facultatem ipſa naturalis ratio, quin brutis etiam animantibus connatus inſtinctus homini indidit; eandem non minùs hìc in caſibus neceſſitatis verſantibus integram eſſe, nemo ſanus negaverit. Quapropter, cum fieri id in hypotheſi præſenti haud aliter poſſit, quàm ſi officia humanitatis, ceu conſervandæ ſalutis atque infortunii calamitatisque graviſſimæ avertendæ media unica, à præſtare eadem recuſantibus vi extorqueantur; Gentibus in hiſce conſtitutis anguſtiis officia humanitatis, quorum in præſtatione conſervatio, atque ſalus earundem vertitur, à populis, qui exhibere eadem renuunt, mediis coactivis extorquendi jus eſſe, manifeſtum eſt.

SCHOLION. Idque ad officia humanitatis eminentis æquè ac officia humanitatis vulgaris pertinet

( Cap. I.

( Cap. I. §. 9. ) ; Ex eo tamen, quod poſteriora, quàm priora negare, turpius longè vitium habeatur ( Cap. VII. §. 3. & 5. ), prægnantiores pro his, quàm pro illis vi exigendis rationes militare, nemo non videt.

§. 8.

Quum nihilominus in pari neceſſitate conſtituti populi, quique ad avertendam ruinam, calamitatemve aliam inſignem, ſuis ipſi rebus indigent, eas præſtare alteri obſtricti haud ſint: nullâ quempiam ratione, aut lege, ut, cœteris paribus, ſalutem alienam propriâ potiorem habeat, obligante; hoc caſu penes exigentes humanitatis officia jus deficere ( Lib. I. Cap. I. §. 2. & 3. ), oppidò conſtat; Populo igitur in caſu neceſſitatis conſtituto à Gente aliâ, pari calamitate atque miſeriâ preſsâ, officia humanitatis vi extorquendi nullum jus aut facultatem competere, expeditum eſt.

COROLLARIUM. Quam adeò §. præcedenti demonſtratam dedimus regulam, ea de caſu intelligenda, quo Gens, à qua officium humanitatis petitur, in æquali neceſſitate haud verſatur.

SCHOLION. Putat equidem Koehlerus (a), in hoc conflictu, ſaltem ſi extrema utrinque neceſſitas ſubſit, tam uni, quàm alteri parti jus competere, citra, quòd eidem obligatio correſpondeat. At verò uti hæc facilè largior, quando duo pluresve ad rem in caſu extremæ neceſſitatis acquirendam accedunt; ita ſecus omnino dicendum, quando de rebus juſto virium noſtrarum uſu acquiſitis in propriam, eamque neceſſariam, conſervationem impendendis quæſtio vertitur; utpote, quo caſu alteri, perituro licet, nullum in res proprietariorum jus enaſci, in Jure naturali invictis argumentis demonſtratum damus; Nunquid enim in hos ipſos caſus neceſſitatis de apparatu rerum neceſſariarum nobis proſpicimus?

§. 9.

Non aliter tamen in caſu extremæ neceſſitatis officia humanitatis vi exigendi facultas expirat, quàm ſi in pari uterque, tam is qui exigit, quàm ille, à quo eadem expetuntur, neceſſitate conſtituti ſint (§.8.); Quapropter, ſi, qui præſtare officia humanitatis debet populus, in ſimplici (§.5. Schol.), is verò, qui eadem exigit, in extrema neceſſitate degat, in extorquendis iiſdem adhucdum mediis coactivis locum reliquum eſſe, ex demonſtratis (§. 7. & 8.), nec non ex colli-

(a) J. N. & G. P. I. Exercit. V. §. 1230. ſeq. usque ad §. 1235.

colliſionum in caſu neceſſitatis rectè inſtituendarum regulis facilè colligitur.

SCHOLION. Aſt, quum neceſſitatis ſimplicis (§. 5.) varii dentur gradus: ſic, ut ad caſum quoque neceſſitatis extremæ quàm proximè accedere queant; in caſibus peculiaribus, ipſisque rerum momentis trutinandum, quousque mediis coactivis locus dandus ſit, quatenusque populo alteri, ſuum defendendi, jus in ſalvo maneat.

§. 10.

Caſus neceſſitatis (§. 5.) mediis coactivis tum demum locum facit, quando expleri aliunde indigentia nequit, aut officia illa, à præſtare eadem obſtricto injuſtè, citraque rationem ſufficientem (§. 8.) negantur (§. 7.); diſpiciendum igitur ante omnia erit, 1. an non officii ejus præſtationem ab alio citra coactionem impetrare valeat populus. 2. Mediis, atque repræſentationibus pacificis tentandum, annon citra violentiam obtineri eorundem præſtatio queat; 3. Diſpiciendum quoque, an non pari populus alter neceſſitate prematur (§. 8. & 9.), ſicque, quum ipſe rebus ſuis indigeat, mediis coactivis via præcluſa ſit.



Digitized by Google

COROLLARIUM. Caſus igitur neceſſitatis (§. 5.), nec per ſe, neque ſemper, ſed tum demum ubi fata modò requiſita extiterint, extorſioni violentæ locum relinquit.

SCHOLION. Quoniam media violenta inter Gentes bellum inferunt, quæ in eorundem uſu legitimo porro obſervanda veniant, Lib. IV. ulteriùs perquirenda erunt.

§. 11.

Ex ſtabilitis itaque hucusque principiis pronè conſequitur, quod, licet Gentes ad acceptandum verum numinis cultum, impiosque ſacrorum ritus abolendos regulariter non niſi ex jure humano obligentur (Cap. II. §. 9.): ſecus tamen ſeſe res habeat, ſiquando populus uniformitatis fidei ſive ſtabiliendæ, ſive conſervandæ causâ (ibid. §. 5. ſequ.) ad acceptanda, retinendave Gentis alterius ſacra pacto (§. 3.) ſeſe obſtrinxerit; aut ſacra fortè Gentis vicinæ ita comparata fuerint, ut neque cum ſecuritate populi alterius conſiſtant, nec ſine manifeſtâ hujus ignominiâ peragantur. His etenim caſibus Gentem exteram tum ad acceptanda, atque conſervanda populi

Digitized by Google

populi alterius ſacra, tum ad abolendos nocivos aut ignominioſos religionis ritus mediis, ubi opus (§. 10.), violentis rectè compelli, obligationis pactitiæ indoles, nec non circumſtantiæ, caſusque neceſſitatis (§. 7. & 10.) liquidò manifeſtant.

SCHOLION. Puta: ſi ea fuerit populi ſuperſtitio, barbariesque, ut non niſi humano Gentis vicinæ ſanguine falſa deorum ſuorum ſimulacra placari poſſe, perſuaſum habeat; indeque quotannis ad certum captivorum numerum deaſtris ſuis immani facinore immolandum improbo religionis zelo impellatur. Si fidei formulas in ſacrorum populi vicini manifeſtam injuriam atque ignominiam componat &c. his etenim & ſimilibus caſibus falſum cultum abrogandi obligationem imperfectam, in perfectam abire expeditum eſt; quum abuſus iſti læſionum ſtrictè dictarum naturam jam induant.

## §. 12.

Genti vicinæ nuptum elocare filias ad humanitatis regulariter officia pertinet (Cap. VII. §. 14.); nec vi illas rapiendi, aut clandeſtinis artibus ſubducendi poteſtas competit; At enimverò, pone citra officii hujus præſtationem improlem interiturum



Digitized by Google

populum; pone aliunde conjuges habere eumdem haud poſſe; pone denique, tentatis amicis mediis omnibus (§. 10.) ſurdis narrari fabulas: Quidni comparatis ita rebus jus populi vicini imperfectum, ambiendi nuptias, perfectum evadat (§. 7. & d. §. 10.); conſequenter, mediis eas impetrandi violentis, facultatem tribuat?

SCHOLION I. Atque ex hoc capite raptum Sabinarum excuſant ſcriptores (a). Sed vellem ego audiiſſe Sabinos cauſam ſuam perorantes, pleniùsque inſtructus eſſe, an, quæ (§. 10.) demonſtravimus, requiſita omnia adfuerint, & neque aliunde uxores habere potuerint Romani, nec juſtæ Sabinis eas recuſandi cauſæ ſubfuerint.

SCHOLION II. Quodſi enim ipſe populus, unde petuntur uxores, pari neceſſitate prematur: quodſi ſacrorum & religionis confuſio connubiorum mixturam haud ferat, aliæve juſtæ cauſæ ejuſmodi conjugia vetent, ceſſare tum extorquendi facultatem, ex dictis (§. 8.) pateſcit.

§. 13.

Uſus porro viarum (Cap. VII. §. 6.), atque fluminum (ibid. §. 8.), nec non tranſitus per territorium alienum (ibid. §. 7.

(a) Vid. H. Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 20.

Digitized by Google

§. 7.) non niſi ex jure humano debetur; At verò, ſi citra ruinam, aut inſignem ſtragem carere hoc uſu populus nequeat: ſi denegato tranſitu excidium ſequatur certò certiùs; ac proin hoc officio humanitatis defungi recuſans ruinæ, ſtragis, excidii, damnive inſignis alterius cauſa evadat (§.7.); officia hiſce in caſibus in jura perfecta, atque debita ſtrictè talia quin abeant, mediisque atque extorſioni violentæ locum faciant, dubitari nequit (§.7.).

SCHOLION. Nimirum, ſi, quæ ſupra (§. 10.) inculcavimus, requiſita ſingula extiterint, neque juſta, è finibus arcendi populos, cauſa ſit; contagione enim infectis exteris, aut bellum excidiumque Genti, à qua tranſitus petitur, aliunde concitaturis nullâ ratione eadem vi petendi, jus competere liquet (§. 8. Schol.).

## §. 14.

Hæc ipſa facultas Gentibus tum multò magis integra eſſe intelligitur, quando ſive naufragium paſſæ (Cap. VII. §. 10.), ſive aquæ dulcis, aliorumque alimentorum penuriâ preſſæ citra juſtam cauſam (§. 8.), & cum manifeſto ſubſecuturo interitu, aut

peri-

periculo graviſſimo littoribus, atque portubus arceantur; Sic namque comparatis rebus jura & officia, quæ erant, humanitatis, naturam jurium neceſſitatis induere (§. 7.), nemo inficias iturus eſt.

SCHOLION. Intellige: ſalvis iis omnibus, quæ juſtam populo hæc talia negandi cauſam ſuppeditare apta ſunt.

§. 15.

Neque aliud de profugis, pulſisque patriâ (Cap. VII. §. 11.), apud Gentes exteras receptum atque aſylum quærentibus, ſtatuendum; adhibitam enim ab his violentam extorſionem, quæſitumque vi armorum receptum iniquitatis labe carere, quis dubitet, ſi citra ſufficientem cauſam (§. 8.) officio hoc humanitatis excludantur profugi, atque in caſu denegati receptûs pereundum ipſis, aut miſerè vagandum vivendumque fore.

SCHOLION. Quænam juſtæ ſint recuſandi cauſæ, tum ex §. 8. ſupra, tum ex Cap. VII. §. 11. Schol. intelligimus.

§. 16.

Digitized by Google

§ 16.

Ex eadem ratione jure ſubinde compelli populum apparet, ut fruges, aliaque ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria paratâ apud ſe pecuniâ emendi, aut permutandi Genti vicinæ facultatem faciat; Quo ipſo, quod humanitatis tantùm fuerat (Cap. VII. §. 9), vendendi jus in officium neceſſitatis debitumque jure perfecto degenerare, dilucidum evadit.

§. 17.

Ex ipſiſſimo denique fonte concipimus, quo Jure exterorum nonnunquam res, naves, plauſtra, aliaque his ſimilia in caſu neceſſitatis Gentes uſibus ſuis impendant; cur peregrini adversùs irrumpentes hoſtes arma capeſſere, aliosque ejus generis pro defenſione patriæ labores ſubire compellantur.

SCHOLION. De his, quum ad jus belli pertineant, infra (Lib. IV.) uberior ſeſe dicendi campus offeret.

§. 17.

Jus ſive facultas officia humanitatis vi extorquendi ad exceptiones à regulâ per-

 tinet

tinet (§. 5. ſeq.); tale igitur ejus intelligi debet exercitium, ut quàm poteſt minimum ei, à quo officia illa petuntur, damni inferatur. Id quod inter alia fieri apparet, ſi in alieno ſolo citra neceſſitatem nil deſtruatur, aut diſperdatur; ſi finito uſu, aut ceſſante neceſſitate res in ſpecie, vel, ſi fungibiles fuerint, in æquivalenti reſtituantur, damnaque data, quantùm pote eſt, reſarciantur (a). Cum hac itaque circumſpectione in caſibus neceſſitatis (§. 5.) omnino verſandum eſſe, nec aliter neceſſitatis jura intelligi manifeſtum eſt.

ELE-

(a) Confer. Hug. Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 6. ſeq Puffendorf. J. N. & G. Lib. II. Cap. VI. §. 6. ubi in verſione Gallicâ ita infit: „ Enfin nous Soutenons, qu'il „ faut reſtituer auſſitot, qu' on en aura le moien; ſurtout, „ ſil ſagit d' une choſe de grand prix, ou que le proprie- „ taire ne ſoit pas aſſés riche, pour nous en faire pre- „ ſent.

Digitized by Google

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER III.

## DE JURE PERFECTO CIRCA DOMINIA & PACTA GENTIUM.

## CAPUT I.

### DE DOMINIO GENTIUM PROPRIO, EJUSDEMQUE INDOLE NEC NON ACQUIRENDI MODIS ORIGINARIIS.

§. 1.

NUllam dominiis juribusque inde conſequentibus litium bellorumque inter Gentes fœcundiorem eſſe ſcaturiginem, omnium temporum hiſtoriæ affatim perhibent; Qua-

propter expoſitis officiis Gentium humanitatis, atque orituris inde juribus imperfectis, ad dominiorum inter populos naturam, pactorumque, ut & aliorum jurium perfectorum indolem penitiùs ſcrutandam nos accingimus; in eâ diſquiſitione ita verſaturi, ut ſuppoſitis ceu perſpectis ex Jure naturali præcipuis dominiorum juribus, ea ſaltem delibemus, quæ inter Gentes, populosque peculiaria jura producere, indeque ſingulari attentione digna eſſe videbuntur.

§. 2.

In dominio, ſeu proprietate aliquid tum eſſe dicimus, quando ad populum ita pertinet, ut ad populum ſeu Gentem aliam perinde haud pertineat: ſive, quod idem eſt, quando populus re quâdam ſic utendi, abutendive jure gaudet, ut Gens alia eâdem perinde utendi, aut abutendi facultate haud polleat; hoc ipſum porro jus, rem ſcilicet privativè & cum excluſione aliorum in uſus ſuos convertendi, *dominium* nuncupatur.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. *Utimur* re, quando utilitatem inde percipimus ſalvâ ejusdem ſubſtantiâ; *abutimur*, quando eandem in uſus noſtros convertendo ejus ſubſtantiam abſumimus, vel alienando ſaltem à nobis abdicamus.

§. 3.

Jura ſive facultates morales aliquid agendi aut omittendi, uti in bonis eſſe per ſe intelliguntur, ita eorundem tam uſum, quàm abuſum (§.præced.Schol.) uni privativè & cum excluſione aliorum competere haud implicat. Enimverò, quod ita ad unum pertinet, ut ab ejus uſu atque abuſu reliqui jure arceantur, id in dominio exiſtit (§. 1.), Jura igitur, ſive facultates morales non minùs, quàm res corporales, in dominio exiſtere poſſe expeditum eſt.

SCHOLION. An *verum*, an *quaſi* id dominium dicas, quod ad effectum attinet, parùm referre videtur. Satis quippe eſt, quod juribus privativè utendi, iisdemque abutendi facultas perinde, ut in rebus corporalibus poſſibilis eſſe concipiatur, quotidianâ experientiâ ejus rei teſte luculentiſſimâ.

§. 4.

Eſt autem dominium, quod Gentibus competit, vel *proprium*, vel *commune* ſeu *vulgare*; *Illud* nobis audit, quod ex propriâ Gentium ſeu populorum, ſub regimine civili viventium (Lib. I. Cap. I. §. 1.) naturâ intelligitur. *Commune* ſeu *vulgare* dicitur, quod Gentes ceu perſonæ morales conſideratæ (Lib. I. Cap. I. §. 5.), cum perſonis ſimplicibus, aliisve univerſitatibus regimini civili ſubordinatis commune habent, id eſt, cujus ſubditi & privati peræquè, ac respublicæ capaces ſunt.

COROLLARIUM. Dominia Gentium propria ex peculiari populorum naturâ, atque civilis ſocietatis indole concipiuntur; penes privatos igitur, quâ tales, exiſtere nequeunt.

SCHOLION. Ex dictis facilè apparet, dominiorum Gentium propriorum indaginem Juri Publico univerſali atque Gentium vindicandam venire; ejusque doctrinam penitiorem inter diverſos populos præcipuam ſui utilitatem exerere.

§. 5.

Gentes ſive populi regulariter in ſocietatibus civilibus ſub variis regiminum formis

mis ſummæ reipublicæ poteſtati ſubjecti degunt ( d. Lib. I. C. I. §. 1. ); Enimverò ſupremum reipublicæ Imperium plurium, tum majeſtaticorum, tum regalium jurium, quoad uſum exercitiumque ad populos privativè pertinentium, ferax eſſe, ex J. P. univerſ. notum atque perſpectum eſt; jura igitur cujusvis populi majeſtatica, nec non regalia in dominio (§. 2.), & quidem proprio populi (§ 4.) exiſtere, extra dubitationis aleam poſitum eſt.

SCHOLION. Propriâ nimirum quilibet populus majeſtate pollet, à cujus juribus uſurpandis, aut invadendis Gentes aliæ vicinæ indiſtinctè ſecluduntur.

§. 6.

Porro, quando familiæ ſegreges, aut reſpublicæ jam formatæ minores in ſocietates civiles, atque majora civitatum ſyſtemata concedunt, hoc ipſo quoque definiti, partim per poſſeſſiones atque prædia privatorum, nec non territoria minora, partim per occupationes communi civitatis nomine factas, terrarum, fluminum, aquarumque

que tractus, quos *territoria*, *ditiones*, atque *diſtrictus* nuncupant, juri atque poteſtati populorum ita ſubjiciuntur, ut ab eorundem uſu Gentes aliæ vicinæ qualeſcunque excludantur; Quum itaque in dominio populi exiſtat, cujus uſus aliis præcluſus ſoli populo pateſcit (§. 4.), territoria dominiis Gentium propriis rectè accenſeri conſtat.

SCHOLION I. Non per ſolam agrorum ad privatos pertinentium ſub poteſtate civili coalitionem, ſed per occupationem inſuper communi civitatis nomine factam territoria oriri innuimus; Cujus rei rationes ſat graves in Jure Publico univerſali in medium proferimus; ut enim vel quasdam ſaltem obiter attingamus: non expediebat 1. interſtitia fundorum agrorumque, nec non flumina, littora, aliasque ejus generis res ſive mobiles, ſive immobiles dominio vacuas occupationi cujuscunque apertas relinquere, atque ita populis vicinis in res & bona civitatis graſſandi anſam facere ampliſſimam; dein 2. neque reipublicæ etiam & Principis, nec fiſci utilitas, ut multa in republicâ adespota, ſive dominio vacua relinquantur, patitur; ut 3. nihil dicam, quod ſalutis, atque ſecuritatis rationes graviſſimæ territoria, quantùm pote eſt, circumquaque clauſa habere efflagitent. Queis ritè perpenſis occupationem communi univerſitatis ſeu civitatis nomine in quavis republicâ factam, atque ita non tantùm fundos & prædia privatorum, ſed & ſpatia intermedia

media quantacunque, ſuis definita limitibus, dominio populi proprio adſcripta eſſe, juſtiſſima præſumptio militat.

SCHOLION II. Quâ ratione territorium, reſpectu ad privatos agrorum dominos habito, in dominio civitatis, ſive totius populi ſit, quæque pro diverſis regiminum formis hîc ſeſe differentia manifeſtet, ejus rei diſquiſitio ad præſentem tractationem haud pertinet; ſed in Jure Publico univerſali locum invenit, ubi dominii eminentis, quod reipublicæ competit, naturam curatiùs trutinamus; conſideramus hîc territoria reſpectu ad Gentes, ſive populos vicinos, quos quum inter ſe ceu perſonas morales in ſtatu naturali viventes contueamur (Lib. I. Cap. I. §. 5.), territoria veluti prædia poſſeſſionesque harum perſonarum propriæ contemplandæ venient: diverſis, queis à civibus poſſidentur, modis, variisque eorundem cum ſummo regimine nexibus, hiſce Gentium dominiis, atque, quæ in territoria competunt, proprietatis juribus necquidpiam officientibus.

## §. 7.

**Dominia igitur Gentium propria partim in territorio (§. 6.), partim in juribus majeſtaticis atque regalibus (§. 5.) conſiſtere, prono ex dictis alveo conſequitur.**

SCHOLION. Supponimus nimirum populos certis adſcriptos ſedibus, nec promiſcuè ſine laribus, certisve domiciliis vagantes: vagabunda enim

ejusmodi cohors, uti vix nomine Gentis digna reputanda (Lib. I. Cap. I. §. 1.), ita hocce caſu ſola ſummi Imperii jura in dominio proprio numeraret (d. §. 5.).

§. 8.

Quandoquidem ergò populi ſine ſummo Imperio civili nunquam (d. Cap. I. § 1.), absque territorio autem vix, aut raró conſiſtunt (§. præced. Schol.): hæc verò dominia Gentium propria abſolvant (§. 5. & 6.); dominia populorum propria (§. 4.) in genere penes populos omnes eadem eſſe, expeditum eſt.

§. 9.

Lineæ per extrema territoriorum ductæ, atque in ſe redeuntes, *fines* eorundem dicuntur; particulæ autem terrarum aquarumve, quæ cujusvis reipublicæ ſeu territorii extremæ ſunt, *limites* ejusdem audiunt.

SCHOLION. Fines ſcilicet ceu lineas mathematicas territorium ambientes ſine latitudine nobis repræſentamus; Enimverò, quum tales actu efformari implicet, neque etiam expediat, extremis territoriorum terminis deſignandis ſpatia phyſica facilè diſcernibilia deſtinanda erant. Ut proin limites lineas terminales cum latitudine aliquâ acceptas innuant, veluti ſunt flumina, montes, lacus, aliaque,

que, quæ tum à natura, tum operâ hominum ad regundos denotandosque rerumpublicarum terminos ordinantur. Alii limitum nomine ſigna externa, ſive naturalia ſive artificialia, finium territorii indices indigitant (a); ſignificatu haud multùm à noſtro abludente.

§. 10.

Territorium, quà latè patet, in dominio populi exiſtit, nec Gentibus vicinis quidpiam in idem juris competit (§. 6.); quapropter, quum, quæ ad territorium Gentis referenda ſint, fines deſignent (§. 9.), quænam terrarum ſpatia, ditionesque, cum cohærentibus iisdem rebus ceu acceſſoriis in proprietate populi conſtituta ſint, ex finibus (d. §. 9.), ſeu limitibus intelligimus.

COROLLARIUM. Atque inde tutò inferimus; quod, quidquid intra fines territorii ſitum eſt, id omne Genti ſeu populo proprium (b), & dominio ejus, reſpectu ſaltem Gentium vicinarum, accenſendum ſit.

SCHOLION. Loquimur præcipuè de territorio principali atque dominante; licet & de finibus acceſſo-



(a) CHRISTOPH. AUGUST. MENIUS Diſſert. *de finibus territorii* §. 6.

(b) GROTIUS J. B. & P. Lib. II. Cap. II. §. 4. PUFFENDORF. J. N. & G. Lib. II. Cap. VI. §. 4.

Digitized by Google

ceſſoriis idem obtineat; Dein ea territorii cum omnibus, quæ in eodem exiſtunt, occupatio humano modo intelligenda; modò latior, modò reſtrictior, prout eâ de re mentem ſuam declarâ-rit populus.

§. II.

Quæ porro intra fines territorii ſita ſunt, propriaque eſſe populis intelliguntur (§.10. Coroll.), triplicis ferè ſunt generis; aut enim 1. in dominio exiſtunt privatorum, ita ut reſpectu ſubditorum reſpublica Imperio ſaltem & dominio eminenti in eadem polleat; aut 2. in actuali ipſius reipublicæ dominio non ſolum, ſed & uſu conſtituta cernuntur, veluti ſunt regalia Fiſci jura, bonaque domanialia, in utilitatem reipublicæ deſtinata; Vel denique 3., citra actualem applicationem in uſus populi, ſub generali ſolùm territorii nomine poſſidentur, & in dominio habentur.

SCHOLION. Quæ tamen differentia in ipſa potiſſimùm civitate attendenda; quod enim Gentes inter ſe attinet, perinde eſt, quâ ratione, quæ intra fines territorii ſunt, à republica aut ſubditis teneantur, poſſideanturque. Quodcunque enim bonorum genus ponas, ſemper verum erit, ab ejus

ejus uſu, atque abuſu Gentes vicinas exteras excludi, niſi populus ex jure humano (Lib. II. Cap. VII.) utendi facultatem indulgeat, aut certi generis res intra territorium nullius, & occupabiles à quocunque relinqui declaret; id quod ex facto dijudicandum. Rectè cœteroquin dicente Puffendorffio (a): *Non neceſſarium eſſe, ut omnia, quæ per modum univerſitatis occupata ſunt, in ſingulos, & privatos dominos deſcribantur; Unde, ſiquid in tali regione privato carens dominio inveniatur, non ſtatim pro vacuo haberi debet.*

§. 12.

Feræ itaque, piſces, & aves nobiliores, metalla & mineræ in viſceribus terræ recondita, theſauri, ſylvæ, ligna aliaque ejus generis mobilia, utut actu neque à privatis, neque ab ipsâ republicâ in poſſeſſione corporali teneantur (§. 11.), quum tamen poſſeſſione territorii univerſali comprehendantur, in vero populi dominio atque proprietate, aut, quod quoad effectum in idem recidit, privativè ſolùm ab eodem occupabiles eſſe intelliguntur (b).

SCHOLION. Hæc regulariter, atque naturæ dominii, quod populo in territorium, omniaque, quæ in eo ſunt



(a) J. N. & G. Lib. IV. Cap. VI. §. 4.

(b) Vid. Diſſert. m. *de eo, quod J. N. circa venationes juris eſt* §. 101. ſeq.

Digitized by Google

ſunt, competit congruenter ita tenenda ſunt. Sicuti verò dominii ſui modum ſtatuere cuique liberum eſt, ita nil obſtat, quominus populus tam laxum in territorio ſuo dominium introducat, ut res plurimas, non intuitu ſolùm civium, ſed exterorum etiam reſpectu, proprietate vacuas, nullius, & occupabiles à quocunque relinquat; uti multorum populorum uſus & obſervantia comprobat.

§. 13.

Flumina, lacus, ſtagna, paludes, nec non deſerti terrarum tractus, finibus territorii comprehenſi, proprietatis jure populo adſcripti ſunt (§. 10.); ab iisdem igitur occupandis, atque in uſus ſuos convertendis populi Genteſque exteræ jure optimo maximo excluduntur (§. 2.).

SCHOLION. Ita rectè HERTIUS (a) contra PUFFENDORFIUM ſtatuit. Quid humanitas in caſibus peculiaribus efflagitet, aut neceſſitas indulgeat, ex Lib. II. Cap. VII. & VIII. repetendum; Verùm quum, quæ humano jure præſtantur, proprietatem in præſtante arguant, caſus autem neceſſitatis ad exceptiones à regula pertineant, hæ præſtationes dominia populis in territoria ſua competentia neutiquam evertere aptæ ſunt.

§. 14.

(a) In notis ad PUFFENDORF. Lib. IV. Cap. VI. §. 4.

Digitized by Google

§. 14.

Quoniam maria minora finibus territorii undique concluſa in poſſeſſione teneri, defendique à populo poſſunt, neque uſum etiam omnibus ſufficientem præbent, quin arceri inde vicinos populos ſœpiùs expediat, hæc quoque, ceu territorii partem conſtituentia, dominio Gentis rectè vindicari, nemo abnuet.

SCHOLION I. Unde Gentes, ſive populi integri in dominio habere poſſunt, quæ in privatorum proprietatem tum ex rationibus phyſicis, incapacitate ſcilicet poſſidendi & defendendi, tum ex rationibus moralibus, propter uſum pluribus ſufficientem, venire nequeunt. Idem nobiſcum ſentit Ampliſſimus BYNCKERSHOEK (a), exemplo maris Mediterranei, quod olim in Romanorum proprietate extitit, illuſtrans. In eo tamen aſſentiri eidem non poſſumus, quod ad conſervationem dominii perpetuam, nullaque ratione interruptam poſſeſſionem deſideret, nec citra factum poſſeſſionis actuale & phyſicum dominium maris conſiſtere ſtatuat; Neque enim ſolida apparet diſparitatis ratio, cur non apud populos æquè ac privatos poſſeſſio cum aliquâ latitudine morali capienda ſit, ita ut, qui fortè phyſicè rem, ex qualicunque causâ, citra animum tamen deponendi

(a) *De Dominio maris* Cap. III.

nendi dominium, tenere deſiit, non illico propterea proprietate ac dominio excidiſſe dicendus ſit.

SCHOLION II. Circa uſum maris fluminumque humanum, nec non in caſu neceſſitatis concedendam inde utilitatem eadem, quæ §. præced. Scholio, hic quoque advertenda ſunt.

§. 15.

Quod de maribus particularibus territorio concluſis demonſtratum modò dedimus, idem quoque de partibus oceani littora ſive territoria alluentibus dicendum; quum enim occupari eædem, id eſt, in poteſtate teneri, defendique queant, neque etiam modici ejusmodi ſpatii uſus inexhauſtus ſit, nulla apparet ratio, cur non & Gentes haſce oceani partes territoriis, ditionibusque ſuis adjicere, atque proprietatis jure ſibi adſerere valeant (Cap. ſeq. §. 4.); id quod, cum ſecuritati, ſalutique publicæ admodùm proficuum ſit, in dubio quoque feciſſe populos, meritò præſumendum.

COROLLARIUM. Gentes igitur vicinæ non minus à littoris, quàm oceani idem alluentis uſu, piſcatione intellige, navigatione, indagatione coralliorum, ſuccini, unionum, appulſuque ad oras mari-

maritimas jure arceantur, omnesque has utilitates populus territorii dominus ſibi vindicat, niſi quà humanitatis leges aut uſum innoxium aliis concedere inculcant (Lib. II. Cap. VII.), aut caſus neceſſitatis vicinis populis jure perfecto tribuunt (Ibid. Cap. VIII.).

SCHOLION. At enimverò, haud immeritò quispiam quæſierit, quousque littori vicinus Oceanus in proprietate populi eſſe intelligatur, quosque huic occupationi terminos figere oporteat? Varias hâc de re variorum ſententias recenſet Bynkershoekius (a); quarum tamen neutra rem plenè conficit; ex uſu potiùs & obſervantiâ ejus rei definitio petenda; plerumque, ea occupatio eousque in pelagus ſeſe protendit, quò tormentorum bellicorum majorum jactus maximus pertingere valet (b); Sed, quidni natura Oceani alluentis ampliores terminos ferat? Quidni populus ultra etiam limites ſuos proferat, eosdemque perpetuâ navigatione in proprietate teneat? quæ omnia in hiſce quæſtionibus facti trutinanda eſſe apparet.

§. 16.

Territoriorum limites (§. 9.), hoc eſt, flumina, montes, foſſæ, paludes, ſylvæ, locave deſerta, vel ad populorum contiguorum unius territorium privativè referuntur, atque partem ejusdem extremam conſtituunt;

 vel

(a) cit. l. *de Domin. maris* Cap. II.
(b) Idem cit. l. ſub fin.

vel neutrius territorii partem efficiunt. Priori caſu limites illi, ceu pars territorii, in dominio populi exiſtunt; altero caſu limitum uſus communis manet, & utrisque pervius, excluſis tamen populis aliis in confiniis haud commorantibus, quos inde excluſos voluiſſe meritò cenſendi ſunt (§.6.), qui eos rerumpublicarum inter ſe terminos deſignârunt.

SCHOLION. Subin etiam diviſis partibus limites poſſidentur, ita ut linea per medium flumen, lacum, montem, aut locum deſertum ducta finem territorii abſolvat; id quod pactis, atque tractatibus limitum plerumque definitur: Quidquod vaſti ſubin terrarum tractus deſerti, incultique profſus relicti, limites duarum pluriumve Gentium ex pacto conficiant; quales inter Ruſſos & Tartaros conſtituti leguntur: tales quoque fuiſſe videntur, qui Germanos à Sarmatis ſeparârunt teſte TACITO (a); ſed ea ferè barbariem (Lib. II. Cap. I. §. 12.) unius, aut utriusque populi redolent.

## §. 17.

Quando flumina, littora, aut partes Oceani idem alluentes, montes, lacus, paludesve indeterminatè, citraque expreſſionem certæ men-

(a) *De Moribus Germanorum* Cap. I.

menſuræ limites regni, aut reipublicæ conſtituunt, limites illos *arcifinios* ſeu *occupatorios* dicimus (a); Ex adverſo, quando terminis hiſce regnorum phyſicis certa menſura leucarum pedumque præfinita eſt, fines *menſuratos*, ſeu *limitatos* nuncupamus.

SCHOLION. Arcifinii ideo vocantur, quod arcendis à finibus territorii populis contiguis maximè apti ſint. Occupatorii verò, quod ab hoſtibus occupati pro limitibus deſignentur; Verùm hæc hiſtorica ſunt, de quibus commentatores ad l. c. Grotii conſulendi.

§. 18.

Limites arcifinii ab ipsâ veluti naturâ ad ſeparandos ab invicem populos comparati ſunt (§. præced. Schol.), utpote quam ipſam ob cauſam citra menſuræ definitionem pro limitibus regnorum & provinciarum deſignantur; Curſu itaque fluminis, littoris, lacûs, paludisque aut montis, limitem territorii conficientis latitudine paululùm immutatâ, non ideo termini hi na-



(a) Hug. Grot. J. B. & P. Lib. II. Cap. III. §. 16. ibique Gronov. in notis.

Digitized by Google

turales territorii limites eſſe deſinent: ſed, quod unius alteriusve territorio terrulæ adjicitur, id populus vicinus inſuperhabere, alterique jure adjectum velle, boni communis causâ omnino reputandus eſt.

COROLLARIUM. Quod ſi igitur alluvione aut vi fluminis territorio populi cujusdam aliquid ex alieno acceſſerit; quodſi mutato alveo pauxillum terræ ſpatium mediante flumine avulſum fuerit; Quod ſi littus atque oræ maritimæ in mare, lacumque Gentis vicinæ ſeſe protenderint, palusve pro parte exſiccata territorii populi vicini partem fertilem, utilemque efficiat, eæ acceſſiones omnes cœteris paribus limites arcifinios haud periment, ut novos propterea conſtituere opus ſit.

SCHOLION. Cœteris paribus, & in amplis præſertim terrarum tractibus, acceſſionibusque modicis; aliàs namque transactione, aut æqui valenti compenſatione interveniente, limites hi naturales vel aſſervandi, aut alii definiendi forent. Potiſſimùm, ſi alvei mutatione ingens terrarum tractus cum villis pagisque, aut etiam fortalitiis avulſus ſit; aut lacus, palusve ex integro exſiccata exiſtat: hoc namque caſu ex æquo hi limites dividendi, aut uſui communi (§. 6.) relinquendi erunt.

§. 19.

Aliud quoque in limitibus certâ menſurâ comprehenſis, quàm in arcifiniis, obtinet; De

De his enim voluntate populi expreſsâ ſatis conſtat (§. 18.), quòd ultra definitos regni terminos nihil Genti vicinæ ratione quacunque accreſcere velit.

SCHOLION. Atque ex his principiis generalibus orituræ inter populos ratione finium controverſiæ ferè definiri queunt; modò ne pacta, obſervantiasque inſuperhabeas.

§. 20.

Quoniam jura ſummi Imperii, nec non regalia non minus atque res corporales, ipſumque territorium in dominio populi exiſtunt (§. 5.), Gentesque ideò exteræ jure inde arcentur, jurium majeſtaticorum, Regaliumque exercitium Gentibus exteris in territorio alieno proprio nomine haud patere; facilè colligimus.

SCHOLION. Exceptiones quasdam Lib II. Cap. IV. §. 12. ſeq. Item Cap. V. innuimus, & Lib. V. de Legatis uberiùs explanaturi ſumus; Verùm, quum jurisdictio illa non in proprios civitatis ſubditos, ſed in exteros exerceatur, quod humano Gentium jure hactenus permittitur, id Juribus populi majeſtaticis haud officit; Sicut nec Regalium indolem immutat, licet exteri ſubordinato eadem jure in territorio noſtro poſſideant. Sed de his vide pluribus Cap. ſeq.



Digitized by Google

# CAPUT II.

## DE DOMINIO GENTIUM COMMUNI, SIVE VULGARI, IDEMQUE ACQUIRENDI MODIS ORIGINARIIS.

§. 1.

Gentes ſive populi integri veluti perſonæ morales in ſtatu naturali viventes conſiderandi ſunt (Lib I. Cap. I. §. 5.); præter proprium itaque, de quo Cap. I. egimus, dominium, vulgaris quoque ſeu communis (d. Cap. I. §. 4.) perinde, ac perſonæ ſimplices, capaces eſſe enuntiandi erunt.

COROLLARIUM. Quæ in diſciplinâ J. Naturalis de origine ac neceſſitate dominii atque proprietatis rerum demonſtramus, ea juſtam quoque hìc invenire applicationem ſuam, ex eodem principio non minùs pronè colligimus.

§. 2.

Quumque in jure naturali modos acquirendi alios *originarios*, i. e, quibus primitus in rem nullius proprietas introducitur; alios

alios *derivativos*, quibus dominia ab uno derivantur transferunturque in alterum, eſſe doceamus: eandem quoque modorum acquirendi dominia diviſionem generaliſſimam inter Gentes populosque liberos locum ſibi vendicare, nemo dubitat (§. 1.).

SCHOLION. De modis acquirendi originariis Capite præſenti, de derivativis capite ſequenti III. agimus. Cœterùm, quæ de Titulis, ceu dominiorum cauſis remotis, ex quibus modorum acquirendi juſtitia intelligitur, in J. N. traduntur, identidem huc trahenda erunt.

§. 3.

Sicuti dominia Gentium propria (Cap. I. §. 4.), principaliter & primariò per coalitionem ſub regimine civili (ibid. §. 5. & 6.), & ex parte etiam per occupationem communi univerſitatis nomine factam (ibid. §. 6. Schol.) oriuntur; ita, quod dominium vulgare ſeu commune attinet, præcipuum, ſi non unicum idem acquirendi modum originarium (§. 2.) *occupatio* abſolvit: quæ eſt factum, ex quo concipimus, quomodo res nullius dominii capax propria fiat.

§. 4.

§. 4.

Nititur occupatio generali hâc lege, ceu titulo univerſali: *rem nullius dominii capacem animo domini apprehendendo noſtram facimus*; eadem igitur lex inter Gentes quoque titulum occupatitium juſtum conſtituit.

COROLLARIUM. Ut adeo Gens, ſive populus occupatione rem ſuam faciat, animus primò rem ſibi propriam habendi requiritur; dein apprehenſio quoque accedat opus eſt, id eſt, factum, quo rem in poteſtatem noſtram redigimus, contactu ſive immediato & apprehenſione manuum, ſive inſtrumentis, factisque aliis mediatis.

SCHOLION. Quodſi alterutrum deſit, nulla erit dominii acquiſitio: Neque enim ſolus animus rem in dominio habendi ſufficit, uti ex abſurdis quàm plurimis prono inde alveo conſecuturis nullo negotio colligitur. Neque etiam apprehenſio per ſe ſola, & absque animi deſtinatione ad producendum dominium apta eſt, uti per ſe liquet. Civiliter tamen intelligenda apprehenſio; ita ut, qui rei nullius inſiſtit, certâque eam menſurâ ſibi propriam adſcribit, is omnium partium menſurâ illâ comprehenſarum reputetur dominus, licet omnes ſigillatim manibus haud apprehenderit; veluti latiùs hæc in J. N. demonſtrata ſiſtimus.

§. 5

§. 5.

Res, quæ tum uſum inexhauſtum præbent populis omnibus, id eſt, univerſo generi humano: tum apprehendi, & in poteſtatem redigi nequeunt, *dominii incapaces* dicimus: quarum verò exhauſtus eſt uſus, nec in poteſtatem redigi reſpuunt, res *dominii capaces* ſalutamus.

SCHOLION. Prioris generis *impedimenta moralia*, apprehendendi autem impoſſibilitas *impedimenta phyſica* audiunt; quæ ut plurimùm circa eandem rem concurrunt. Cæterùm advertas velim, eſſe quasdam res, reſpectu perſonarum ſingularum dominii incapaces, veluti maria particularia (Cap. I. §. 14. Schol.), quæ tamen intuitu populorum, ſeu rerumpublicarum in dominio exiſtere haud refragantur; Exempla habuimus Cap. præced. cit. l.

§. 6.

Res nullius dominii capaces quum occupantis fiant (§. 4.), populos in oceano, alioque loco, nullius in proprietate exiſtente, res quascunque mobiles, metalla, uniones, margarithas, corallia, ſuccinum, piſces, aliaque animalia cujusque generis occupando ſua facere, expeditæ eſt veritatis.



Digitized by Google

COROLLARIUM. Quoniam ex adverſo territorium (Cap. I. §. 6.) in dominio exiſtit (ibid §. 7.), nihilque regulariter in eo, quod occupatum haud ſit, deprehenditur, poteſtatem Gentium ad res mobiles in alieno territorio occupandas ſeſe haud protendere pateſcit.

SCHOLION. Limitationes quasdam Cap. I. §. 12. Schol. innuimus; quando ſcilicet remiſſius quoddam dominium in territorium introducitur, & nonnulla occupationi cujuscunque libera permittuntur.

§. 7.

Nec minùs res immobiles dominii capaces occupantium fieri conſtat (§. 4.); Inſulæ igitur in oceano natæ detectæve ejus erunt populi, qui primus eas occupârit, atque animo, ſuo eas adjiciendo dominio, apprehenderit. Inſularum ſiquidem nec inexhauſtus uſus eſt, nec poteſtati populorum ſubdi reſpuunt (§. 5.).

SCHOLION. Apprehendiſſe autem inſulam cenſetur populus, qui primus navibus appellendo, littoraque circumeundo actu aliquo corporali apprehenſi dominii animum palàm conteſtatus fuerit; In quo ſignorum externorum e. g. erectionis, ſeu plantationis vexilli, atque deſignationis terminorum & limitum, eo major utilitas, quo plures occupatarum terrarum incertitudo lites generare apta eſt.

§. 8.

Digitized by Google

§. 8.

Quum porro inſula occupata & novis populata colonis territorium quoddam acceſſorium evadat populi; ut tota inſula, cum omnibus, quæ in eadem exiſtunt, occupata cenſeatur, extremos ejus fines circumcirca occupatos eſſe ſufficit (Cap. I §. 10. Schol.); ac proin, qui circumeundo inſulam ſigna occupati dominii, colonias, & fortalitia conſtituerit populus, totius inſulæ, cum omnibus, quæ in eadem exiſtunt, dominus eſſe jure reputabitur.

SCHOLION. Idque inde etiam colligere licet, quod occupatâ circumcirca inſulâ, nullus ad loca mediterranea acceſſus pateat; niſi quem populus primò occupans ex jure humano indulſerit (Lib. II. Cap. VII §. 7.): neque etiam veroſimile ſit, populum in meditullio ſui territorii locum vacuum, cujusvis occupationi, cum inſigni ſuo incommodo, pervium relinquere voluiſſe (Cap. I. §. 6. Schol.).

§. 9.

Absque animo rem ſuam faciendi, nec non apprehenſione actuali, ceu duobus occupationis requiſitis inſeparabilibus, occu-



Digitized by Google

patio nulla conſiſtit; duobus igitur populis ad occupandam inſulam accedentibus, is ſuam eam facere intelligitur, qui primus in eandem pedem immittit, & apprehendendo in poteſtatem redigit; Quum enim par utriusque in re nullius occupandâ jus ſit, conſequenter factum occupatitium à primo jure ſuſceptum fuerit, jure quoque acquiſitum fuiſſe dominium dicendum erit.

SCHOLION I. Occupatio igitur & poſſeſſionem tribuit, & dominium, iisdem planè naturalibus ex rationibus, ex quibus inter perſonas ſimplices in ſtatu naturali viventes hi ex occupatione effectus conſequuntur. Prorſus ut probare non poſſimus eorum ſententiam, qui dominiis inter Gentes locum eſſe negant (a); id enim quàm abſurdum ſit, vel ex Cap. antecedenti eluceſcit. Quid quod rapinarum bellorumque patronos agere videantur, qui noxia adeo, & rectæ rationi non minùs, quàm tranquillitati populorum è diametro adverſa dogmata in publicum protrudere haud erubeſcunt. Sed nec ipſius GRIBNERI (b) ſeſe mihi opinio probat: qui occupationem poſſeſſionem quidem, neutiquam verò dominium populo occupanti tribuere autumat. Ecquidni dominium? quum occupando jus, ab uſu rei occupatæ alios excludendi perpetuum nanciſcatur.

SCHO-

(a) Vid. GRIBNER. J. N. & G. Lib. III. Cap. III. §. 4.
(b) Ibid. §. V. n. 3.

SCHOLION II. Sed impedire tamen ſeſe populi occupaturi haud debent; de induſtriâ enim ab uno alterove interpoſita obſtacula, quum læſiones juris alteri competentis involvant, juſtæ defenſioni, bellisque anſam ſubminiſtrare poterunt.

## §. 10.

Quodſi ex diverſis partibus populi ad occupandam inſulam acceſſerint, tantum cuique proprium erit, quantum occupatum ſibi voluiſſe, manifeſtis ſignis, indiciisque apertis declarârit.

SCHOLION. Tollendis litium ambagibus inde facilè ſubnaturis, conſultiſſimum fuerit, rem æquâ conventione dirimere: Germanis in concurſu duorum ad rem nullius occupandam æqua diviſio placet, juxta vulgatum: Halbpart; quod & græcis placuiſſe, advertit Illuſtr. HEINECCIUS, *in Elementis juris Natur. & Gent.* (a).

## §. 11.

Terræ continentes vel *habitatæ* ſunt, vel *inhabitatæ*, *deſertæ*, atque *incultæ*. De inhabitatis deſertisque, quum in nullius proprietate exiſtant, idem, quod de inſulis nullius, juris eſſe nemo ambigit.



(a) Lib. I. Cap. VIII. §. 247. in not.

COROLLARIUM. Idque ad loca quoque, quæ intra fines, ſeu terminos territorii fortean inoccupata relinquuntur, pertinere, ex idenditate rationis concludimus.

## §. 12.

Populus, colonias in terras occupatas deducendo, civilèque ibi ſtatuminando regimen, territorium conſtituit, ſui ſaltem Imperii, regni, aut reipublicæ acceſſorium; hoc itaque caſu de terris occupatis idem, quod de finium, territoriique jure Cap. præcedenti §. 6. ſeq. demonſtravimus, juris erit.

SCHOLION. Modi poſſidendi, partiendique agros & terras occupatas, ad rationes, juraque populi cujusque domeſtica ſpectant. De his igitur Jus Publicum univerſale, legesque particulares conſulendæ.

## §. 13.

Quoniam à territorio populi juſtè arcentur exteri (Cap. I. §. 6. & 10.), nec Gentis alienæ Imperium, atque majeſtatis jura citra offenſam & læſionem perfectam invaduntur (Ibid. §. 20.), terras incognitas habitatas, civilique imperio gubernatos populos, occupari ab exteris jure haud poſſe, liquidò apparet.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Idem ex notione occupationis eluceſcit: utpote quâ non niſi res nullius in dominium tranſeunt. Dein, ſi populus aliquis Jus ſibi ſumat, Gentis alterius terras pro libitu occupandi, idem quoque Gentibus exteris licitum erit; quo ipſo bellum Hobbeſianum omnium in omnes oriturum eſſe facilè liquet; id quod à rectè verèque ſapienti hactenus nemine probatum fuiſſe recordor.

§. 14.

At verò, pone continentem terrarum tractum, inſulamve à rudi & inculto habitari populo, ſine legibus & regimine civili qui vivat; pone fertiliſſimum ſolum, bonaque alia quàm plurima Gentibus exteris in barbarie ſuâ relictis, nec ad cultiorem vitam perductis, generis humani uſibus ſubtrahi; pone populum omnis de divinitate cognitionis, moralitatisque expertem vivere; hoc caſu, quum generis humani iis perfrui rebus (Lib. II. Cap. IV. §. 3. ſeq.), vicinosque juxta ſe habere moratos (Ibid. Cap. III. §. 5.), maximoperè interſit, terras illas populosque imperiotenus occupare, nec juris, nec æquitatis rationi refragabitur; præcipuè, quando nullum populo illi malum infertur,

ſed

ſed commoditates potiùs, atque cultioris vitæ compendia promptè ſubminiſtrantur.

SCHOLION. Ex his igitur principiis (§. 13. & 14.) de occupationibus atque invaſionibus in territoria & regna extera, de Romanorum præcipuè, Germanorum, Hungarorum, Saracenorumque irruptionibus; nec non de Hiſpanorum, & aliorum nonnullorum Europæ populorum conquiſitionibus Americanis & Aſiaticis judicare licebit, an, quatenusque æquitati conſonæ fuerint; quas quidem ego nec omnes approbo, nec improbo etiam.

§. 15.

Quæ uſum inexhauſtum præbent populis omnibus, ea à Gente nullâ in dominium redigi queunt (§. 5.), ceſſante quippe causâ, ob quam Jus naturale dominia proprietatesque invexit; Quare nec in aërem, nec in lumen ſolis, aliave his ſimilia Gens ulla dominium jure ſibi aſſerit.

SCHOLION. Intellige de totâ maſſâ, ſeu complexu; qui enim territorio concluditur aër, ab ejus uſu jure excluduntur exteri; licet non tam ob proprietatis jus, quod in aërem ſibi aſſerit respublica, quàm propter rationes alias civiles & politicas, ob quas exteri à finibus territorii arcentur.

§. 16.

Digitized by Google

§ 16.

Quoniam porro oceanus totus, atque univerſim ſumptus, uſum populis & Gentibus omnibus, tam quoad navigationem, quàm quoad piſcationem, aliasque utilitates ſufficientem præſtat, uti per ſe liquet: neque etiam phyſica oceani occupatio, cuſtodiaque poſſibilis eſt: oceanum in integro ſuo complexu ſumptum dominii incapacem, conſequenter nec à Gente quantumlibet numeroſâ occupari, atque in dominium adſeri jure poſſe, expeditum eſt.

SCHOLION. *Quando itaque maris dominium hinc inde ſibi adſcribunt populi, id ad cerimonias, & ſigna externa prævalentis potentiæ maritimæ pertinet, proprietatis jus in univerſo oceano minimè arguens.*

§. 17.

A navigatione igitur & piſcatione, nec non unionum, coralliorum, ſuccini, auri, rerumque aliarum pretioſarum in oceano indagatione, citra injuriam, neminem rectè arceri populum conficimus (§. 16.).

§. 18.

Enimverò partes oceani, quum ita poſſint eſſe comparatæ, ut nec ſufficientem omnibus utilitatem præbeant, neque apprehendi etiam, & in poteſtatem redigi implicent: puta navigatione perpetuâ, & cuſtodiâ non intermiſſâ, partes oceani dominii capaces (§. 5.), conſequenter à populis ſive Gentibus in proprietatem redigi poſſe, exploratæ eſt veritatis.

SCHOLION. De parte Oceani littori contiguâ id Cap. Præced. §. 15. jam demonſtravimus; quippe, quæ partem territorii conſtituit (d. l.): At de particulis oceani à littore longè remotis, quidni idem obtineat? modò Gens ſufficienti navigiorum numero certum oceani tractum piſcationibus perutilem, atque auri, unionum, Coralliorum ſimiliumque rerum feracem occupatum tenere, defendereque ab incurſibus vicinorum valeat? Ex quo de decantatâ illâ controverſiâ circa dominium maris limatum ferri judicium poterit: Reſpuit nimirum mare integrum, totusque oceanus, dominium, aſt non reſpuunt partes oceani & maria particularia, uti ex demonſtratis planum eſt (a).

§. 19.

(a) Vid. Bynkershoek. *De Domin. maris* Cap. II. & III.

§ 19.

Populi ſive Gentes tum occupatione originariâ (§. 4), tum modis acquirendi derivativis aliis (Cap. ſeq.) non rarò jura quædam in Gentis exteræ territorio acquirunt, eademque ceu propria exercent; veluti ſunt jus navigandi in flumine, jus piſcandi in mari particulari aut vicino littore, jus venandi, jus aperturæ, aut fortalitii habendi in ſolo alieno, Jurisdictio in certi generis cauſas, res atque perſonas; quæ, cum in extero ſolo competant, atque territorium, nec non populus unus in gratiam territorii, populive alterius facere aliquid, pati, intermittereve teneatur, *ſervitutum Juris Gentium* nomine compellari nil vetat.

SCHOLION. In Jure Publico Imperii Rom. Germ. has ſervitutes *Juris Publici* nuncupant; eòquod territoria, ipſaque jura territorialia ſupremæ majeſtati Imperii ſubſint: indeque, quid circa hæc jura in alieno territorio poſſeſſa juſtum ſit, ex legibus Imp. publicis definiendum veniat (a).



(a) Vid. ENGELBRECHT *de ſervitut. Juris publ.*

Digitized by Google

§. 20.

Reſtringunt igitur, limitantque ſervitutes Juris Gentium dominia populorum tum propria, tum communia ſeu vulgaria (Cap. II. §. 4.).

SCHOLION. De modis jura ejusmodi in alieno acquirendi derivativis Cap. ſequenti pluribus agemus.

# CAPUT III.

## DE JURIBUS DOMINIORUM, EADEMQUE INTER GENTES ACQUIRENDI & TRANSFERENDI MODIS DERIVATIVIS.

§. I.

QUænam ex dominiis Gentium tum propriis (Cap. I.), tum communibus (Cap. II.) jura conſequantur, ex dominii notione (d. Cap. I. §. 2.), atque demonſtratis hucusque veritatibus facilè conficitur. Dominium quippe, quum facultatem dicat re aliquâ pro arbitrio utendi, fruendique, tot ejusdem effectus, partes,

Digitized by Google

tes, atque jura concipientur, quot diverſis modis utilitatem ex re propriâ decerpere Gentes poterunt; his determinatis de toto inſimul integrali jurium, quæ dominii ſeu proprietatis ambitum abſolvunt, non poteſt non in aprico jacere veritas.

§. 2.

Cui dominium in re aliquâ competit, eidem facultas re illâ actu utendi, abutendive (Cap. I. Schol.) dubia reddi nequit; Enimverò, ad id, ut actu quis re utatur, fruatur, abutaturve, ipſis ſuis manibus ſive per ſe, ſive per alios eandem teneat, vel ei inſiſtat ſaltem, opus eſt; Quapropter, cum actualem rei detentionem, atque inſiſtentiam ſuper eadem *poſſeſſionem* dicamus, *Jus poſſidendi* inter palmarios dominii effectus connumerandum eſſe, facilè liquet.

SCHOLION. Poſſeſſionem nomine domini cum quadam latitudine inter homines accipiendam, ſemelque legitimè indeptam non extemplò proprietario, qui ad momentaneum temporis intervallum eam actu tenere fors deſiit, abjudicandam eſſe, in jure naturali graviſſimis argumentis perhibemus; quare idem quoque inter Gentes

 locum

locum ſibi vindicabit, nec ilico poſſeſſione ſuâ excidiſſe populus declarandus, qui inſulam occupatam, aliamve rem ſibi propriam ad breve ſpatium actu tenere deſiit.

§. 3.

Quod noſtrum eſt, id quominus actu in uſus noſtros convertamus, utilitatesque inde decerpamus, à nemine jure impediri poſſumus (Cap. I. §. 2.); ubicunque igitur res propria exiſtat, proprietario, in ordine ad percipiendas inde utilitates, actu eandem apprehendendi, id eſt, poſſeſſionem (§. 2.) à quocunque avocandi, ſibique vindicandi facultas integra erit.

§. 4.

Quumque, qui citra violentiam, clandeſtinitatis, aut precarii vitium rei poſſeſſionem tanquam dominus nactus eſt, intuitu ejus, qui vitiosè, atque adeò infirmiori jure rem detinet, pro domino meritò reputetur, is quoque poſſeſſionem ſuam à violento, clandeſtino, aut precario poſſeſſore quin jure avocet, dubitari nequit.

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM. Quoniam *bonæ fidei poſſeſſor* is dicitur, qui rem alienam juſto titulo acquiſitam animo & opinione domini poſſidet, id multò magis populo, bonæ fidei poſſeſſori, juris competere liquet.

SCHOLION. In caſu nempe §vi 3. is, qui poſſeſſionem repetit, dominium, ceu veram poſſeſſionis cauſam (§. 2.) probat; In præſenti autem hypotheſi poſſeſſionem ab altero avocans bonam ſaltem fidem, atque firmius poſſidendi jus manifeſtum facit: quo demonſtrato ipſa naturalis ratio violento, clandeſtino, atque precario, aut infirmiori ſaltem jure ſubnixo poſſeſſori cedendum eſſe inculcat.

## §. 5.

Atque inde, aliquos etiam nudæ poſſeſſionis inter Gentes, populoſque liberos effectus eſſe propaleſcit; qui tamen dominii, ſive veri (§. 3.), ſive præſumpti (§. 4.), causâ ferè ſubnituntur.

SCHOLION. Neque tamen proptérea populis poſſeſſionum alias ſpecies, veluti quas ex locato & conducto, aliove ſimili titulo nacti ſunt, à detentoribus injuſtis avocandi facultatem negamus; Aſt ex dominio eædem deſcendere dici nequeunt; ſiquidem pactitium ſolùm jus pro fundamento agnoſcunt; quæ omnia plenius ex jure naturali hic repetenda veniunt.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6.

Qui dominium ſuum demonſtrat populus, hoc ipſo ſibi, non verò alteri cuipiam, rem poſſidendi, habendi, eâque utendi, nec non fruendi jus competere evincit (Cap. I. §. 2.); ubicunque igitur locorum rem ſuam offendit, rectè eandem arripit, & tanquam propriam ſibi avocat; enimverò hoc ipſo rem ſuam ab altero vindicat; quare, ſicuti proprietario cuicunque, ita populis quoque atque gentibus, res ſuas à quocunque detentore ac poſſeſſore vindicandi poteſtas competit.

SCHOLION. Quâ ratione ea vindicatio inter populos, ceu perſonas in ſtatu naturali viventes (Lib. I. Cap. I. §. 5.) inſtituenda, de eo Libro ſeq. IV. & V. uberiùs diſpicimus.

§. 7.

*Turbare* alterum in dominio rei ſuæ dicitur, qui, ne in uſus ſuos eandem convertere, utilitatesque inde provenientes ſibi ſoli depromere valeat, efficit; id quod, quum notioni dominii (Cap. I. §. 2.) è diametro refragetur, turbationes in dominio omnes juri

juri naturali atque Gentium contrarias eſſe, liquidò pateſcit.

COROLLARIUM. Piratarum igitur deprædationes & ſpolia, hoſtiles barbarorum in territoria populorum vicinorum incurſus, direptiones atque occupationes limitum rerumque alienarum violentas, furtivas hominum ex territorio alieno ſubductiones, & plagia; jurisdictionum, nec non regalium populis vicinis intra ditionum ſuarum limites competentium invaſiones illegitimas; juris venandi, fodiendi metalla, legendi ſuccinum, piſcandi in mari, flumine, lacu, parteve oceani propriâ (Cap. I. §. 14. & 15. Item Cap. II. §. 16.), ſimiliumve regalium genti propriorum (Cap. I. §. 4.) clancularias, & prædatorias uſurpationes ad unum omnes Jure Gentium tanquam illicitas improbandas eſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Hæc ſanæ rationi conſona ſunt; attentione ut nulla digna æſtimemus veſana quorundam dogmata, qui inter populos proprietatis jus omne eliminant, atque adeo liberam in quoscunque quibuscunque graſſandi licentiam tribuunt.

§. 8.

Rem propriam à ſe abdicandi (Cap. I. §. 2. Schol.), atque in alios transferendi (Cap. II. §. 19.) poteſtas ad jura & effectus dominii pertinet; Populos igitur tam ea,



Digitized by Google

quæ in dominio proprio (Cap. I. §. 4.), quàm quæ in communi ſeu vulgari (Ibid) exiſtunt, à ſe abdicandi, & in Gentes, populosque alios transferendi, id eſt, alienandi facultate pollere conſtat.

COROLLARIUM. Populus itaque territorium ſuum, (Cap. I. §. 6.) ſive totum, ſive pro parte, maria particularia, flumina, loca deſerta, oceani partes littori contiguas, montes, ſylvas, limites, quin & regalia in ſpecie ita dicta, in populos exteros quin jure transferat, dubitari nequit.

SCHOLION. Modò legitimè fiat translatio illa, omnesque, quos ea res tangit, conſentiant; cuinam verò ea alienandi poteſtas competat, ex formis regiminum, juribus ſummorum Imperantium, nec non legibus reipublicæ fundamentalibus dijudicandum. In regnis patrimonialibus, atque deſpotico jure gubernatis eam poteſtatem Monarchæ, ſeu ſuprema rerumpublicarum Capita ſibi vindicant; Id quod & in aliis regiminum formis monarchicis, in caſibus præcipuè urgentis neceſſitatis, uſu ſervari conſtat. Aliàs nulli regulariter Imperanti de territorii, regnique juribus quidpiam alienandi poteſtas competit; Reipublicæ adminiſtrandæ, ſalutisque communis procurandæ causâ ſummas in republicâ poteſtates ordinatas eſſe, in Jure Publico univerſali immotis argumentis evincimus; Proin regiminis civilis, Monarchæ, ſeu Principi concrediti, ambitus ad alienandi, diſſipandique rempublicam, poteſtatem ſeſe haud pro-

Digitized by Google

protendit; Unde in re tanti momenti populi adſenſus meritò requirendus venit.

## §. 9.

Quoniam, qui in ſocietatem quandam pacto ſive expreſſo, ſive tacito recepti, indeque juris communis fruendi participes facti fuêre, non niſi proprio ſuo conſenſu, aut in caſu extremæ neceſſitatis, ubi tota aliàs civitas peritura eſſet, excludi inde, aut expelli queunt; populo, integras provincias civitatesque alienandi, atque exterarum Gentium Imperio ſubjiciendi, facultatem haud competere evidens eſt (a).

SCHOLION. Caſus neceſſitatis, quorum mentionem injecimus, ſunt e. g. occupatio bellica, aut pacis conditiones non niſi abalienatâ territorii quadam parte obtinendæ; aut inſigne quoddam commodum in publicum redundans, cui tamen provincias atque urbes abalienandas, ceu victimas immolare, uti durum, ita ne tale quid committatur, ſollicitè diſpiciendum erit. Curatiùs hæc enodata ſiſtuntur in J. Publico univerſali, quod doctrinæ hujus propriam veluti ſedem conſtituit.



(a) HUG. GROT. de J. B. & P. Lib. II. Cap. VI. §. 4.

§. 10.

Ad eſſentiam Gentis ſive populi requiritur, ut à Gentibus aliis independens degat, proprioque regimine civili gaudeat (Lib. I. Cap. I. §. 1.); conſequenter ut majeſtaticis atque ſummi Imperii juribus propriis inſtructus ſit (Cap. I. §. 5.); quæ uti alienandi atque in populum ſeu Gentem aliam transferendi indubio jure pollet (§. 8.); ita factâ alienatione populum liberum eſſe deſinere, quique antea independens, ſeparatum regimen civile conſtituerat, jam alieni Imperii partem conficere, atque ſupremæ alterius Gentis poteſtati ſubjici, legesque inde accipere, exploratæ eſt veritatis.

SCHOLION. Qui directum territorii, juriumque ſummi Imperii dominium in Gentem alteram transfert, hujus vaſallus efficitur. Qui verò quædam ſaltem majeſtatis jura in Gentem exteram abalienat, pro parte eidem ſubjicitur, plus, minusve, quò plura atque extantiora civilis Imperii jura à ſe abdicaverit populus. Alterutrâ tamen ratione inſigniter imminui populi independentiam, nemo non perſpicit. Regnorum vaſalliticorum indolem penitius perquirendi, alio loco, in J. Publico ſcilicet univerſali, commoda ſubnaſcetur occaſio.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Quoniam per alienationem regalium fiſci Suprematus ſeu independentia populi haud perimitur, præſertim, ſi, quod regulariter præſumitur, non niſi ſubordinato jure in exteros transferantur; hâc alienatione aliud nihil conſequuntur populi exteri, quàm quod jura quædam in alieno territorio per modum ſervitutum (Cap. II. §. 19.) exercendi facultatem indipiſcantur.

SCHOLION. At verò ſicuti ſervitutes omnes proprietatem ſeu dominium mutilum reddunt, ita regalium quoque fiſci, multò magis jurium ſummi Imperii translationes partiales (§. 10. Schol.) in populos exteros factæ in dominia Gentis tum propria, tum communia (Cap. I. §. 4.), limitationes inducere haud exiguas, eorumque effectus reſtringere pateſcit.

§. 12.

Modi transferendi dominia derivativi ſunt facta, ex quibus intelligitur, quomodo dominia de Gente unâ tranſeant in aliam; Dominia in juribus, ſive facultatibus moralibus conſiſtunt (Cap. I. §. 2.); Quapropter, ſicuti facultates morales ſolo animo reti-



Digitized by Google

nentur, ita ſolâ quoque voluntatis declaratione in alios acceptantes tranſfunduntur: neque re alia opus eſt, quàm ut alienans, ſe jus ſuum in alterum translatum velle, declaret, hic verò reciprocâ animi declaratione idem acceptet; Enimverò declaratio illa ex parte alienantis, atque acceptatio ex parte acquirentis, pactum involvit (Cap. ſeq.); mediantibus igitur pactis dominia rerum inter Gentes alienari, id eſt, de populo uno transferri in alterum liquet.

COROLLARIUM. Quoniam poſſeſſio ad effectus dominii pertinet, atque ex principiis juris naturalis cum latitudine, ſive extenſione quadam accipitur, ita ut poſſidere intelligatur, qui actu rem haud detinet (§. 2.); quominus & ipſa poſſeſſio conſenſu mutuo in acceptantem tranſeat, nil prohibet; id quod *conſtitutum poſſeſſorium* nuncupant (a).

SCHOLION I. Symbola tamen quædam ut plurimùm intervenire ſolent: veluti in traditione poſſeſſionis urbium & provinciarum fieri conſuevit; Uti enim alienationes ejusmodi maximi ſunt ponderis, ita ſolemnibus ſtipantur quàmplurimis, quò de celebratorum memoriâ olim eò certiùs conſtet. Interim traditionem non magis inter Gen-

(a) Vid. GODOFR. MASCOV. *De Conſtituto poſſeſſorio.*

Digitized by Google

Gentes, quàm homines ſimplices in ſtatu naturali viventes, ad eſſentiam translationis dominii pertinere, expeditum eſt; & ad civilia ſolùm inſtituta pertinet, ſiquando pacta & contractus pro titulo tantùm, traditio verò, ſive vera, ſive ficta pro modo habeatur (a); quas tamen ſanctiones civiles haud levi ſuffulciri rationum pondere, alio loco demonſtro.

SCHOLION II. De pactitio hocce dominia transferendi modo pluribus Cap. ſequenti agetur; frequentiſſimum ejus inter Gentes uſum eſſe, monuiſſe impræſens ſufficiat.

## §. 13.

Gentes ſive populi ſub Imperio civili coadunati, ſunt perſonæ morales compoſitæ, non niſi cum ipsâ civili ſocietate intermorientes; inter populos igitur mortis causâ diſpoſitiones regulariter exulant.

## §. 14.

Verùm enimverò, quum reipublicæ ſumma poteſtas, dominiumque in territorium, ſalvis cœteroquin ſubditorum juribus (Cap. I. §. 6. Schol. II.), totum penes Deſpotam, aut

(a) HUG. GROT. J. B. & P. Lib. III. Cap. VI. §. 1. n. 2. Illuſtr. HEINECCIUS J. N. & G. Lib. I. Cap. X. §. 275.

aut monarcham, cum liberrimâ de iisdem diſponendi facultate, reſidere haud implicet; atque ita tota reſpublica in perſonam moralem ſimplicem reſolvatur: Simplex verò perſona plenâ de re ſua diſponendi facultate gaudens, ultimæ quoque voluntatis diſpoſitionibus, ſive teſtamentis, res ſuas in alios transfundere valeat: populos deſpoticis aut monarchicis regiminum formis gubernatos, quorumque rectores jura, territorium, ditionesque reipublicæ in pleno patrimonio habent, ultimarum quoque voluntatum diſpoſitionibus ea omnia in Gentes exteras transferre poſſe, expeditum eſt.

SCHOLION I. Sub ſatis igitur modificationibus atque circumſtantiis teſtamentariis diſpoſitionibus etiam inter Gentes in ſtatu naturali viventes locum adſignare, nulli moramur; licet in ſtatu juris naturalis ultimæ voluntatis diſpoſitiones exulare, atque legibus civilibus ſuam debere originem, plerique exiſtiment; queis tamen adſentiri minimè poſſumus, refragantibus rationibus graviſſimis, quibus neceſſitatem diſpoſitionum teſtamentariarum in jure naturali evincimus; Neque etiam obſervantia, uſusque inter Gentes ab aſſertis noſtris abludit.

SCHO-

SCHOLION II. Alienationes tamen haſce teſtamentarias à deſpotis aut Monarchis in exteros populos factas, à diſpoſitionibus eorundem teſtamentariis, queis Succeſſores regni deſignant, eisdemque regiminis futuri normas præſcribunt, probè velim diſcernas; illæ enim, quum alienationes verè tales, atque exemtiones à juribus populi involvant, pro odioſis meritò habentur, ſtrictèque interpretandæ ſunt; nec facilè, niſi aut jure victoriæ, aut mancipatûs, ſummis Imperantibus libera adeo poteſtas competit. In poſterioribus verò ultimarum voluntatum declarationibus erga Monarchas ſuos liberiores ſolent eſſe populi, eoquod neque juribus reipublicæ, neque territorio inde quidpiam decedat; ſed de his pluribus in J. Publico univerſali.

§. 15.

Summi Imperantes quoad actus præcipuè tranſeuntes, & in quibus integrum repræſentant populum, legibus civilibus obſtricti haud degunt; in ultimarum itaque voluntatum tabulis conficiendis ad ſolennitatum, legibus civilibus præſcriptarum, cuſtodiam minimè eosdem teneri patet.

SCHOLION. Sola igitur clara, certaque ultimæ voluntatis declaratio quali quali ratione facta ſufficit, ut nominatus in illâ heres dominium, aut ſucceſſionis jus indipiſcatur; Ad tollendas tamen omnes ambiguitates, elevandasque contra-



Digitized by Google

rias voluntatis interpretationes, Monarchæ atque Principes ultimas ſuas voluntates ſolennitatibus quibusdam ſtipare ſolent: quarum determinatio ex libero eorundem arbitrio dependet. Plerumque majoris fidei ergò apud acta, & in archiviis publicis teſtamenta ſua deponunt; experientiâ idem abundè comprobante.

§. 16.

Succeſſiones ab inteſtato non minùs quàm ipſa teſtamenta in jure naturali fundantur: quippe quæ præſumptæ veluti ultimarum voluntatum diſpoſitiones ſunt; iis igitur in caſibus, in quibus ſummi Imperantes de territorio, juribusque majeſtaticis atque regalibus liberâ in quoscunque diſponendi facultate gaudent, atque adeò in pleno eadem, ad exteros quoque transmiſſibili, dominio tenent, ſucceſſionibus ab inteſtato locum eſſe, negari nequit.

SCHOLION I. Quinam autem in quolibet regno, aut principatu ſuccedendi modus obtineat, & ad quem usque gradum jus ſucceſſionis ſe ſe protendat, ex legibus cujusque regni fundamentalibus, pactisque ſucceſſoriis determinandum; his deficientibus ad nexum ſanguinis, præcipuum ſucceſſionum ab inteſtato fundamentum reſpicien-

ciendum erit. Tu vide ſis, quæ de regnis ſucceſſoriis in J. Publ. univerſali traduntur.

SCHOLION II. An? & quousque privatis fundos atque prædia ſua in exteros transferre liceat, itidem ex legibus civitatis dijudicandum; quamvis hæ tales privatorum in cives exteros factæ alienationes vel ideò in jure Gentium minùs attendi mereantur, quod nec jura, nec fines aut limites reipublicæ immutent, aut minuant (Lib. II. Cap. V. §. 19.).

§. 14.

Gentes atque populi bonâ ſæpè fide, id eſt, opinione juſtâ dominii provincias, urbes, agros, aut jura etiam ad populum exterum pertinentia nanciſcuntur, atque putatitio proprietatis jure poſſident; Quum itaque jura illa, urbes, agrique alicujus plerumque momenti eſſe ſoleant, ut detineri ea ab alio vix citra ſupinam negligentiam ignorari queat: ſiquando populus proprietarius per longum temporis intervallum continuatam à Gente alia poſſeſſionem haud interpellet; ſi neque re, neque verbis, quod ſuum eſt, repetat; ſi variis inſuper actibus, atque indiciis, u. c. de rebus ac

juribus à populo extero poſſeſſis contractus celebrando, agnoſcendo titulos, acquieſcendo affixioni armorum &c., ſuo ſe cedere jure, atque revindicandi animum deponere, palàm commonſtret, poſt longam annorum ſeriem turbare bonæ fidei poſſeſſorem, atque de dominio, per tot actus tacitè ſaltem agnito, lites movere, iniquiſſimum foret, pacique ac tranquillitati Gentium maximè adverſum. Bonæ igitur fidei poſſeſſionem juſto tempore continuatam, agnitioneque, ut diximus, populi proprietarii ſtipatam, in dominium tandem abire firmum, immotum, ac ſtabile, pro regulâ inter Gentes atque populos immotâ tenendum eſt.

SCHOLION. Æquiſſimæ huic ſententiæ haud leviter ſuffragatur; quod admiſſo perpetuo vindicandi jure, dominia omnia in incerto fluctuarent, vitilitigatoribus amplum injuſtis litigiis proprietarios laceſſendi campum datura; perinde ferè ut foret, nulla prorſus, aut cum enormi hâc extenſione, & in omne ævum duraturâ adversùs bonæ fidei poſſeſſores auctoritate, proprietatis jura inter Gentes, ac populos introducere (a).

§. 18.

(a) Conf. H. GROT. de J. B. & P. Lib. II. Cap. IV. §. 1. ſeq.

§. 18.

Acquiſitionem dominii ſeu proprietatis per poſſeſſionem certo temporis ſpatio bonâ fide continuatam *præſcriptionem* ſeu *uſucapionem* dicimus; Uſucapionem igitur inter Gentes atque populos liberos locum ſibi vindicare expeditum eſt (a).

SCHOLION. Quodnam verò inter Gentes uſucapioni tempus præfinitum; quandoque proprietarius re, atque jure ſuo excidiſſe dicendus ſit, id modo uniformi, conſtantique definitum haud eſt, ſed ex circumſtantiis variis, poſſeſſionis qualitate, proprietarii ſcientiâ & acquieſcentiâ, ſimilibusque agniti dominii indiciis in caſu quolibet individuo determinandum. Plerumque immemorialem requirunt; id quod præcidendis litium bellorumque fomentis ita ferè Gentibus placuit, atque communis utilitas ſuadet (b).

§. 19.

*Interrumpitur præſcriptio* ſeu *uſucapio*, quando, qui in uſucapiendi conditione fuerat, in mala fide collocatur populus; *Impeditur*, quando, ne bona fide poſſideat,

 con-

(a) Grot. d. l. Puffendorf. J. N. & G. Lib. IV. Cap. XII.

(b) Gribner Princ. J. N. & G. Lib. III. Cap. III. §. 5.

conſequenter, ne præſcriptionem Gens adimpleat, efficimus; u. c. continuando regnorum & provinciarum titulos, contradicendo, proteſtando, actus poſſeſſorios partis adverſæ nullos declarando, & ſimilibus (a).

§. 20.

Ex variis hiſce tum inter vivos, tum mortis causâ inter Gentes populosque liberos dominia transferendi, & acquirendi modis oriuntur *prætenſiones illuſtres*; quas, ſi ratione objecti conſideres, definire licet: quod ſint regna, provinciæ, res atque jura, quæ populus ſeu reſpublica una, tanquam ad ſe pertinentia, ab altero vindicandi jus ſibi adſcribit. Sin ſubjective ſumas, prætenſionum nomine illa ipſa, quæ modò diximus, ſuum vindicandi, repetendique jura intelligi apparet.

SCHOLION. Prætenſionum illuſtrium curata notitia, cum fructu in jure Gentium, ejusque applicatione verſaturis omnibus modis commendanda. Præcipuas in excerpto ſiſtit SCHWEDERUS *in Theatro prætenſionum illuſtrium*, Additionibus Illuſtr. GLAF-

(a) Vid. HUBERUS de J. Civit. Lib. I. Sect. 9. Cap. 6. §. 14.

Digitized by Google

Glaffeii augmentato; Item Rousset *Des Interets des Princes, & des pretenſions des Puiſſances de L' Europe.* Potiſſimùm verò conſulendæ deductiones & conſilia, quæ in materiis & controverſiis illuſtribus variis in publicam lucem prodiêre.

§. 22.

*Exemptiones* in jure Gentium dicimus, quando populus exterus partem territorii alieni, integramve provinciam ſuo Imperio ſubjicit, atque ità populi proprietarii poteſtati ſubducit: Item, quando provincia quædam, partem territorii conſtituens, pro independenti ſeſe gerere incipit, atque proprium civile regimen efformat.

COROLLARIUM. Exemtiones invito populo, à quo regnum, provincia, aut urbs eximitur, contingunt; ad alienationes igitur (§. 8.), ſed invitas, easdem pertinere manifeſtum eſt.

SCHOLION. Exemtiones quâ ratione inter Gentes firmitatis robur nanciſcantur, impediānturque, ex dictis hactenus facilè colligitur, ut plura addere ſuperſedeamus.

§. 22.

Ad acquirendi, nec non regna, territoria, juraque majeſtatis amittendi modos occu-

occupationes quoque bellicæ pertinent; ſed quum de iis Libro ſequenti ex profeſſo agamus, impræſens hìc ſubſiſtimus.

# CAPUT IV.

## DE PACTORUM, JURISQUE INTER GENTES PACTITII ORIGINE, NECESSITATE, ATQUE INDOLE.

§. 1.

PAciſci inter ſe gentes dicimus, quando de dando aliquo, faciendo, vel præſtando mutuò conſentiunt; id, de quo dando vel præſtando inter ſe conveniunt, *placitum* audit; quare *pacta* inter Gentes populosque liberos definiri poſſunt: quod ſint conſenſus duarum pluriumve Gentium in idem aliquod placitum.

SCHOLION. Conſenſum illum ex parte dantis vel præſtantis *promiſſum*, ex parte verò ſtipulantis *acceptationem* dici; item pacta alia eſſe *gratuita*, *unilateralia*, & *ſimplicia*, alia *oneroſa*, *bilateralia* & *compoſita*, ex jure naturali repetendum, ubi generalis de jure pactorum doctrina traditur.

§. 2.

Digitized by Google

§. 2.

Quando ſocialiter inter ſe vivunt Gentes, virium, rerumque ad vitæ uſus neceſſariarum, quos patiuntur defectus, mutuâ promptitudine ſupplent (Lib. I. Cap. II. §. 12. ſeq.); Enimverò in actuali officiorum ſocialitatis præſtatione determinandus non ſolùm venit individualis populus atque perſona, cui ea exhibenda ſunt, ſed & in individuo definiendum, quid, quale, quantumque dandum, aut præſtandum, nec non invicem recipiendum ſit; id quod quum absque reciprocâ voluntatis declaratione, promiſſo & acceptatione, id eſt, ſine pacto (§. 1.) fieri haud poſſit; officia ſocialitatis inter Gentes populoſque liberos absque pactis cuſtodiri, actuque obſervari haud poſſe liqueſcit.

§. 3.

Rurſus, quoniam introductis rerum dominiis commutationum, atque commerciorum neceſſitas pronè conſequitur (Lib. II. Cap. IV. §. 3. ſeq.); citraque alienationes



Digitized by Google

rerum in dominio exiſtentium, Gentium felicitas haud ſubſiſtit, veluti penſitanti obvium erit; comercia verò, rerumque comutationes absque commutantium reciprocè factâ declaratione: quid, quale, quantumque, & ſub quibus conditionibus, res ſuas commutare atque alienare velint, vix fieri poſſe intelligantur, celebranda inter Gentes commercia, rerumque commutationes reciprocas pactorum quoque efflagitare uſum colligimus.

SCHOLION. In commerciis, mutuisque rerum commutationibus inter Gentes inſtituendis magna officiorum ſocialitatis pars conſiſtit; unde præſens quoque propoſitio per modum corollarii ex demonſtratis (§. 2.) deduci poterat.

§. 4.

Porro ſocialitatis officia pleraque non niſi jure imperfectô debentur, virtuti, amori, liberoque præſtantium arbitrio relicta, veluti Lib. II. Cap. I. ſequ. latè docuimus; quum igitur de præſtandis ab alio humanitatis officiis, u. c. de auxilio in tempore ferendo, de alienatione, venditione, ſimilive contractu

tractu ex condicto celebrando ſecuros certosque reddi populos vel maximè interſit, ea verò certitudo nullis aptiùs efficaciùsque mediis, quàm pactis inter Gentes initis obtineatur, quippe ex quibus paciſcentibus, juxta mox demonſtranda, jus perfectum enaſcitur; vel ex hoc etiam capite pactorum indiſpenſabilis uſus, utilitasque eluceſcit.

SCHOLION. Quantivis ſanè pretii habenda hæc, quam per pacta conſequuntur Gentes, conſiliorum, negotiorumque certitudo: ut vel ſola evincendæ eorundem neceſſitati ſufficiat.

§. 5.

Sed aliud inſuper, idque maximi ponderis, pactorum inter Gentes neceſſitatem demonſtrandi fundamentum ſecuritatis, pacis, atque concordiæ inter populos tum conſervandæ, atque ſtabiliendæ firmiùs, tum etiam poſt bella diuturna, longaque litium ſuffla- mina reducendæ ratio nobis ſuggerit; Sicuti namque de non turbandis impoſterum populi finibus, depopulandis, vaſtandisque agris, aut in miſeram ſervitutem abducen-

ducendis ſubditis ſecuritas quovis modo procuranda, motaque hinc inde gravamina, prætenſionesque (Cap. III. §. 20.) reciprocæ amicè applanandæ ſunt, ita efficaciſſimum huic fini obtinendo medium pacta ſuppeditare extra controverſiam eſt.

§. 6.

Prono igitur ex dictis alveo conficimus, quod pactorum inſtituto ſaluberrimo gens aut populus nullus carere queat; ſiquidem tranquillè, beatèque vivere anhelet, ſocialitatisque leges ad amuſſim cuſtodire cogitet.

SCHOLION. Poterant eædem hæ propoſitiones tanquam ex jure naturali perſpectæ per modum axiomatum hic aſſumi; ut tamen, quantùm inſtituti ratio patitur, demonſtratas eas ſiſteremus, principiorum Juris Gentium ritè ſtabiliendorum neceſſitas nos permovit.

§. 7.

Paciſcentes, dum ad dandum aliquid, faciendum vel præſtandum ſeſe obſtringunt, rem, operam, vel factum, quod ad τὸ

ſuum

Digitized by Google

*ſuum* ante pactum referebant, propriumque eorum erat, acceptantium ita faciunt, ut jam alteri idem dare, aut præſtare citra læſionem juris acceptanti quæſiti haud valeant; unde in omni pacto alienationem quandam, atque translationem juris ſui in compaciſcentem alterum fieri intelligitur.

COROLLARIUM. Gentes igitur ad τὸ *ſuum* jure referunt, ad quod præſtandum populos alios pacto obſtrictos habent.

SCHOLION. Idque DD. juris naturalis τὸ *ſuum pactitium* nuncupant (a), atque à rebus in dominio vero exiſtentibus, quod effectum attinet, vix diverſum ſtatuunt; licet enim res aut opera, pacto promiſſa, actu necdum acquiſita ſit, debetur tamen, & veluti res noſtra apud alterum conſiſtens, condicto tempore, ideoque præſtanda conſiderari poteſt; atque in eundem cenſum facta quoque omiſſionis referimus.

§. 8.

Noſtrum quod eſt, id jure perfecto ab aliis nobis debetur, atque in caſu denegatæ præſtationis mediis violentis juſtè extorquetur, veluti ex jure naturali liquet; quum itaque, quæ pacto promittuntur, ad τὸ



(a) KOEHLER. J. N. & G. P. I. Exercit. VI. §. 1310.

noſtrum pertineant (§. 7.), pacta jus perfectum, atque ſtrictè tale tribuere evidens eſt.

COROLLARIUM. Quoniam jus paciſcentium uni quæſitum in paciſcente altero obligationem importat, hanc quoque perfectam (Lib. II. Cap. II. §. 1. ſeq.) eſſe apparet.

SCHOLION. Quæ de juribus, atque obligationibus Gentium perfectis hic innuimus, ad *tractatus*, ſive deliberationes præliminares de pactis ineundis, modisque & conditionibus, ſub quibus celebranda, inſtitutas haud pertinent; quippe quæ obligationem perfectam nullam inducunt, uti ex earundem natura facilè intelligitur; niſi fortè tractatuum nomen latiùs accipias, ita ut ipſa quoque pacta comprehendat, quo ſenſu idem ſubinde accipi, vel tractatuum pacis exemplis pateſcit.

§. 9.

*Conſenſus pactitius legitimus* eſt, quando neque ex parte objecti, de quo pacta ineuntur, neque ex parte paciſcentium quidpiam occurrit, quod in juris atque æquitatis regulas impingit; Unde, qui *conſenſus illegitimus* dicatur, pronè conficimus.

SCHOLION. Sic illegitimus eſt conſenſus, quando de re turpi paciſcentes conveniunt; nec minùs pro illegali habendus, quem vi injuſta contrahentium unus ab altero elicit.

§. 10.

§. 10.

Quoniam conſenſus illegitimus legibus refragatur, ſive dein ex parte objecti turpitudinem involvat, ſive ab uno paciſcentium facto illicito eliciatur (§. 9.), conſenſum illegitimum neque jus, neque obligationem pactitiam producere aptum eſſe, rectè concludimus.

SCHOLION. Pactitium dixi; alias namque ex ejusmodi pacto, ceu facto illicito, obligationes enaſci, nil vetat, u. c. ad damni parti innocenti dati reſarcitionem &c.

§. 11.

Pactorum inter Gentes utilitas juxta dicta (§. 2 ſeq.) in eo præcipuè conſiſtit, ut, quid, quale, quantumque præſtandum, nec non quocum, quibusque ſub conditionibus contrahendum ſit, in individuis caſibus curatè definiri valeat, ſicque præciſo omni litium, controverſiarumque fomento, pax & tranquillitas communis firmo ſtabiliatur talo. Pone ea omnia, vel ſingula in pactis Gentium clarè haud definiri, quin multa potius ambigua & in utramque partem diſcepta-

ſceptabilia relinqui; hoc facto pacta eam, quam diximus, haud præſtare utilitatem, in comperto eſt; quod cum abſurdum, & demonſtratæ pactorum neceſſitati repugnet; in pactis claris omnia exprimenda verbis, omnemque obſcuritatem, ambiguitatemque, quàm poteſt ſolertiſſimè, defugiendam eſſe liquet.

SCHOLION. In pactionibus tamen, ſive ſanctionibus Pacis datâ ſubin operâ id agitur, ut compoſitis amicâ transactione majoris momenti controverſiis, quæ cauſam bello dederant, quædam minoris momenti aut ſilentio prætereantur, aut ambiguo ſermone transmittantur; cujusmodi exempla in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ occurrunt.

§. 12.

Quò ambiguitas in pactis devitetur, verbis utendum propriis, atque determinatâ notione circumſcriptis, uti ex logicis patet; quare, cum linguas vernaculas Gentes omnium optimè calleant, ratio reddi poterit, cur pacta qualiacunque cum Gentibus exteris ineuntes aut linguâ vernaculâ, aut communi quodam inter populos recepto idiomate utantur.

SCHO-

SCHOLION. Linguæ communis vice apud Gentes Europæas pleraſque idioma latinum defungitur; cujus nos uſum ex alio capite ſupra commendavimus (Lib. II. Cap. III. §. 12. Schol.).

§. 13.

Gentes non iisdem inter ſe ſignis, verbisque voluntatis indicibus utuntur, uti in vulgus conſtat; quò igitur paciſci inter ſe valeant, ad contractus, atque pacta mutuò celebranda tales adhibendi erunt Miniſtri mandatarii, qui utriusque paciſcentium linguam calleant; aut *interpretibus* utendum, id eſt, perſonis linguarum utriusque Gentis notitiam exactam tenentibus, qui ſermonem ab uno excipiant, ejusdemque ſenſum alteri explanent.

§. 14.

Quoniam Gentes paciſcentes interpretibus verborum fidem habere debent (§. 13.), facilè patet, id negotium committendum haud eſſe, niſi viris probis, fideque dignis, verborum utriusque linguæ notiones determinatas, atque diſtinctas animo comprehendentibus.



Digitized by Google

SCHOLION I. Quò tamen omne captationis, aut ambiguitatis periculum amoliantur populi, ipſa pacta conventa nonniſi linguâ propriâ aut communi (ut innuimus §. 12.) concipere, atque expedire ſolent; cui mori adeo tenaciter inhærere ſolent populi, ut ad ſummitatis planè atque independentiæ eundem notas referant.

SCHOLION II. Quæ de verbis claris in pactis adhibendis, ambiguitateque omni devitanda diximus, non eò extendenda, ut non poſſint quoque populi ſignis ſecretis, mutuò conſenſu confictis, ſicuti in literis, ita in pactorum quoque inſtrumentis uti. Nec enim ſequitur, ut quæ obſcura ſunt uni, aliis quoque, qui notarum illarum Characteriſticarum clavem tenent, talia compareant.

§. 15.

Pacta, prout vel ſub conditione, & modo, ſimpliciter & purè, vel ad certum diem inter Gentes celebrantur, jura atque obligationes pactitias, *conditionatas*, & *modificatas*, *puras*, *in diem*, vel *ex die* conceptas producere evidens eſt.

SCHOLION. In elucidandis hiſce pactorum diviſionibus ideo breviores ſumus, quod totam hanc doctrinam velut ex jure naturali perſpectam hic præponamus.

§. 16.

§. 16.

Quoniam in rebuspublicis, potiſſimùm monarchicis, nomine totius civitatis paciſcendi poteſtas penes monarcham regulariter ſita eſt; hic verò obligationem aut jus pactitium ad perſonam ſolummodò ſuam reſtringere, vel ad univerſam rempublicam, omnesque ſucceſſores extendere queat; in aliam pactorum inter Gentes diviſionem incidimus; quod nimirum alia ſint *realia*, alia *perſonalia*; *Realia* dicimus, quando paciſcentes ipſi corpori civili ſeu reipublicæ atque ſupremo ejus capiti jus aliquod perpetuum acquirunt, aut nunquam interituram obligationem imponunt. *Perſonalia*, quando ſive jus, ſive obligatio pactitia cum paciſcente expirat.

SCHOLION. Quando pacta ſint realia, quando perſonalia, tum ex contrahentium verbis, tum ex negotiorum, de quibus pacta celebrantur, indole eruendum: hæc, ſi totam rempublicam, aut ſummorum Imperantium jura concernant, pacta realia; ſi ſolam monarchæ perſonam, privatamque ejusdem utilitatem reſpiciant, in dubio perſonalia eſſe præſumuntur.



Digitized by Google

§. 17.

Enimverò, quum pacta omnia determinationes quaſdam, atque naturales velut circumſtantias præponant, ſub quibus ineüntur, quibusque ſtantibus obligandi vim retinent; pacta etiam realia rebus ſic ſtantibus intelligenda eſſe: hisque notabiliter mutatis obligationem quoque eorundem pactitiam intercidere, facilè eſt ad intelligendum.

SCHOLION. Quum nihilominus pro pacti vigore præſumptio militet, qui ejusdem valorem impugnat, immutatam eſſe rerum faciem, circumſtantiasque, ſub quibus eorundem obligatio tenebat, liquidò docere debet.

§. 18.

Jura in proprietate ſive dominio exiſtunt (Cap. I. §. 5.), alienarique & transferri in alios haud implicant (Cap. II. § 2.); idem igitur de juribus quoque pactitiis dicendum, niſi fors ad individuam rempublicam, populumque ita alligata ſint, ut ſeparari inde, atque tranſire ad alios nequeant.

SCHOLION: Quomodo pacta inter ſe perficere Gentes ſoleant, quæque Legatorum eâ in re officia ſint; de eo Lib. V. pluribus ediſſerere licebit.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT V.

## DE FIDE, ATQUE SANCTITATE PACTORUM INTER GENTES.

§. 1.

POpuli ſive Gentes pacta *ſervant*, quando, quæ promiſerunt, ad effectum deducunt, ſive actu adimplent; quod ipſum implementum *cuſtodia* pactorum audit.

COROLLARIUM. Quoniam in pactis ad dandum aliquid, faciendum, vel præſtandum ſeſe obſtringunt paciſcentes, pacta ſervari patet, ſi, quod promiſſum eſt, datur, factumve præſtatur, aut omittitur.

§. 3.

Jura pactitia in proprietate exiſtunt, atque ad τὸ ſuum jure referuntur (Cap. IV. §. 7.); ſuum quod eſt, id, ſive ex dominio verè & actu acquiſito deſcendat, ſive vigore pacti debeatur, neque detineri ab altero, neque ejus recuſari præſtatio valet; quum igitur præſtatione actuali ejus, quod



Digitized by Google

vi pacti debetur, pacti cuſtodia contineatur (§. 1.), pacta inter Gentes ſervanda eſſe nemo dubitat.

Idem argumento à contrario ita demonſtro: Pone pacta haud ſervanda eſſe: neque igitur obligationem pactitiam inducent, neque procurandæ felicitatis Gentium, promovendæ ſocialitatis, ſtabiliendæ pacis, firmandæque ſecuritatis media haberi poterunt (Cap. IV. §. 2. ſeq.); quod cum abſurdum; pactorum cuſtodiam, non minùs atque ipſa pacta, neçeſſariam eſſe eluceſcit.

SCHOLION. En palmarem atque fundamentalem pactorum, jurisque inter Gentes pactitii regulam; quæ, cum evidentiâ ſuâ radiet, per modum quoque axiomatis ſumi poterat.

§. 3.

Habitum voluntatis, id quod pacto promiſſum eſt, ad amuſſim, exactéque adimplendi *fidem pactitiam* nuncupamus; quam virtutem moralem eſſe, ex notione virtutis conſtat.

SCHO-

SCHOLION. Dicitur etiam *bona fides*; licet hæc intentionem potiùs deſtinationemque animi candidam ac ſinceram, ſine compaciſcentis ullo damno aut injuſtitiæ labe contractum celebrandi atque implendi, innuat; eam tamen fidei pactitiæ fundamentum eſſe, nemo non perſpicit.

§. 4.

Pacta ſiquidem ſervanda ſunt (§. 1.), Gentes, populosque ad colendam cuſtodiendamque infucatam pactorum fidem obligari, manifeſtum eſt.

§. 5.

*Sanctum* dicimus, quod ab omni violatione immune ſervari, atque illibatum cuſtodiri, tum peculiaris objecti dignitas, & reverentia, tum inſignis ex cuſtodia exacta in univerſum genus humanum redundans utilitas peculiari ſibi ratione depoſcit; Quum igitur indiſpenſabilem pactorum inter Gentes uſum, eximiamque inde in Gentes, populosque profluentem utilitatem capite præcedenti luculenter evicerimus, pacta inviolabilia atque ſancta habenda eſſe, extra controverſiam eſt.

CO-

Digitized by Google

COROLLARIUM. *Sanctitas* igitur pactorum in eorundem inviolabilitate conſiſtit, quatenus ex inſigni, quod illorum violationem conſequitur, detrimento conceptibilis eſt.

§. 6.

Quoniam adeò cum exactâ pactorum cuſtodiâ (§.2.), fideque pactitiâ (§.3.) ſanctitas eorundem individuo nexu cohæret; fidem pactorum ſanctam, pactaque inter Gentes ſanctè cuſtodienda eſſe pronè conſequitur.

§. 7.

Pactorum neceſſitatem (Cap. præced. §.2. ſeq.), nec non ſanctitatem (§. 5.), atque illibatam eorundem cuſtodiam, fidemque, præſcindendo ab omni cultu religioſo demonſtratam dedimus; Fidei igitur pactitiæ, neceſſitatisque pacta ſervandi ratio in cultu religioſo populi, niſi vinculum acceſſorium evadat (Cap. VI. §. 11. ſeq.), quærenda haud eſt; qualiacunque igitur quiſpiam ſacra profiteatur, fidem eidem datam (§. 3.), pactaque ſanctè & illibatè ſervanda eſſe (§. 1. ſequ.), indubio veritatis robore nititur.

Ali-

Digitized by Google

Aliter:

Pone pacta diverſos ſacrorum ritus religionemque profitentibus haud ſervanda eſſe; nulla quoque tum cum iisdem celebrari poſſe, expeditum eſt; Ecquis enim tam veſanus, ſtolidusque fuerit populus, ut fidem pactitiam promitteret ei, à quo nullam ſibi ſervatum iri prævię exploratum habet? Quieſcent igitur omnia cum Gentibus diverſos ſacrorum ritus ſectantibus commercia (Cap. IV. §. 3.); cadent uno ictu ſocialitatis officia (ibid. §. 2.); atque reducendæ paci, terminandisque viâ amicabili bellorum motibus omnem viam præcluſam conſpiciemus (ibid. §. 5.); quod cum abſonum, citraque Gentium populorumque diſpendium maximum admitti nequeat, diſſentientibus in cultu religioſo pacta illibatè ſervanda eſſe pateſcit.

COROLLARIUM. Cum paganis igitur, Turcis, Judæis, & in genere cum hæreticis quibuscunque uti paciſci cœteris paribus integrum; ita data pactorum fides iisdem ad amuſſim adimplenda eſt.

SCHOLION. Quamvis igitur cultus religioſus, veraque præcipuè fides, nova, eaque eximia, pro exactâ pa-

ctorum cuſtodià motiva ſuggerat; contrahere tamen cum heterodoxis, promiſſaque cæteroquin honeſta adimplere nullatenus vetat, aut vetare poteſt. Ut doctrinam contrariam inter pernitioſa, pacem, tranquillitatemque Gentium conturbantia, dogmata meritò retuleris.

§. 8.

Vitium, neglectâ pactorum fide promiſſa haud implendi, *malam pactorum fidem*, ſive *perfidiam* nuncupamus; unde qui populi dicantur *perfidi*, *malæque fidei*, obſcurum eſſe nequit.

SCHOLION. Sicuti bona fides intentionem quandoque, neminem in contractu lædendi, nec non ſolicitudinem, omne à compaciſcentibus damnum amoliendi innuit (§. 5.); ſic ex adverſo mala fides propoſitum alteri in contractu nocendi ſœpe indigitat.

§. 9.

Perfidi pacta violant (§. 8.), atque communibus, tranquillitatis, ſecuritatisque populorum ergò, comparatis mediis ad decipiendum alios abutuntur, ſanctitatis pactorum (§. 5. Schol.) contemptores turpiſſimi; perfidiæ igitur vitium non fœdiſſimum ſolùm,

ſed

ſed & in univerſi generis humani pernitiem tendere patet.

SCHOLION. Populos igitur perfidos ſummo penes omnes odio haberi, & veluti flagitia opprobriaque generis humani abominari, quid mirum?

§. 10.

*Dolus malus* in genere eſt præmeditata intentio alteri nocendi; isque in ſpecie *fraus* dicitur, quando falſis & confictis repræſentationibus alter ad agendum aliquid, omittendumve in pernitiem ſuam inducitur; quod quoniam fini pactorum repugnat (Cap. IV. §. 2. ſeq.) nec cum bonâ fide, candoreque (§. 5.) conciliari poteſt, dolum, fraudemque ab omni pacto procul amovendam, profligandamque eſſe conſtat.

§. 11.

Qui dolo inductus cum altero paciſcitur, non aliis ſub conditionibus atque circumſtantiis, quàm quæ à decipiente repræſentantur, pactum init; Enimverò hæ ex ſuppoſito falſæ ſunt (§ 10.), dolo igitur inductum aut prorſus non, aut ſub falſis



Digitized by Google

ſaltem repræſentatis circumſtantiis, reique confictis qualitatibus haud conſentire perſpicuum eſt.

COROLLARIUM. Quum igitur abſque conſenſu pacta haud conſiſtant (Cap. IV. §. 1.), pacta dolo inita ipſo jure nulla, irritaque eſſe conſequitur.

SCHOLION. Quatenus ſaltem decepto lubet; neque enim favorem meretur decipiens; Unde in illius arbitrio erit, utrum à pacto prorſus recedere, an ſalvo manente contractu damni dolo decipientis dati reſarcitionem ſolummodò petere cogitet; planè ut diſtinctionis inter *dolum dantem cauſam contractui*, & *incidentem* nullus, aut exiguus uſus ſit.

§. 12.

Quodſi dolus, propter quem ad contrahendum quis cum altero inducitur, à tertio proficiſcatur; is contractum inter duos pluresve de dolo haud participantes celebratum non vitiat, nec conſenſum intuitu contrahentium illegitimum (Cap. præced. §. 9.) reddit. Non ex parte decepti: contrahit enim, ut ſupponimus, de re licita, atque acceptabiles ab altero compaciſcente conditiones profert; quas, utpote doli ignarus, quin jure is acceptet, dubio caret; quare neque

que ex parte hujus quidpiam occurrit, quod vitioſum conſenſum arguere valeat. Ne dicam, iniquiſſimum fore, ex delicto tertii damnum ſentire eum, qui cum decepto, bonâ fide, doli prorſus, fraudisque vacuus, pactus eſt; Quibus motivis inductus prior ad contrahendum acceſſerit, poſteriori innocenti indagare haud incumbebat; pacta itaque, quibus dolus tertii cauſam dedit, cum parte innocenti inita valida omnino pronuntianda erunt.

SCHOLION. At enimverò, ſi deceptus, ſubſtituro contractu, inſignem rei ſuæ familiaris jacturam ferre cogeretur, quam reſciſſo negotio nec ipſe nec compaciſcens alter ſenſurus erat, humanitatis utique officia, ut à contractu diſcedatur, efflagitant; Id quod, uti leges civiles in republica, ita circumſtantiæ peculiares in ſtatu naturali ſubinde in jus neceſſitatis convertere poſſe dubio caret (Lib. II. Cap. VIII.).

§ 13.

*Vim alicui inferri* tum dicimus, quando eidem malum quoddam futurum tanquam actionis ſuſcipiendæ, omittendæve motivum intentatur; unde *vis* in contractibus in ſpecie audit, quando comminatione

mali cujusdam futuri conſenſus alterius pactitius elicitur.

§. 14.

Quæ jure perfecto debentur, ad ea conſequenda mediis coactivis uti integrum eſt (Lib. II. Cap. I. §. 1.); Quodſi igitur populus, ad contrahendum cum altero jure perfecto, ut puta vigore pacti de contrahendo, de vendendo emendoque prævie initi obſtrictus ſit, quin hoc caſu ad contractum celebrandum vi cogi poſſit, dubium nullum ſupereſt.

COROLLARIUM. Media illa violenta, ſive vim, ad extorquendum jus perfectum adhibita, *juſta*, ſin ſecus, *injuſta* eſſe apparet.

§. 15.

Affectus, ſive tædium ex intentato malo futuro in anima enatum *metus*, item *timor* compellatur; quem ex parte inferentis *juſtum* vel *injuſtum* eſſe pateſcit (§. præced. Schol.).

SCHOLION. Alio ſenſu *metum juſtum* dicunt, qui ad extorquendum conſenſum pactitium ſufficit; quem

Digitized by Google

etiam *magnum*, item *gravem*, & *cadentem in virum conſtantem*, ei autem oppoſitum, *levem*, & inſufficientem nuncupant.

§. 16.

Vi injuſtâ elicitus conſenſus illegitimus eſt (Cap. IV. §. 9.); Enimverò ex conſenſu illegitimo neque jus, neque obligatio pactitia enaſcitur (Cap. IV. §. 10.); ex pactis igitur vi injuſtâ ſive metu initis jus atque obligationem pactitiam ex neutra parte conſequi, id eſt, nulla eadem, irritaque habenda eſſe liqueſcit (a).

COROLLARIUM. Id quod tamen ad pacta propter metum à tertio incuſſum inita trahendum haud eſſe, eaque vel maximè ſuo conſiſtere valore, ex demonſtratis (§. 12.) colligimus.

SCHOLION. Quidni e. g. contractus empti venditi, locati, aut etiam mutui à populo quodam ob metum ab hoſte illatum cum populo alio amico initus, ceſſante etiam metu ſubſiſteret? Sanè ſi contractus omnes propter dolum metumve tertii irriti declarandi forent, nulla jam pacta, conventionesque vel optimâ fide initæ firmo ſatis robore conſiſterent; Quod, an Gentium, populorumque ſaluti ſatis expediat, alii judicent.

§. 17.

(a) Hieron. Gundling. *de Efficientia metûs* Cap. II. §. 4.

§. 17.

Quoniam Gentes ſive populi liberi perſonas morales in ſtatu naturali juxta ſe viventes (Lib. I. Cap. I. §. 5.) repræſentant, eâdem prorſus ratione pacta inter Gentes metu injuſto inita, nulla irritaque eſſe dicenda ſunt.

SCHOLION. Modò vis illa manifeſtò iniqua & prædatoria ſit, atque notoriâ injuſtitiæ labe laboret; cujus probatio cum inter Gentes difficultates patiatur quamplurimas, aliæque rationes graviſſimæ, cur inter Gentes à pacto metu inito recedendum haud ſit, in promptu ſint, caſus ubi inter Gentes exceptioni metûs locus futurus eſt, raris accenſendos eſſe avibus, exploratum habendum eſt.

§. 18.

Ut ut enim demonſtrata modò (§. præced.) regula indubio firmitatis robore polleat, tot tamen eandem inter Gentes populosque liberos premunt difficultates, ut applicationi vix locus reliquus ſit; Primò namque metus ille plerumque vi hoſtili incutitur, ab iis, qui belli jure gaudere dignoſcuntur, effectus proin victoriæ potiùs reputandus:

Digitized by Google

dus: quum igitur belli cauſas juſtas belligerantium uterque obtendat, vim inferens metum, indeque indepta pactitia jura juſta eſſe proclamabit; atque in offenſam accipiet; juſtamque belli de novo ſuſcipiendi cauſam reputabit, ſi alter obtentu metûs pacis conditionibus, aut contractui, pactove ſatisfacere recuſet; atque ita in infinitum: pactis omnem inter populos vim valoremque amiſſuris, ſanctitateque (§. 5. Schol.) eorundem in totum collapſura.

COROLLARIUM. Peculiares igitur planè circumſtantiæ ſubſint neceſſe eſt, ut exceptio metûs populo compaciſcenti opponi poſſit; nimirum abuſus juris victoriæ adeò manifeſtus, ut de iniquitate pacti ſani judicii nemo dubitare queat.

SCHOLION. In effectu igitur cum iis ſentimus, qui exceptioni metûs inter Gentes locum haud faciunt; niſi quod nos genuinos hujus regulæ fontes aperuerimus, eamque ceu exceptionem propter colliſiones cum aliis Gentium juribus, ſalvis tamen caſibus peculiaribus, ex regula ſupra (§. 17.) demonſtrata definiendis, admittendam eſſe, probatum dederimus. Vide ſis allegati modò (§. 16.) Gundlingii diſſertationem *de Efficientia metûs* Cap. II. quo loco hanc materiam pro dignitate excuſſam offendes.



Digitized by Google

§. 19.

Rebellibus igitur ſicuti fidem illibatè ſervare pactorum ſanctitas (§. 5.) poſtulat, ita ex eadem ratione pacta cum iisdem inita obtentu metûs haud facilè, & non niſi ex graviſſima boni publici cauſa retractanda ſunt.

SCHOLION. Præſertim, quæ impunitatem eorum concernunt, quandoque pro populo independenti ſe ſe gerentes exemptionem omnimodam ſubjectione populi ſibi ſtipulati fuerint; quum enim illa exemptio amore pacis pacto ſemel placuerit, quomodo citra motus bellicos de novo inchoandos infringi, irritaque declarari poterit? Sed poſſunt tamen eſſe caſus, ubi modificare pacis internæ conditiones ſummus Imperans haud prohibetur, u. c. ſi ſaluti ac tranquillitati publicæ manifeſtò adverſari deprehendantur.

§. 20.

Aliud quoque de prædonibus, raptoribus, ac violatoribus territoriorum manifeſtis dicendum; his namque, uti impunitatem pacto promiſſam ſanctè omnino ſervandam eſſe, dubio caret; ita, quæ vi injuſtâ à populo aliquo extorſerunt, aut ſtipulati ſibi ſunt, vix retinere, multò minùs à promittente cum effectu exigere poterunt.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Sed hæc omnia in ipſo rerum uſu bona fides, atque prudens moderabitur populi arbitrium. Cœterùm quæ contractibus Gentium ulteriùs addi hic poterant, ea ex jure naturali repetenda ſunt.

# CAPUT VI.

## DE FIRMANDIS, INTERPRETANDIS, SOLVENDISQUE PACTIS GENTIUM.

§. 1.

PActa inter Gentes illibatè cuſtodiri, communis populorum utilitas poſtulat (Cap. V. §. 2.); quò igitur condicto tempore locoque fideliter effectui dentur, fidesque data ad amuſſim exſolvatur, pro virili annitendum erit; Quumque, quando media ad finem obtinendum ſapienti conſilio ita ordinantur, ut de eodem inde conſecuturo dubitare cum ratione haud liceat, *certitudinem*; & viciſſim, ſi impedimenta omnia finem remoratura dextrè removeantur, *ſecuritatem moralem* conſequamur, de certitudine quoque at-

 que

que ſecuritate præſtationis, nec non ſecuturi pactorum implementi ſollicitos eſſe debere populos pateſcit.

SCHOLION. Inter cauſas quippe præcipuas, ob quas pactorum inſtitutum inter Gentes receptum, atque dictitante naturali ratione introductum fuit, ea quoque referenda, ut de apparatu virium in futuros neceſſitatis caſus ab aliis conſequendarum ſecuri redderentur; absque ſecuritate igitur illâ in perpetuo timore, atque anxietate vivere easdem neceſſum foret; id quod tranquillitati, felicitatique Gentium è diametro adverſari, nemo non videt.

§. 2.

Quoniam Gentes ad colendam pactorum fidem (Cap. V. §. 4.), & ex adverſo ad defugiendam omnem in pactis perfidiam (ibid. §. 8.) obſtrictæ degunt, in pactorum data fide ſatis Gentibus præſidii, ſecuritatis, atque certitudinis ſitum eſſe videbatur: at verò nudam eandem, atque ſimplicem paciſcentes in ſtatu naturali non ſat tutos ſecuroſque præſtare, experientia plus nimis comprobat; malitiâ, odio, habendi cupidine, aliisque pravis affectibus homi-

Digitized by Google

homines in transverſum rapientibus, ac, ne datam pactis fidem pro debito adimpleant, ſœpe ſœpiùs inducentibus; Quapropter de aliis pacta firmandi, atque de ſecuturo eorundem implemento certitudinem conſequendi mediis circumſpiciendum fuiſſe liquet.

§. 3.

*Obligatio pactorum acceſſoria* dicitur, quæ obligationi pactitiæ principali atque propriæ tanquam firmius vinculum, atque novum eidem ſatisfaciendi motivum ſuperadditur. Quum igitur id, ad quod agendum, omittendumve, ex duplici, pluribusve motivis adſtringimur, cuſtodire ſanctiùs, nec adeò facilè negligere, inſuperque habere ſoleamus, per obligationes acceſſorias novam pactis accedere vim, iisque mediantibus paciſcentes de ſecuturis eorum implementis ſecuros evadere evidens eſt.

COROLLARIUM. Quoniam obligatio acceſſoria principali tantummodo ſuperadditur, nihilque in ejus ſubſtantia immutat; vincula acceſſoria, quæ firmandis pactis adjiciuntur, obligationes pactitias principales, in integro relinquere, facilè colligitur.



Digitized by Google

§. 4.

Quodſi plures tanquam debitores principales obligationem in ſolidum in ſe ſuſcipiant, *correi*, ſi tanquam debitores ſubſidiarii, *fidejuſſores* nuncupantur; Quandoquidem igitur major inſecuturi implementi pactorum certitudo ſubeſt, ubi plures, quàm ubi unum tantùm ad rem vel factum quoddam obſtrictum habemus, per obligationes acceſſorias correales & fidejuſſorias pactorum creſcere fidem, paciſcentesque de inſecuturo eorundem implemento certos magis atque ſecuros reddi, nemo non pervidet.

SCHOLION. Obligationes correales, nec non fidejuſſorias, vel ipſius ſtatim negotii principalis partem efficere, vel ex poſt majoris ſecuritatis cauſa accedere, ex Jure naturali notum eſt.

§. 5.

Iidem ferè cum fidejuſſoribus ſunt *Guarandi* ſive *aſſecuratores*, qui inter Gentes populosque pactitiam alterius obligationem ad amuſſim impletum iri, aut fidejubendo in ſe ſuſcipiunt, aut in caſu denegatæ præſtationis,

Digitized by Google

tionis, intermiſſique implementi auxilio ſe læſo affuturos, conjunctisque viribus pacti executionem cuſtodiamque urſuros pollicentur.

COROLLARIUM. Unde patet, Guarandos in caſu negati implementi, aut non ſecutæ præſtationis debitores evadere ſubſidiarios (§. 4.), aut fœderatorum ſaltem nomen induere.

SCHOLION. Guarantiæ in negotiis pacis, atque transactionibus, nec non in compoſitionibus amicabilibus inter Gentes præcipuè locus eſt; Quòd ſi Guarandi ultra bona officia ſeſe haud obligent, *ſponſores* ſive mediatores ſolùm audiunt; de quibus pluribus Lib. V. acturi ſumus (a).

§. 6.

Pignoribus quoque in caſu negati implementi ſubſidiariè obligatis, pactis novum accreſcere robur, atque certam reddi promiſſorum exſolutionem, aut indemnitatem ſaltem creditores conſequi liquet; Unde Gentes quoque traditâ in ſecuritatem territorii quadam parte, urbe, integrave pro-

(a) De *Guarantia pacis* videſis Illuſtr. HENR. de COCCEJI Diſſert. Tom. II. Diſp. 31.

Digitized by Google

provinciâ pactorum ſuorum fidem ſœpe roborare videmus.

SCHOLION. Idque non minus in negotiis ſuis privatis e.g. mutuo, empto &c. quàm in publicis, u. c. transactionibus pacis, fœderum &c. Exemplum vide in Inſtr. Pacis Art. XV. §. 5. Quid porro poſſeſſori in oppignorato territorio juris competat, ex communi pignorum doctrina, atque conditiobus pacto adjectis diſcendum (a).

§. 7.

Quin id quoque uſu ſubin inter Gentes ſervatur, ut traditione perſonarum adinſtar pignorum pactis ſuis, promiſſisque fidem ac ſecuritatem concilient; quas cum *obſides*, pactum verò, quo ejusmodi perſonæ traduntur, *obſtagium* dicàmus; obſtagia, atque obſides inter media firmandi pactorum fidem aſſecurandamque eorundem cuſtodiam rectè referri liquet (b).

COROLLARIUM. Quoniam in detentione obſidum ſecuritas pactorum conſiſtit; obſides cuſtodiendos, atque captivos detinendos eſſe liquet.

SCHO-

(a) Vide GUNDLING. de *Jure oppignorati territorii.* Diſp. Tom. I.

(b) HUG. GROT. de J. B. & P. Lib. III. Cap. 4. §. 4. Item Cap. 20. §. 52.

Digitized by Google

SCHOLION. Quâ ratione tractandi, tum ex perſonarum qualitate, tum ex conditionibus pacti definiendum. Ex quibus quoque determinandum, quid in caſu fractæ à populo fidei in eosdem ſtatuere liceat. Perpetuæ illos, duriorique cuſtodiæ mancipari poſſe, expeditum eſt; ſed an neci quoque tradi? Rectè negant Illuſtr. HEINEC. (a) & KOEHLERUS (b); niſi fors facto ſuo pœnam mortis promeruerint, aut in fuga occiſi occubuerint.

§. 8.

Pactorum porro fidem enixiores candoris ac ſinceritatis in implendo pacto additæ promiſſionibus formulæ adaugent; utpote quæ ſubterfugiis, ſiniſtrisque interpretamentis aut viam præcludunt, aut majorem ſaltem in promiſſis ſtare negligentibus perfidiæ (Cap. V. §. 8.) notam arguunt. Formulæ enixioris fidei pactitiæ indices, in paciſcendo adhiberi ſolitæ, quum *aſſeverationes* dicantur; aſſeverationibus, ceu obligationibus acceſſoriis, majorem promiſſis conciliari firmitudinem, expeditum eſt.



(a) Element. J.N.&G. Lib. II. §. 221. Schol.
(b) J.N.&G. P. II. Spec. VII. §. 2094.

Digitized by Google

SCHOLION. Hujuſmodi formulæ ſunt: e. g. *ſanctâ fide, verè, inviolabiliter* promittimus; item huc quoque trahenda clauſula doli excluſoria: *dolo omni, fraudeque remotâ: Uti inter bonos benè agier oportet.*

§. 9.

Alia aſſeverationum ſpecies eſt, quando vinculo veluti pignoris honorem bonamque fidem obligando, alteri in caſu intermiſſæ præſtationis facultas datur, cuſtodiam pacti inſuper habentem pro infami, aut fide nullâ digno habendi; cujusmodi formulæ, atque obligationes conditionatæ ferè habendæ, queis Monarchæ ac principes pacta ſua roborare ſolent: *ſub fide Regia; ſub fide Principali; per majeſtatem regni &c.*

COROLLARIUM. Malæ fidei nota ex condicto imputanda bonam famam Gentis, monarchæ, Principisque inſigniter ſugillat; quumque præterea ſanctam ſervare pactorum fidem Gentium in commune interſit (Cap. V. §. 6.); Gentes ad pacta aſſeverationibus ejusmodi ſtipata exactè fideliterque adimplenda peculiari ratione obſtringi, nemo abnuet.

§. 10.

Obligatio erga Deum verumque ejus cultum, omnium, quæ in homine concipitur,

tur, maxima eſt; nulla igitur fortior obligandi vis acceſſoria pactis accedere poteſt, quàm quâ fidem pactitiam exſolvendam cum obligatione erga Deum ita conjungunt paciſcentes, ut una ab altera ſeparari nequeat; h. e. quando ſub invocatione numinis divini tanquam teſtis veritatis, candoris, & fidei (Cap. V. §. 3.), nec non vindicis falſitatis & fucati animi, pacta ineunt, aut inita firmant; tales aſſeverationes ſub invocatione numinis factæ, quum *juramenta* nuncupentur, per juramenta omnium fortiſſimum obligationibus pactitiis robur accedere, evidens eſt.

COROLLARIUM. Pacta ſanctè cuſtodienda ſunt (Cap. V. §. 2. & 6.), idem igitur potiori longè jure de pactis juramento confirmatis dicendum erit.

SCHOLION. Intellige legitimis, neque legibus ac æquitati adverſis; quum enim juramenta ſint vincula acceſſoria (§. 3.), nulla eorundem regulariter vis eſſe poterit, ubi principalis obligatio inanis atque irrita eſſe intelligitur.

§. 11.

Juramenta ſine agnitione divini numinis, ejusdemque attributorum haud intelligi, per ſe liquet; Unde, quanti Gentes earumque Imperantes verâ religione imbutas eſſe, interſit, colligimus (Lib. II. Cap. II. §. 8.)

§. 12.

Dolo elicitus conſenſus quum nullus ſit, neque fraude unius ex paciſcentibus inita pacta conſiſtant (Cap. V. §. 11.), patet, quod, licet pacto dolo inito juramentum acceſſerit, non magis tamen idem validum eſſe intelligatur.

SCHOLION. Determinationes ſcilicet ſub quibus ejusmodi pactum initur falſæ ſunt; veris igitur, decipientis facto, haud cognitis, aut quæ proferuntur, non exiſtentibus, ſicuti conſenſus, ita pactum, eique accedens juramentum nullum eſt.

§. 13.

Aliud in contractu metu inito obtinet, in hoc enim conditiones pacti clarè exprimuntur, neque etiam, ut ſupponimus, circa ipſum pacti objectum intrinſeca aliqua turpitudo

Digitized by Google

do occurrit; conſenſus igitur ex parte promittentium, licet ob facinus vim injuſtam inferentis ( Cap. V. §. 15.) illegitimus, nec plenè liber, ſive ſpontaneus, verus tamen ſubeſt. Pone jam illo ipſo tempore, quo vis infertur, tali pacto juramentum accedere; quoniam jurans Deum in teſtem veritatis ſinceritatisque invocat, citra blaſphemiam, graviſſimamque in Deum offenſam in actu jurandi aliam intentionem animo fovere nequit, quàm quod pactum, non quidem propter jus aliquod vim inferentis, utpote nullum (Cap. V. §. 16.), ſed propter honorem gloriamque divini Nominis ſanctè cuſtodire velit; Quare pacta de re cœteroquin licitâ metu inita ſervanda eſſe liquet.

COROLLARIUM. Quoniam exceptioni metûs inter Gentes populosque liberos vix, atque rariſſimè locus eſt ( Cap. V. §. 17. ), à potiori pactis inter Gentes his caſibus ſuum firmitatis robur conſiſtet.

## §. 14.

Ex eo, quod conſenſus metu injuſto extortus illegitimus ( Cap. V. §. 16. ), nullumque vim inferenti jus parere aptus eſt, pa-

tet eum, qui pactum metu extortum eâdem vi compulſus juratò firmat, cogenti nullo intrinſeco obligationis vinculo obſtrictum teneri, ſed ex ſolo motivo erga Deum, cujus, ſine præſtatione promiſſi, ſalvus conſiſtere honor ac gloria nequit, promiſſo ſatisfaciendum eſſe; planè ut iniquus exactor ſe tantùm per modum cauſæ ſine quâ non habeat. Proin caſum habemus, ubi vinculum acceſſorium fortiùs ligat, quam vinculum principale, ſive potiùs obligationem acceſſoriam ſubſiſtere, ubi principalis nulla eſt.

COROLLARIUM. Vim inferens, ut ex dictis apparet, in facto iniquo hæret: nec præſtationem urgendi, præſtitumque retinendi jure gaudet; ut ut igitur, qui juravit, pacto ſtare teneatur, metum tamen inferens nec acceptare, quod promiſſum, nec acceptatum, tanquam ſuum, retinere valet.

SCHOLION I. Quoniam iniqua ejuſmodi obligationum vincula, ſi modò in ſalvo collocari honor divinus queat, inter homines haud toleranda, non mirum, in civitate juramenta metu præſtita eatenus invalidari, ut vim inferentes lucra injuſta læſis reſtituere compellantur, aut extorquere impediantur. Inter Gentes verò quum nemo ſit, qui de juramenti metûsque illati juſtitiâ aut injuſtitiâ cognoſcat, neque etiam, uti in civitate, publicâ

publicâ magiſtratûs declaratione honor Dei, atque conſcientia jurantis in ſalvo collocari queat, pacta ejusmodi inviolabiliter ſervanda erunt; niſi fortè vis illata manifeſtò prædatoria fuerit, publicisque declarationibus vim paſſus honorem Dei, religionisque ſanctitatem ab omni violatione & ſcandalo eliberârit.

SCHOLION II. Sunt, qui ſummo Pontifici ſummorum Imperantium, Gentiumque juramenta relaxandi poteſtatem adſcribant; queis tamen vel ideò noſtrum adjicere calculum non poſſumus, quòd pacta neque inter Gentes ſemper Catholicæ fidei addictas ineantur, neque cauſas religionis concernant, ſed de profanis plerumque publicisque Gentium negotiis concepta ſint; Proin, uti res ſunt Gentium, aſſertam ejusmodi poteſtatem nec cum pace & tranquillitate, nec cum ſummitate, atque independentiâ populorum conſiſtere, facilè colligitur.

§. 15.

Juramenta ſunt aſſeverationes cum invocatione divini numinis factæ in teſtem veritatis, & vindicem falſitatis (§. 10.); Verum igitur Numen licet populi haud agnoſcant, ſi modò, quod colunt, pro teſte, & vindice perjurii habeant, jurare tamen poſſe patefcit; Quapropter, quum pacta, ſanctiones præſertim pacis, ac fœdera vinculis inter populos firmare expediat quàm fortiſſimis, ſicuti

ſicuti aſſecuratio pleniſſima jure à paciſcentibus petitur, ita quò minùs jure quoque quemlibet juxta ſuæ fidei formulas jurare ſinant, petantque, extra dubitationis aleam poſitum eſt.

SCHOLION I. Qui veram fidem tenent populi, ejusmodi juramenta ab heterodoxis præſtita pro nudis pactorum fidem firmandi inſtrumentis habent; & licet in ipſo actu jurandi invocatio falſi numinis interveniat, quoad hanc tamen ſe merè permiſſivè habent, neque juramenta quà actus religionis, ſed quatenus neceſſaria, atque indiſpenſabilia ſecuritatis & pacis obtinendæ, conſervandæque media ſunt, præſtari poſtulant.

SCHOLION II. Niſi tamen verbis concepta ſint in manifeſtam veræ religionis, fideique injuriam tendentibus; tales namque juramentorum formulas ſalvâ reverentiâ, cultuque erga Deum acceptari haud poſſe, per ſe liquet (a).

§. 16.

Quando paciſcentes in ipſo actu, quo contractum celebrant, atque juramento firmant, intentionem, pactum haud ſervandi, quin potiùs contrarium ejus, quod prolata ore verba ſignificant, agendi, mente fovent,

(a) HEINEC. Element. J. N. & G. Lib. I. §. 207.

Digitized by Google

vent; quoniam divinum numen ludibrio velut habent, atque falſitatis, malæque fidei teſtem eſſe volunt, *perjuri blaſphemi* meritò reputantur; ex adverſo, quando intentionem, ſervandi cuſtodiendique pacta, initio quidem ſinceram præferunt, ex poſt facto autem dolo frivoliſque aut nullis ex cauſis inde abeunt, *perjuri ſimpliciter tales* audiunt; Unde, quid *perjurium ſimplex*, quid *perjurium cum blaſphemiâ conjunctum* dicatur, pronum eſt ad colligendum.

SCHOLION. Craſſiſſimum igitur errorem errant; qui pactum, quod ſervare non intendunt, juramento confirmantes, aut cum verbis ore prolatis, alias, quàm uſus fert, notiones conjungentes, reſtrictionibusque mentalibus utentes, à perjurii crimine abſolvunt; quum juxta demonſtrata, datamque à nobis perjurii definitionem blaſphemi præterea habendi ſint; à quo crimine interna animi cogitata eos minimè abſolvunt; ſicuti namque ii, quibus jurant, verba in ſignificatu nativo atque proprio optimo jure accipiunt, ita non minùs in foro tam in- quam externo in perjurii fœdiſſimi crimen incidunt; In ipſorum quippe poteſtate haud erat, aut cum Deo, aut cum verbis communi conſenſu ad manifeſtandum interna animi ſenſa deſtinatis turpiter ludere.

§. 17.

Offenſam Majeſtatis divinæ crimen omnium maximum eſſe, nemo dubitat; quare cum perjuri offenſæ hujus rei fiant (§.16.), de enormitate, atque fœditate perjurii judicare licet.

COROLLARIUM. Cum perfidis atque perjuris vix tutò contrahere licet; unde Gentibus perjurii, ac perfidiæ notas omni ſtudio declinandas eſſe, de novo pateſcit (Cap. V. §. 6. & 7.).

§. 18.

Paciſcentes mentem ſuam verbis claris, & propoſitionibus rite determinatis (Cap. IV. §. 16.), ſine aſtutia, dolo, vi, ac fraude, ſemotâ omni callidâ circumventione exprimere tenentur (Ibid. §. 12.); Verùm enimverò, uti ſunt rerum humanarum fata & viciſſitudines, ambiguitates, obſcuræque nec ſufficienter determinatæ dictiones omnes devitari vix poſſunt. Quædam ſæpè in contractuum formulis ex vagis verborum notionibus dubia oriuntur: Antiquitas, temporis lapſu exeſæ ſcripturæ, ſignificatus voca-

Digitized by Google

vocabulorum obſoleti paciſcentium mentem incertam haud rarò, & ancipitem reddunt; unde *interpretatione*, id eſt, pactorum verbis obſcuris, atque indeterminatis, aut aliunde non intelligibilibus conceptorum declaratione atque expoſitione opus eſſe apparet.

SCHOLION. Quoniam interpretandi regulæ partim in Logicis, partim in jure naturali, Arteque criticâ traduntur, plura de iisdem haud addimus, ſed ad ſatas diſciplinas plura noſſe cupientem remittimus.

§. 19.

Juramenta ſunt acceſſoria pactorum, atque obligationem principalem præponunt; utraque adeo peculiaribus ſuis ut plurimum formulis continentur; quæ cum obſcuritate atque ambiguitate laborare haud implicet; tam juramenta, quàm pacta interpretatione ſubin opus habere liquet.

SCHOLION. Interpretatio tamen juramentorum, utpote ab obligatione pactitiâ ſeparatorum, alium, quam Theologicum, vel, ubi formulæ legibus civitatis definitæ ſunt, civilem uſum haud habet; an ſcilicet formulæ juramenti cum verâ fide? an cum legibus civilibus conſentiant? Prorſus ut capere



Digitized by Google

nequeam, quid quæſtiones hic moveri ſolitæ utilitatis præſtent. Pacta enim ex mente, veroque ſignificatu verborum, & ſic etiam juramenta iisdem accedentia, explicanda eſſe, quis dubitet?

§. 20.

Solvuntur pacta, quando eorum effectus, obligationes ſcilicet & jura, expirant; id quod per præſtationem actualem ejus, quod promiſſum fuerat, fieri, ex dictis (Cap. V. §. 1.) pateſcit.

§. 21.

Quumque pacta; oneroſa præcipuè, & reciproca, imbibitam hanc conditionem habeant: *Si alter pacto ſteterit, atque promiſſo, fideique pactitiæ ſatisfecerit*; patet, recedente uno à pacto, alteri quoque recedendi facultatem integram eſſe; Proin hac ratione pactum diſſolvi evidens eſt (§. 20.).

§. 22.

Ex eo porrò, quod clauſula: *rebus ſic ſtantibus*, omnibus pactis inſit (Cap. IV. §. 17.), mutatâ rerum facie, circumſtantiisque, quæ tempore pacti ceu conditiones

præ-

præponebantur, haud ampliùs exiſtentibus: & in genere, conditione qualicunque contractui adjectâ, evacuatâ: tempore, ad quod obligatio pactitia contracta, præterlapſo; denique compenſationibus, remiſſionibusque, pactorum cadere aut ſolvi vincula, expeditum eſt.

SCHOLION. Quatenus ſuborto inter Gentes bello? quorumque pactorum tum obligatio expiret, de eo Libro ſequenti dicendi occaſio ſubminiſtrabitur.

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER IV.

## DE JURE PERFECTO GENTIUM LITIGANTIUM, ATQUE BELLIGERANTIUM.

## CAPUT I.

### DE EO, QUOD CIRCA LÆSIONES & CONTROVERSIAS GENTIUM IN GENERE JURIS EST.

§. I.

LÆdere Gentem, ſive populum aliquem dicitur, qui ſtatum ejusdem facto ſuo imperfectiorem, ſeu deteriorem reddit; Unde quas actiones Gentium *læſiones*, quos populos *lædentes*, quos

quos *læſos* compellemus, obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM. Id quod ſtatum entis alicujus imperfectiorem reddit, *malum*, & quatenus læſionem conſequitur, *damnum* vocatur; Sunt igitur læſiones actiones quibus aliis damna inferuntur.

SCHOLION. Latiſſimè ita ſumpta læſionum notio damna alteri quacunque ratione, etiam jure illata comprehendit, & ad ea quoque, quæ contra officia humanitatis juraque imperfecta (Lib. II. Cap. I. §. 1.) peccantur, ſeſe protendit. Aſt heic loci non niſi læſiones *ſtrictè tales*, id eſt, actiones contra jura populorum aliorum perfecta dolo culpâve admiſſas intelligimus.

§. 2.

*Dolus* eſt præmeditata ſive deliberata animi intentio alteri nocendi: *Culpa* verò indeliberata omiſſio, ſive nonuſus virium ſufficientium in explendis officiis audit; Unde quæ *læſiones doloſæ*, quæ *culpoſæ* ſint; quæ damna *dolo*, quæ *culpâ* dentur facilè conficitur.

SCHOLION. Prout dolus, atque culpa major aut minor eſt, læſiones quoque tum doloſas, tum culpoſas gradibus inter ſe differre per ſe patet; qui tamen gradus ex facto magis & circumſtantiis

tiis peculiaribus perſonarum, loci, & temporis, quàm ex uniformi aliquâ conſtantique regulà definiendi ſunt. Doli ſaltem, & culpæ, diverſarumque ejus ſpecierum ac graduum curatior enodatio ab hoc loco aliena eſt.

§. 3.

Quando Gens ſive populus, populi alterius dominia, proprietates, fines atque limites (Lib. III. Cap. I. ſeq.) facto ſuo doloſo aut culpoſo turbat, vel deteriores reddit, quin ſibi proprietatis planè jure adſcribit (Ibid. Cap. III. §. 7.), læſiones *deprædationum, invaſionum*, atque *violationum territorii* & *limitum* nominibus efferuntur. Quodſi ipſum corpus civile, forma regiminis, atque ſummi Imperii jura dolo præcipuè ac vi apertâ impugnentur, læſiones *in crimina læſæ Majeſtatis*, ac *ſupremæ populi poteſtatis* incidunt. Negata pactorum jura (Lib. III. Cap. IV. ſeq.) *infractiones fœderum*, dataeque fidei pactitiæ, nec non ſanctitatis pactorum (Lib. III. Cap. V. §. 3. & 5.) *violationes* audiunt. Denique ſi factis, aut verbis, in ignominiam contumeliamque Gentis comparatis, fama ejusdem, honor-

Digitized by Google

honorque Majeſtaticus in deſpectum, atque contemptum detur, læſiones *injuriæ* nec non *contumeliæ* vocantur; Unde, quæ inter Gentes populosque liberos contingunt læſiones, in deprædationibus, violationibus, atque invaſionibus territoriorum ac limitum; in læſis Majeſtatis, & ſummi Imperii juribus; in violata pactorum fide; in injuriis denique ultro citroque illatis conſiſtere perſpicuum eſt.

SCHOLION. Sub violationibus territoriorum læſiones quoque, quæ ſubditis, eorumque bonis contingunt, comprehendi, ex dictis (Lib. III. Cap. III. §. 7. Schol.) colligitur; Sicut & ipſa in ſubverſionem ſummi Imperii Gentis alicujus ſtructa molimina in eum quoddammodo cenſum referri merentur.

§. 4.

Damna porro ex factis læſoriis immediatè conſequuntur, vel ex intervallo demum; ita ut facta præſentia eorundem veluti media habenda, rationemque, cur eventura ſint, contineant; Unde, quid *damni præſentis*, quid *futuri*, ſeu *imminentis* nomine intelligamus, pateſcit.

SCHOLION. Quodſi facta præſentia damni conſecuturi rationem ſufficientem in ſe contineant, *damna certò futura*; ſin quædam ſaltem in iisdem futuræ damni exiſtentiæ requiſita offendamus; *damnum probabiliter futurum* dicimus, quæ probabilitas, pro quantitate ac qualitate requiſitorum damni exiſtentiam determinantium vel major, vel minor eſſe poteſt, uti per ſe liquet.

§. 5.

Læſiones ſtatum Gentium, ac populorum imperfectiorem reddere, ex data ſupra (§. 1.) earundem definitione eluceſcit; læſiones igitur in prima juris Gentium principia, nec non fundamentales ſocialitatis leges impingunt (Lib. I. Cap. II. §. 7. & 12. ſequ.); quare à læſionibus abſtinendum, Gentiumque nemini dolo culpave damnum inferendum eſſe liquet.

SCHOLION. Eſt hæc palmaris juris ſicuti naturalis, ita Gentium quoque regula: *Gens nulla alteram lædat, aut damno, injuriave afficiat:* in cujus exacta cuſtodiâ ſumma pacis & tranquillitatis ratio ſita eſt.

§. 6.

Quoniam porro læſiones in factis conſiſtunt, quibus res jura Gentium perfecta citra fas

fas & æquum auferuntur, impediuntur, atque imminuuntur (§. 1. Schol.), conſequenter damna injuriâ, id eſt, non jure dantur (Ibid.); at verò, damna pro virili avertere, ſana cuivis ratio, & connata juris naturalis dictamina inculcant; Gentibus læſiones ab aliis intentatas quavis meliori ratione *avertendi*, id eſt, ne ad effectum perducantur, efficiendi, impediendique jus eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. Prima igitur, quam circa læſiones regulam obſervent populi, huc redit: ut damna ex læſionibus conſecutura, ſive quod idem eſt, ipſæ læſiones, ceu damnorum cauſæ, quavis ratione avertantur.

§. 7.

Quod actu datur, aut datum eſt damnum, vel *reparabile* eſt, vel *irreparabile*; *illud* dicimus, quod ita comparatum eſt, ut ſarciri læſo, proin in ſtatum priſtinum reſtitui idem valeat; *hoc* verò, quod reſarciri haud poteſt. Porro quando damnum datum, id eſt, quod ablatum, detentum, interceptumve fuit, in individuo reſtituitur, ipſa damni *reſarcitio* apud JCtos *in ſpecie* fieri dicitur; quando ejusdem ſpeciei aut gene-



Digitized by Google

ris res alia in penſationem datur *per æquipollens* ſive *in genere eodem*; quando denique, re ejusdem generis aut ſpeciei haud exiſtente, juxta veram damni dati æſtimationem fit reſtitutio, reſarcitio *per æquivalens*, ſive *æſtimatò* fieri intelligitur.

COROLLARIUM. Quò igitur poſteriori modò fiat reſtitutio, exactam damni dati æſtimationem ineundam eſſe liquet.

SCHOLION. Reſarcitiones damnorum, quæ in individuo, aut æquipollenti fiunt, *reſtitutiones*, eas verò, quæ in æquivalenti contingunt, *ſatisfactiones* vocant. Licet ſatisfactionis vox latiùs quandoque ſumatur, ita ut non modò omnes damnorum reſarcitionum ſpecies, ſed ea etiam, quæ ſecuritatis obtinendæ gratiâ adverſùs lædentes effectui dantur, quibusque malitia eorum corrigitur, ambitu ſuo comprehendat.

§. 8.

Damnum qui dedit, is aut rem alterius nullo jure detinet, aut, quòminùs proprietarius eandem habere, atque in uſus ſuos convertere valeat, rem corrumpendo, aut jurium exercitio impedimenta obmovendo, effecit (§. 3.); facto igitur lædentis continuo ſtatum læſi deteriorem reddi, atque

Digitized by Google

atque felicitate eundem privari ſuâ, nemo non pervidet; Id quod, quum primis juris Gentium atque ſocialitatis principiis (Lib. I. Cap. II. §. 7. & 12. ſequ.) repugnet; atque lædenti potiùs felicitatem aliorum pro virili promovere, omneque damnum avertere incumbat, læſiones à lædentibus corrigendas, id eſt, damna data aut in ſpecie, aut in æquipollenti, ſive denique in æquivalenti æſtimatione (§. 5.) reſarcienda eſſe, indubitatò liquet.

SCHOLION. Alias hujus propoſitionis demonſtrationes ex jure naturali repete (a). Peculiares quoque variæ læſionum ſpecies, e. g. quæ in proprietate, aut dominio contingunt, ſubminiſtrant.

§. 9.

Quoniam, juxta demonſtrata modò, damna læſis data reſarcienda ſunt, his quoque eorundem reſarcitionem petendi jus competere dubitari nequit; quumque læſiones in juribus perfectis contigiſſe ſupponamus

 (§. 11.

(a) Illuſtr. Wolfii. Jus Nat. P. I. Cap. III. Heinec. Element. J. N. & G. Lib. I. §. 210.

(§. 11. Schol.), jus illud quod læſis ad damnorum datorum reſarcitionem petendam competere dignoſcitur, perfectum eſſe, facilè colligitur (a).

SCHOLION. Populus nimirum læſus damna ab aliis data, uti & dolo malo intercepta lucra, ceu res ſuas, ſive actu, aut virtualiter ſaltem apud lædentem exiſtentes conſiderat; ſuum igitur quod eſt, quum jure perfecto ab injuſto detentore repetat (Lib. III. Cap. III. §. 6.), idem quoque circa damna factis lædentium injuſtis data juris eſſe liquet.

§. 10.

Quando populus eo in ſtatu vivit, quo nullas eidem illatum iri læſiones & phyſicè & moraliter certus eſt, *ſecurus* dicitur; ille ipſe verò immunitatis à læſionibus ſtatus, *ſecuritatis* nomine venit. *Periculis* ex adverſo læſionum expoſitæ Gentes degunt, quando plures paucioresve eisdem obventuras eſſe probabile eſt.

COROLLARIUM. In ſecuritate à læſionibus maximum felicitatis ac tranquillitatis Gentium momentum ſitum eſt: uti per ſe patet; quò igitur in

(a) Illuſtr. WOLF. Jur. Nat. P. I. Cap. III. §. 915. & aliis locis paſſim.

Digitized by Google

in ſtatum ſecuritatis, quantùm pote eſt, pleniſſimæ ſeſe collocent, atque ab impendentibus læſionibusque immunitatem ſibi procurent, omnes nervos, viresque intendendas eſſe, nemo inficias iturus eſt.

SCHOLION. Loquimur de ſecuritate à læſionibus extrinſecùs populis obvenientibus; qualia namque media procurandæ ſecuritati ac tranquillitati internæ adhibenda ſint, in Jure Publico univerſali expendimus; nec confundenda etiam ſecuritas hæc à læſionibus, à ſecuritate, quam pactis conſequimur (Lib. III. Cap. VI. §. 1. ſequ.); licet ſtabiliendæ roborandæque huic, de qua loquimur, ſecuritati, pacta media efficaciſſima ſuppeditent (Ibid. Cap. IV. §. 5.).

§. 11.

Atque inde, populis tam ad damna intentata avertenda (§. 6.), quàm ad data reſarcienda (§. 8), uti & futura impedienda, ſecuritatemque conſequendam (§. 10.) jus perfectum competere, indubio conſecutionis filo deducimus.

§. 12.

*Media* dicimus, quæ rationes continent, cur fines actum, ſeu effectum ſuum conſequantur; eaque *ſufficientia* audiunt, quando fini

fini obtinendo præcisè adaptata, ſive ita proportionata ſunt, ut nec plura citra neceſſitatem, id eſt, *plusquàm ſufficientia*, nec pauciora ſine effectu, id eſt, *minùs quàm ſufficientia* adhibeantur. Quandoquidem igitur Gentes læſiones intentatas avertendi (§ 6.), damnorum illatorum reſarcitiones petendi (§.8.), nec non in ſtatum omnimodæ ſeſe ſecuritatis transponendi, tum jure gaudent (§.11.), tum officiis etiam obſtringuntur; media quoque, eaque ad meditatos hoſce fines obtinendos ſufficientia adhibere, integrum iisdem eſſe, exploratum eſt.

COROLLARIUM. Atque ſufficientia iſthæc mediorum ad obtinendum finem unica, eaque conſtans ac certa norma ſive cynoſura eſt, juxta quam tum ad læſiones avertendas, ſarciendas, impediendasque comparata media determinanda ſint; & ex qua de juſta eorundem cum fine conſequendo menſura ac proportione ſtatuere liceat.

SCHOLION. Moderamen tamen, ſive temperamentum eadem patitur, quando damni inferendi, aut illati ſarciendi levitas, ex populorum, rerumque ipſarum circumſtantiis, ac qualitatibus variis æſtimanda, certum mediorum, præcipuè violentorum ſeu coactivorum, gradum ſupergredi vetat, aut damnum datum inſuper prorſus habere, ex

ſocia-

ſocialitatis, humanitatis & charitatis lege præcipit; quæ igitur circa hanc exceptionem prudenter, humaneque inſtituendam occurrent, ea ſuis, ſicubi opus videbitur, locis monere haud prætermittemus.

§. 13.

Populos duos pluresve *controvertere*, ſeu *litigare inter ſe* tum dicimus, quando, quod unus jure ſibi competere, aut legitimè à ſe factum eſſe affirmat, id alter negat, parique ſibi viciſſim jure adſcribit; unde, qui *populi controvertentes* ſeu *litigantes* vocentur, obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM. Quoniam populorum controvertentium unus affirmat, quod alter negat, eosdem in contradictorio verſari patet.

§. 14.

Mutuæ illæ Gentium contradictiones circa res atque jura ſibi competentia, nec non diſceptationes de juſtitia aut injuſtitia factorum in damnum unius alteriusve vergentium, *controverſiæ* nuncupantur; & in ſpecie, quæ unus alterve populus ab altero in damnum pernitiemve ſuam nullo jure

Mm parari

parari, aut facta jam fuiſſe aſſerit, *grava-mina* audiunt.

COROLLARIUM. Læſiones igitur (§. 3.), de quarum juſtitia atque injuſtitia lædens atque læſus diſputant, ad controverſias Gentium referendas eſſe liquet.

SCHOLION. Fontes controverſiarum inter Gentes multis perquirere opus haud eſt; easdem namque partim ex dubiis dominiorum juribus; ex diſpoſitionibus teſtamentariis, & ab inteſtato ſucceſſionibus; ex præſcriptionibus; ex pactis & tractatibus Gentium publicis, ambiguo præſertim horum ſenſu, ſiniſtrisque interpretamentis; ex factis denique in jurium rerumque læſiones tendentibus oriri, tum dictum in antecedentibus (Lib. III. Cap. III. §. 20.), tum per ſe plùs ſatis notum eſt, atque experientia abundè comprobat.

§. 15.

Qui alios lædunt populi, aut lædendi ſaltem propoſitum animo fovent, *inimici*; qui verò vi armorum apertâ damna ſibi inferunt, *hoſtes* nuncupantur.

SCHOLION. Inimicorum tamen nomen uſu vulgari latiùs quandoque accipitur, ita ut lædentes ſeſe ratione qualicunque, ex cauſa ſive juſtâ, ſive injuſtâ, quin & hoſtes quoque comprehendat.

§. 16.

§. 16.

Gentes controvertentes nec damnum ſibi mutuò inferunt, neque inferre intendunt, utpote de juribus prætensè ſuis diſceptantes; neque etiam, quà præcisè tales, armis ac vi inter ſe decertant; Gentes igitur controvertentes ſeu litigantes, *quà tales*, nec inimicos, nec hoſtes (§. 15.) inter ſe eſſe expeditum eſt.

SCHOLION. Viam tamen tum ad inimicitias, tum ad bella ſternunt; atque inde ſopiendas, componendasque, in tempore eſſe demonſtrabimus; De compoſitionum modis, viisque amicabilibus, his vero fruſtraneis, mediis coactivis adhibendis nunc diſpicere lubet.

# CAPUT II.

## DE COMPOSITIONE CONTROVERSIARUM INTER GENTES AMICABILI, NEC NON REPRESSALIARUM, TALIONIS & RETORSIONIS JURIBUS.

§. 1.

JUra Gentium perfecta in caſu denegatæ præſtationis vi atque mediis coactivis exigi poſſe, ex jurium perfectorum notione planum eſt (Lib. II. Cap. I. §. 1.); Quum igitur populi controvertentes (Cap. præced. §. 15.) æqualia utrinque circa objectum litis jura ſibi adſcribant; conſequenter mutuò ſeſe ceu iniquos rerum ſuarum detentores, invaſores, atque jurium violatores, mediis coactivis in ordinem redigendos intertueantur; vigentibus inter populos duos pluresve controverſiis, vim hoſtilem, bellique motus facilè conſequi poſſe, expeditum eſt; Enimverò ſtatus belli, mutuusque ille armorum metus ſecuritati (Ibid §. 10. Coroll.), atque tranquillitati Gentium è diametro adver-

adverſatur; Controverſias igitur inter Gentes, quantùm pote eſt, componendas, atque ſopiendas eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. Lites ac controverſiæ inter Gentes inimicitiarum bellorumque fomites ſunt; quæcunque igitur adverſùs inimicitias, bellaque inter Gentes haud temerè ſuſcipienda rationes militant, eædem quoque litibus inter populos finem imponendum eſſe ſuadent.

## §. 2.

Quando libero ac ſpontaneo litigantium conſenſu controverſiæ tolluntur, easdem *amicabiliter componi* dicimus; Unde *amicabilis compoſitio* eſt libera ac ſpontanea controverſiarum ab ipſis litigantibus, aut ſaltem iis adſentientibus facta ſublatio.

COROLLARIUM. Voluntaria litium ſublatio eſt medium easdem componendi maximè naturale, quodque tranquillitati, paci, ac concordiæ populorum apprimè conducit; lites igitur inter Gentes amicabiliter componendas eſſe, nemo dubitat.

## §. 3.

Juſtitiam qui amat, promptitudine animi, ex æqua juris cuique competentis tri-

 butio-

butione gaudium percipiendi inſtructus eſt; Concordiæ verò qui ſtudet, is nihil intermittit, quò diſſidia tollat, amicitiam ſtabiliat, nec non inimicitiæ obſtacula, qualia quoque lites, ac controverſias inter Gentes eſſe dubio caret (§. 1.), removeat; juſtitiæ igitur amorem, ſtudiumque concordiæ ſincerum compoſitiones litium amicabiles inter populos ac Gentes diverſas inſigniter promovere, nemo non perſpicit.

COROLLARIUM. Qui juſtitiam amat, perſpectis cauſæ controverſæ momentis, atque ponderoſiora longè ex parte adverſa ſtare deprehendens, citra ulteriores ambages prætenſis ſuis juribus cedit; atque adeo hoc ipſo controverſiæ finem facit.

§. 4.

At verò controverſiæ, atque gravamina dubiis ſœpe utrinque rationibus nituntur, neque omni ex parte in liquido poſitæ ſunt; id quod citra controvertentium etiam populorum culpam contingere poterit; Quum itaque ſuum, præcipuè ſi alicujus momenti fuerit, nemo facilè jactare ſoleat, populi controverſias ſuas amicabili compoſitione

Digitized by Google

ſitione applanaturi, *tractatus*, id eſt, ſolennes, atque legitimas cauſarum controverſarum diſceptationes eum in finem inſtituere aſſolet, ut in iisdem, quæ pro juſtitiâ ſuæ quilibet cauſæ militare credit, momenta exponantur, examinentur, & ponderentur, ac demum, expenſis trutinatisque omnibus, an cedendum, an verò prætenſo juri ulteriùs inſiſtendum ſit, controvertentes apud ſe ſtatuant.

COROLLARIUM. Qui cum propoſito, à præconceptis de bonitate cauſæ ſuæ opinionibus ne hilum recedendi, ad tractatus accedunt, fruſtra partis adverſæ fundamenta exaudiunt; unde, ſi ambo controvertentes hacce animi intentione fuerint, aut de bonitate ac juſtitiâ cauſæ ſuæ perſuaſi cedere detrectent, compoſitionem amicabilem deſideratum haud ſortituram eſſe effectum, per ſe liquet.

SCHOLION. Scilicet ambo controvertentes in contradictorio verſantur (Cap. I. §. 13. Coroll.). Quod ſi igitur neutrum ceſſurum prævìè exploratum ſit, durabunt utique controverſiæ, reque infectâ à tractatibus diſcedendum erit.

§. 5.

Tractatus porro amicabiles aut ſcriptis domi conceptis, mutuòque transmiſſis peragun-

aguntur; aut in ordinatis eam ob cauſam conventibus, quos *congreſſus* vocant, ſcriptis ultrò citroque exhibitis, vel per modum *colloquii*, idque inter populos monarchicâ, aut ex hâc mixtâ regiminis formâ gubernatos, inter ipſos Monarchas & Principes; vel, quod uſitatius, expediendisque negotiis congruum magis eſt, per ablegatos ſtatûs Adminiſtros inſtituuntur; teſte hanc in rem experientiâ luculentiſſimâ.

SCHOLION. Modus tractandi in ſcriptis inter populos Gentesque liberas idem ferè, qui inter litigantes in civitate obſervatur; Porrigitur nimirum à Gente, quæ petitoris ſive actoris vicem ſuſtinet, ſcriptum, ſeu libellus, in quo petitionis fundamenta atque gravaminum cauſæ legitimæ exhibentur; contra Gens altera, quæ Rei vice defungitur, excipit; prior replicat; hæc duplicat; & ita porro; donec juſtitia causæ, nec non gravamina pro dignitate excuſſa fuerint; atque ita vel ſopiantur controverſiæ, vel compoſitione deſperatâ, tractatus penitùs abrumpantur.

§. 6.

Quum verò lites inter Gentes componi tanti interſit (§. 1.); tractatus autem & compoſitiones amicabiles ob præconceptas de

de bonitate propriæ cauſæ opiniones ſæpiùs in caſſum cadant (§. 4. Coroll.); Gentes litigantes ſeu controvertentes mutuo conſenſu tertio cuidam, uni, ſive pluribus, ut latâ ſententiâ controverſam dirimant, committere aſſolent; cum itaque perſonæ aut populi, in quos compromittitur, *arbitri*, ipſum verò pactum, *compromiſſum*, atque ſententia *laudum* dicatur, quâ ratione facto compromiſſo in arbitros laudo finiantur controverſiæ inter populos, obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM. Compromiſſa in arbitros libero ac ſpontaneo compromittentium populorum conſenſu nituntur, eadem igitur ſpeciem eſſe compoſitionis amicabilis, evidens eſt (§. 2.).

SCHOLION. Arbitros ab omni partium ſtudio debere eſſe alienos; neque compromiſſorum eoſdem formulas excedere poſſe, ex vulgatis pactorum, atque arbitrorum juribus notum eſt. Quumque ex compactato Gentium controvertentium litem definiant, in arbitros eligi poſſe quoscunque, ſive paris dignitatis, ſive inferioris etiam ordinis perſonas, modò decidendo negotio pares ſint, expeditum eſt. Cæterùm cauſæ diſceptatio coram arbitris eodem, quo (§. 5. Schol.) diximus, modo peragitur.



Digitized by Google

§. 7.

*Mediatores* ſunt perſonæ vel populi, qui conſilio atque operâ ſuâ Gentium controvertentium compoſitiones amicabiles promovent.

COROLLARIUM. Quoniam itaque per modum ſententiæ cauſam controverſam haud dirimunt, mediatores ab arbitris (§. 6.) diverſos eſſe liquet.

§. 8.

Mediatorum officia, uti ex data modò eorundem definitione liquet, in eo præcipuè conſiſtunt, ut compoſitionem amicabilem propoſitis ex utraque parte ſalutaribus conſiliis juvent; ut pervicax alterutrius litigantium ſtudium, factis eam in rem amicis repræſentationibus, emolliant; ut in impedimenta concordiæ ſolicitiùs inquirant, eaque dextrè removere laborent; ut cauſarum momenta ipſi quoque expendant, & cuilibet controvertentium, quid ſibi re maturiùs expenſâ æquum juſtumque videatur, candidè ac ſincerè declarent, pacemque ſuadeant.

COROLLARIUM I. Ex quibus facilè apparet Mediatores 1. omni partium ſtudio eſſe debere vacuos

cuos; 2. maximè intereſſe, ut apud populos controvertentes auctoritate aliqua & pondere valeant; utque 3. ex omnibus ſuis conſiliis, repræſentationibus & officiis candor atque ſinceritas infucata eluceſcat.

COROLLARIUM II. Atque inde ulteriùs conficimus id officii inter Gentes populosque liberos vix aliis, quàm paris aut eminentioris dignitatis Monarchis & rebuspublicis, pari utrique litigantium ſtudio addictis deferendum eſſe.

SCHOLION. Novam inde Mediatorum ab arbitris differentiam contuemur; utpote in quibus, ſi modò partium ſtudio vacui ſint, ad dignitatem eminentiamque haud adeò reſpicere opus eſt.

## §. 9.

Ex eo porro, quod mediatores populis, amicam compoſitionem inituris, grati, atque accepti eſſe debeant, aliquaque apud eosdem auctoritate & pondere pollere; facilè reddi poterit ratio, cur Mediatores ipſorum litigantium libero conſenſu eligantur, utque mediationis officia in ſe ſuſcipiant rogentur.

SCHOLION. Poſſunt tamen & ipſi ſponte ſuâ offerre atque interponere officia; quæ uti ex humanitate profluunt, ita acceptare eadem, aut recuſare litigantibus integrum eſt.

 §. 10.

Digitized by Google

§. 10.

Concordiæ amor (§. 3.) dubiusque litis eventus controvertentes nonnunquam populos, ut de prætenſionibus ultro citroque aliquid remittant, atque ſic ad compoſitionem amicam perveniant, inducere ſolet; pactum, quo dato aliquo, retento, vel remiſſo lis ſive controverſia finitur, *transactio* vocatur; Transactionibus igitur lites inter populos ſopiri evidens eſt.

COROLLARIUM I. Quoniam transactiones mutuo conſenſu ineuntur easdem compoſitionis amicabilis (§. 2.) ſpeciem eſſe liquet.

COROLLARIUM II. Ex eo porro, quod Mediatoribus amicam inter litigantes concordiam pro virili promovere incumbat (§§. 7. & 8.); eosdem transactionibus quoque communi conſenſu perficiendis operam accommodare debere, nemo dubitat.

SCHOLION. Id velim advertas in compoſitionibus hiſce amicabilibus nullum prævium bellum aut hoſtilem armorum vim præſupponi, quæ enim poſt bellum ſuſcipiuntur compoſitiones controverſiarum, ad pacis tractatus pertinent, de quibus ex inſtituto Lib. V. agimus.

§. 11.

§. 11.

Jure utriusque controverſo admodùm dubio exiſtente, & paribus ferè ex parte utraque rationibus militantibus, neutro verò ad cedendum, remittendumve aliquid inducendo, aliud terminandæ controverſiæ medium ſuggerunt, *ſortem* ſive *aleam*; id eſt, incertum, aut in neutrius ſaltem litigantium poteſtate conſtitutum eventum, à cujus exiſtentiâ victoria alterutrius ſuſpenditur; u. c. quando jactâ aleâ ex condicto ei palma adjudicatur, qui numero loculorum alterum ſuperat.

SCHOLION I. Exempla quidem deciſarum hac viâ controverſiarum in hiſtoria occurrunt (a). At verò, an apud Gentes potentiores, an in prætenſionibus ac controverſiis magni momenti uſum ea habitura ſit, ferè ambigo. Et neſcio ſanè, annon imprudentiæ foret, à jactu aleæ reipublicæ jura ſuſpendere; quod ſi etiam pars debilior incertum potiùs eventum expectare maluerit, quàm jure ſuo in totum fruſtrari; an in idem fortior quoque conſenſurus eſt?

SCHOLION II. Deciſionem controverſiæ per ſortem ad compoſitionem amicabilem (§. 2.) referendam eſſe, non eſt, quod multis moneam.



(a) Gribner *Princ. J. N. & G.* Lib. III. Cap. 7.

Digitized by Google

§. 12.

Mediis amicis, atque mediatorum officiis necquidpiam proficientibus, populisque controvertentibus in ſententiis ſuis, ac prætenſis juribus immotè perſiſtentibus, nil aliud ſupereſt, quàm ut, tum ad res & jura conſequenda, tum ad damna intentata avertenda, nec non data reſarcienda media violenta adhibeantur (§. 1.); in quorum electione, quum jure naturali generalis obtineat regula: *ut ne duriora eligantur, ubi leniora ſufficiunt* (a); eadem quoque inter Gentes populosque diverſos ex idenditate rationis juſtam ſuam applicationem inveniet.

SCHOLION. Media nimirum violenta, quibus tum ad conſervanda, tum ad defendenda jura ac res noſtras utimur, exceptiones ſunt ab officiis erga alios, propter colliſionem admiſſæ; quas proin ultra, quàm neceſſitas poſtulat, protendere, tum ſanæ rationi, tum aliorum, læſiones avertendi, juribus perfectis repugnat.

§. 13.

(a) Illuſtr. Wolf. Jur. Nat. P. I. Cap. III. §. 982.

§ 13.

Media violenta, quibus populi læſi adverſùs lædentes utuntur, vel totam rempublicam implicant, atque ultro citroque ſtatum hoſtilem belli inducunt. Vel ad vim, actusque & perſonas particulares ita reſtringuntur, ut neque pacem, quæ inter populos duos pluresve viget, in reliquis conturbent, neque etiam extantiori armorum uſu exerceantur; In caſu priori media coactiva ſeu violenta *bellum* important, de quo Cap. ſeq. ex profeſſo acturi ſumus; caſu poſteriori vis adhibita *repreſſaliarum* generali nomine effertur; eæque in plures denuo ſpecies abeunt, pro ratione objectorum, circa quæ, nec non finium, ob quos exercentur. Generaliter itaque ſic acceptæ *repreſſaliæ* definiri poſſunt: quod ſint recuperationes, atque reſarcitiones damnorum à Gente ſive populo læſo mediis quidem violentis, ſed bello tamen rempublicam haud involventibus (Cap. ſeq.) ſuſceptæ.

SCHOLION. Qui omnia media coactiva, quibus Gens ſeu populus unus adversùs alterum utitur, ſub belli nomine comprehendunt repreſſalias belli ſpeciem, ſcil. primum velut ejusdem gradum eſſe

dicere

dicere debent; id quod per me licet; bellum ſaltem ex uſu Gentium ſolenniorem & univerſalem armorum uſum innuit. Utriusque interim juſtitia ex eodem prorſus fonte demonſtranda, uti ex ſequentibus pateſcet.

§. 14.

Ac proin *repreſſaliarum*, ſeu ut alii ſcribunt, repreſſaliarum ſpecies veluti eſt, quando populus rem ab alio ablatam, atque detentam, mediis quidem violentis, ſed manente cœteroquin ſtatu pacifico, in individuo (Cap. I. §. 7.) recuperat.

SCHOLION. *Vindicationes Juris Gentium* dicere poſſes. Cœterùm repreſſalias haſce, ſi armis, belſicoque apparatu fiant, in bellum offenſivum, ſive recuperatorium abire, ex Cap. V. planum evadet.

§. 15.

Sed propriè magis ad *repreſſalias* referimus, quando damna à populo lædente data occupatione, aut deſtructione *rei ſimilis*, vel *æquivalentis* (Cap. I. §. 7.), absque bello tamen (§. 13.) ſarciuntur.

COROLLARIUM. Unde hoc ſenſu rerum ablatarum recuperationes in ſpecie, ſive in individuo factæ (§. 14.), ad repreſſalias minimè pertinent.

§. 16.

§. 16.

Porro, quod damni dati ſarciendi causâ populus unus ab altero occupat, id vel pleno jure in dominium ſibi adſcribit, vel ſecuritatis tantum causâ, id eſt, eousque, donec lædens ſatisfecerit læſo, detinet; poſteriori hocce caſu repreſſalias *pignorationes* dicimus; quas proin repreſſaliarum ſpeciem eſſe patet (§. 15.).

SCHOLION. Pignorationes Jure Gentium, cœteris paribus, tentatisque ante viis & mediis lenioribus (§. 12.), licitas eſſe nemo dubitat. Fiunt autem tum in rebus mobilibus, tum in immobilibus; quandoque etiam in perſonis, quarum detentiones, ſi ex juſta cauſa fiant, inter reſpublicas integras iniqui nihil in ſe continent.

§. 17.

Damna porro populis vel *immediatè* dantur, vel *mediatè*; læſiones enim aut directè in ipſam rempublicam redundant, aut cives atque membra ejusdem à membris & civibus alterius reipublicæ privatis, vel plane ab ipſa civitate damno afficiuntur; Unde repreſſaliarum alias ex *cauſa publica*, & *leſione* reipubl. *immediata*, alias *ex cauſa privata* & *leſione reip. mediata* deſcendere apparet.

O SCHO-

SCHOLION. Poſteriorem repreſſaliarum ſpeciem, quæ ſcilicet ob damna, injuriasque ſubditis illatas decernuntur, in *ſenſu ſtrictiori tales* nuncupant; ſed, meo quidem judicio, præter rationem; Quidni enim illas quoque, quæ in caſibus ſimilibus ab ipſa republicâ ex cauſa publicâ, & immediatè decernuntur, eo nomine dignemur?

§. 18.

Quoniam ad media violenta deveniendum haud eſt, niſi, ubi viæ amicæ nil proficiunt, atque noſtrum aliâ ratione conſequi haud poſſumus; patet repreſſaliis utendum haud eſſe, præterquam, ubi poſt tentata media amica, repetitionem ſcil. noſtri, amicam, imploratamque juſtitiam populus lædens damnum datum frivolis, nullisque de cauſis reſarcire detrectat.

SCHOLION. His obſervatis mediorum gradibus de repreſſaliarum tam ex cauſa publica, quàm privata (§. 17.) decretarum juſtitiâ dubitari nequit; Quin & damna injuriasque ſubditis illatas vindicari ſarcirique hac ratione poſſe, vel inde colligitur, quòd, dum in ſocietatem civilem coivêre cives, defenſionis ſecuritatisque adverſùs invaſores, injuſtosque detentores exteros media qualiacunque à republica, ſive expreſsè, ſive tacitè ſtipulati ſibi fuerint; ut taceam, quod, cum cives, eorumque bona ipſius reipublicæ partes conſtitutivæ rectè

recté dicantur; ſicuti totum, ita & partes quoque defendendi, & à læſionibus immunes præſtandi civitati jus competat.

§. 19.

Porro, dum Gentes vicinis populis damna inferunt, juſtas plerùmque ſui facti cauſas prætexunt; moratiori nulla usque adeò ſine jure aut legibus vixurâ, ut quidlibet ſibi licere in alios juſtum reputatura ſit. Lædens igitur repreſſalias à læſo intentatas, veluti violationes rerum ac jurium contuebitur, ad quas avertendas mediis itidem violentis uti integrum ſibi ſit. At verò ad mutua arma ſic via paratiſſima proſtat, in apertas belli flammas certò eruptura; Quapropter cum belli gerendi jus, ex principiis Juris Publici univerſalis, ad ſupremam poteſtatem pertineat, repreſſalias quoque, quæ primi velut ad bellum paſſus, quin planè ſpecies belli ſunt (§. 13. Schol.), ſine ſummi Magiſtratûs auctoritate exerceri haud poſſe manifeſtum eſt.

COROLLARIUM I. Subditi igitur ſuperioris ſui authoritate opus habent, ſiquidem illatas injurias, damnaque à Gente vicinâ (§. 18.) data repreſſaliarum viâ reſarcire cogitent.



Digitized by Google

COROLLARIUM II. Multò magis permiſſu ſuperioris inter ejusdem civitatis ſubditos opus eſt: inter quos, uti ex natura ſocietatis civilis vis privata omnis quieſcere debet, ita regulariter repreſſaliæ omnes prohibitæ reputandæ ſunt.

SCHOLION. Ex hoc ſanè fundamento Statibus Imperii, inter ſe minimùm, jus repreſſaliarum negandum venit; excepto, quod pignorationum legibus publicis conformis uſus non omnino improbandus ſit. Sed eò jam res in Imperio rediêre, ut Status, præſertim potentiores, quam plurima ex Jure Gentium ſibi adſcribant, atque in negotiis publicis tranſeuntibus jure ferè populorum liberorum utantur.

## §. 20.

Quum igitur publicâ auctoritate exerceantur repreſſaliæ (§. 19.), literis patentibus, ceu conceſſionis teſtibus, eum in finem opus eſſe conſtat.

COROLLARIUM. Ex conceſſionum adeò literis dijudicandum: à quibus exercendæ repreſſaliæ? An à læſis tantùm, an à quibuscunque aliis? An privato, an publico nomine, h. e., ut bona erepta privatis cedant, aut publico extradenda ſint? An terrâ, an mari? An contra res & merces quascunque, an contra aliquas ſaltem? An contra reipublicæ lædentis, atque æquum jus tribuere recuſantis ſubditos & cives indiſtinctè, an contra quosdam ſaltem? An per modum pignorationum (§. 16.), an verò, ut pleno dominio res occupatæ acquirantur? An in res ſolùm, an verò in per-

ſonas

Digitized by Google

ſonas quoque? & ſiquæ ſunt conditiones atque modificationes aliæ, quas ſummi imperantes repreſſaliarum indulto exercitio adjicere ſolent.

§. 21.

Finis repreſſaliarum eſt, ut damna à populo lædente data reſarciantur (§. 13.); Quapropter, cum fine obtento ceſſet jus ad media, aut potiùs, cur iisdem utamur, nulla ampliùs ratio ſubſit, ſiquando tantum à populo lædente occupatum fuerit, ut læſo inde ſatisfieri poſſit, expirare tum repreſſaliarum ulteriùs exercendarum jus evidens eſt.

COROLLARIUM. Enimverò, cum ſumptus quoque in ipſas repreſſalias, earumque exercitium facti ad damna à lædente data pertineant, hos quoque in computum hìc venire, nemo dubitat.

SCHOLION. Non plus igitur populis repreſſaliatis eripere fas eſt, quàm ad læſiones reſarciendas ſufficit. Sed tu nota: inter Gentes exactos hos juſtæ proportionis limites vix tam exactè cuſtodiri poſſe, ut non quandoque inde recedatur; Quapropter ſiqua in exercitio repreſſaliarum læſio contigit, ea poſtmodum, ubi curatiùs damnorum & ſumptuum examen, æſtimiumque inire licuerit, corrigenda, quodque ultra juſtum modum ablatum fuerit, reſtituendum veniet.



Digitized by Google

§. 22.

Proportio æqualitatis inter damnum datum & relatum, ſeu reſarcitum conſpicua, *Talio* dicitur; Quare, cum per repreſſalias plus alteri eripere, aut inferre damni haud liceat, quàm ipſe dedit (§.21.), in repreſſaliis talionis jus obſervandum eſſe conſtat.

COROLLARIUM. Repreſſaliæ igitur talionis ſpecies ſunt; quæ ſcilicet in reſarcitione damnorum per æquipollens aut æquivalens conſiſtit (Cap. I. §. 7.).

SCHOLION. Qui *talionis* vocem ſtrictiùs ſumunt, per eandem reſarcitionem ſolùm damnorum per æquipollens (d. Cap. I. §. 7.) intelligunt; aut hoc nomine læſionibus reparari neſciis per modum pœnæ oppoſitas læſiones ſimiles intelligunt (a); de quibus Capite VII. uberior dicendi campus erit.

§. 23.

*Retorſiones jurium* hìc loci nobis ſunt conſtitutiones, ſive leges, eo fine in republica latæ, ut civibus aut ſubditis reipublicæ ex legibus alterius civitatis obveniens, imminensve dam-

(a) Vide Programma m. de *arctis J. talionis limit.*

damnum tum impediatur, tum in genere ſaltem ſarciatur: veluti quando juri Albinagii, aut Detractûs in republica recepto, ſimilis apud populum alterum conſtitutio opponitur.

SCHOLION. Non igitur huc pertinent retorſiones injuriarum: utpote, quas ad talionem potiori jure referri ex dictis §. præcedenti Schol. colligitur. Sed nec fatæ modò retorſiones jurium propriè ad media coactiva, atque repreſſalias pertinent; uti penſitanti obvium eſſe debet.

§. 24.

Quoniam mediis, quæ iniqui nihil in ſe continent, damna à ſubditis atque republicâ avertere licitum eſt (Cap. I. §. 6.); quin idem quoque per retorſiones jurium (§. 23.) licitè fiat, dubitari nequit.

SCHOLION. Nec tamen leges atque conſtitutiones alterius reipublicæ injuſtæ propterea pronuntiandæ ſunt. Valent utique illæ intra territorium, effectusque ſuos ubicunque exerunt; ſed idem viciſſim de legibus ab alio populo oppoſitis dicendum. Albinagii tamen Jus æquitati repugnare, Lib. II. Cap. V. §. 29. oſtendimus.

§. 25.

Digitized by Google

§. 25.

Ultimum, quo bella avertantur, medium *certamina ſingularia* produnt; quando ſcilicet à pugna duos inter, quos populi litigantes delegerint, inſtitutâ, fauſto aut infauſto ſucceſſu controverſiæ nullâ aliâ ratione ſopiendæ deciſio ſuſpenditur.

COROLLARIUM. Quum per certamen ſingulare bellum prævertatur, idemque in pugnam duorum reſolvatur; conſequenter tum multorum cædi, tum provinciis, regniſque parcatur; quin certamina ſingularia his caſibus juſta pronuntiemus, nulli hæſitamus.

SCHOLION. Aſt inter populos potentiores, in controverſiis illuſtribus de regnis, urbibus, & provinciis ea ratio componendi diſſidia vix ac ne vix quidem probabitur populis. Unde ad antiquitatis delicias pertinent, quæ hìc ex hiſtoriis veterum colligunt exempla, imitatores ægrè inventura.

CA-

# CAPUT III.
## DE
# BELLO,
## ULTIMO LÆSIONUM AVERTENDARUM, SARCIENDARUM, SECURITATISQUE CONSEQUENDÆ MEDIO.

§. 1.

Vindicationes rerum violentæ (Cap. II. §. 14. Schol.), repreſſaliæ (ibid. §. 15. ſeq.), talio (ibid. 22.), aliaque ejusmodi media coactiva ſine fructu ſœpe, atque ſperato ſucceſſu adhibentur; parte adversâ repreſſaliis repreſſalias, talioni talionem opponente, atque ita, ne aut ſarcitio damni, aut ſecuritas obtineatur, impediente. Sœpe nec vindicari res, nec ſarciri damna, aut coerceri injuriæ illatæ absque manu militari, atque armorum in univerſam rempublicam paratorum apparatu ſolenniori queunt; partim, quod populus lædens territorii ſui limites undequaque præſidio munitos adversùs vim leviorem probè cuſtoditos teneat; partim, quod providâ, vigilantique curâ repreſſaliis viam

omnem præcludat. Sœpe à populo inimico ex improviſo illata vis hoſtilis major, invaſionesque in territoria repreſſaliis locum haud relinquunt. Variæ denique circumſtantiæ, res ipſæ, & objecta litis, ne media iſthæc leniora adhiberi cum effectu valeant, in cauſa ſunt. Quoniam nihilominus ad læſiones, atque inde reſultantia damna tam avertenda, quàm ſarcienda, nec non in futurum impedienda Gentibus læſis, aut læſionem metuentibus mediis ſufficientibus uti integrum eſt (Cap. I. §. 12.); ita comparatis rebus nil aliud reſtat, quàm ut reſpublica lædens *armorum* vi, id eſt, apparatu mediorum coactivorum extantiori, manu militari, & reliquis refractarios coërcendi inſtrumentis publicè impetatur, atque tum ad ſarcienda damna, tum, ne nocere impoſterum queat, adigatur.

SCHOLION. Id tamen velim obſerves, quod, cum ad media duriora deſcendendum haud ſit, quousque leniora ſufficiunt (Cap. II. §. 12.): ſicubi temporis ratio tulerit, *minæ*, ſive declarationes de inſecutura in caſu continuatæ læſionis, aut negatæ ſatisfactionis, vi hoſtili præmittendæ ſint. Id quod ſimiliter de repreſſaliis (Cap. II. §. 18.) tenendum.

§. 2.

§. 2.

Solennior ſive extantior hic armorum, atque mediorum coactivorum uſus ad recuperandum ablata, ſarciendum damna, conſequendamque ſecuritatem adverſùs rempublicam lædentem adhibitus, inter Gentes & populos liberos *belli* nomine venit. Quumque hoc ipſo, quod ad mutua arma proſiliant Gentes, è ſtatu pacifico in ſtatum hoſtilem armorum tranſitus fiat, hunc quoque ſtatum *belli* voce vulgò indigitant.

SCHOLION. Quodſi uſum illum armorum extantiorem, ſolennioremque mediorum coactivorum apparatum, quo Gentes & populi ſub iis, quas diximus (§. 1.), circumſtantiis jura & res ſuas vi perſequuntur, *certationem per vim* dicas; quominus *bellum* certationem per vim: item ſtatum per vim certantium definias, nil moror; quæ tamen definitio, niſi, quid ſit *certare per vim*, probè determinaveris, obſcuritatis vitio laborare videtur.

§. 3.

Bellum, quod inter Gentes & populos liberos geritur, *publicum*; quod inter homines in ſtatu naturali viventes, atque ſingulos geritur, *privatum* dicitur.

SCHOLION. Belli, quam dedimus (§. 2.), definitionem ad bellum publicum pertinere, ex dictis facilè colligitur. In ſtatu naturali, ubi inter bellum & repreſſalias diſtinguere opus haud eſt, *bellum* rectè definitur per ſtatum hominum, quo jus ſuum per vim perſequuntur adversùs alios (a); aſt in Jure Gentium, ubi non omnis vis coactiva, aut violenta damni reſarcitio ſtatum hoſtilem inducit, belli notio talis ſtabilienda fuerat, ex qua differentia à repreſſaliis, & lenioribus ejusmodi mediis coactivis eluceſceret; Per repreſſalias, quà tales, nunquam induci ſtatum belli, neque repreſſaliantes pro hoſtibus propriè ita dictis (§. ſeq.) haberi, inter Gentes expeditum eſt; unde, non absque ratione à vulgari belli notione nonnihil nos receſſiſſe, luculenter apparere exiſtimo.

§. 4.

Qui bello inter ſe decertant populi, *hoſtes*, indeque enatus ſtatus belli, *ſtatus hoſtilis*; armorum verò, mediorumque coactivorum actu ſeſe exerens uſus *hoſtilitas*; atque in ſpecie *velitatio*, *prælium*, *obſidio*, *invaſio*, *deprædatio*, *excurſus pabulatorius*, *abductio in captivitatem*, *exactio lytri pro redimendis incendiis* &c. nuncupatur.

COROLLARIUM. Inimicitiam, ſive promptitudinem animi ex alterius infelicitate gaudium percipiendi,

(a) Ita Illuſtr. WOLF. Jure Nat. P. I. Cap. III. §. 1102.

piendi, non ſemper cum actuali nocendi ſtudio ſive hoſtilitatibus conjunctam eſſe per ſe liquet; Quare hoſtes in eo, quo (Cap. I. §. 15. Schol.) explanavimus ſenſu, inimicos quidem; aſt non viciſſim omnes inimicos hoſtes eſſe, rectè concludimus.

SCHOLION. Sicuti nimirum *hoſtium* nomen utrisque belligerantibus tribuimus, abſtrahendo, an cauſam juſtam, an injuſtam foveant; ita utrique exorto bello inimicorum nomen induunt; Aſt, ſiquidem Gentes non minùs, quàm perſonæ ſimplices actiones ſuas rectæ rationi conformare obſtrictæ ſunt, inimicitia tunc nil aliud dicere poterit, quàm voluptatem ex aliorum infortunio, quatenus neceſſarium, unicumque nos, noſtraque defendendi & conſervandi medium eſt, hauſtam.

§. 5.

Ad avertendas, ſarciendas, impediendasque læſiones media qualiacunque ſufficientia licita ſunt (Cap. II. §. 12.); nec proin armorum quoque publicus, ſolenniorque uſus improbandus eſt (§. 1.); in quo, cum belli ratio conſiſtat, *bellum* quoque, conſequenter & *bellare* licitum eſſe, negari nequit.

SCHOLION. Recolenda hic veniunt, quæ de Bello privato in Juris naturalis Tomo I. demonſtrat Illuſtr. WOLFIUS (a).



(a) Cap. III. §. 1102. usque ad finem Capit.

Digitized by Google

§. 6.

Stolidè agit, qui mediis utitur, quibus intentum finem haud conſequitur: ſive dein per ſe inſufficientia ſint, ſive ex accidenti eorundem effectum impeditum iri quis prævideat. Quodſi igitur populus bellum ſuſcipiat, quod nec læſionum avertendarum, nec ſarciendarum, aut impediendarum medium eſt, ſtolidè eundem bellum gerere, ipſumque *bellum ſtolidum* rectè dici pateſcit.

COROLLARIUM. Bella itaque adversùs prævalentes viribus: & in genere arma qualiacunque, queis finem intentum non conſequitur populus, ſtolida, proindeque ſuſcipienda haud eſſe, manifeſtò liquet.

SCHOLION. Invaſiones potiùs, læſionesque his caſibus ceu calamitates, devitari neſciæ, ferendæ; aut initis fœderibus, conjunctisque viribus efficiendum, ùt populus læſus propulſandis injuriis par atque ſufficiens evadat (vid. Cap. VIII.).

§. 7.

In officia erga alios impingit, qui citra neceſſitatem ab iisdem exceptionem inſtituit, & ad rem levem aut exigui momenti conſervandam, recuperandamve ad extre-

mà us-

Digitized by Google

ma usque media provolat; ob rem igitur levem, atque reſpectu populi læſi pro nihilo, vel in caſu extremo ſuſcipiendi belli (§. 1.) inſuper ſaltem habendam, bellum ſuſcipiendum haud eſſe, in aprico jacet.

SCHOLION. Atque hæc regula inter respublicas, atque populos diverſos eò cuſtodienda curatiùs, quod belli furor in innocentes plerumque ſubditos & cives ſæviat, & civitatem in ruinam deturbet. Quænam verò læſiones, damna, & injuriæ pro re levi æſtimandæ, ex circumſtantiis ſingularibus populorum, rerumque dijudicandum eſt.

§. 8.

Subditi ex natura civilis Imperi cauſas ſuas controverſas, ſive lites regulariter coram judiciis viâ juris diſceptando finiunt; adversùs respublicas exteras autem defenſionis atque recuperationis violentæ jus omne ſummo Magiſtratui relinquunt, ne repreſſaliis quidem, niſi ſuperioris authoritate, exercendis (Cap. II. §. 19.), veluti ex Juris Publici univerſalis doctrinâ indubitatò liquet; Subditi igitur neque inter ſe, neque

neque adverſùs populos exteros bella gerendi, atque armis certandi jure gaudent.

COROLLARIUM. Belli itaque, publici ſcilicet, (§. 3.) gerendi jus ad majeſtatica ſummi Imperii jura pertinet.

SCHOLION. Status Imperii ſubditi quidem Imperii, ſed alterius tamen, quàm ſubditi vulgares indolis ſunt; Unde demonſtratæ modò propoſitiones iisdem per omnia applicari haud poſſunt; In ſpecie bella eosdem, modò ſalvum ſit Imperium, adverſùs exteros licitè gerere, legibus Imperii fundamentalibus ſat clarè cautum eſt (a).

§. 9.

*Rebelles* dicimus ſubditos, qui adverſùs rempublicam ſeu ſupremum ejus magiſtratum hoſtili animo, & vi apertâ inſurgunt; vim ipſam autem ab ejusmodi ſubditis exercitam *rebellionis* nomine indigitamus; quum itaque ſubditis belli jus haud competat (§. 8.); nec rebellium arma, nec rebelliones juſtæ pronuntiari poterunt.

SCHOLION. *Tumultus* potiùs, *vis publica* & *ſeditiones* audiunt; de quibus tum impediendis, tum compeſcendis in Jure Publico univerſali agimus.

§. 10.

(a) Inſtr. Pac. Oſn. Art. VIII. §. gaudeant Capitul. Carol. VI. Art. IV. & VI.

§. 10.

Quodſi ſubditi, aut integræ provinciæ probabiles arma capeſſendi cauſas allegent, atque judicio populorum quorundam neutrorum ex Jure Gentium bella gerere reputentur, *bella civica*, item *interna*, & *privata* (§. 3.) dicimus; eaque à *rebellionibus* (§. 9.), non niſi ex injuſta cauſa ſuſceptis, diſcernimus.

COROLLARIUM. Bella civica pro re nata, u. c. ſi contra tyrannum manifeſtum arma arripiantur; Si populus pro libertate jure ſibi competente decertet; ſi injuſtum dominatum excutiat, juſta atque licita eſſe: conſequenter quibusdam in caſibus ſubditis *Jus belli* jure adſcribi, extra controverſiam eſt.

SCHOLION. Quodſi in rem præſentem venias, judicium de juſtitia armorum à populo adversùs ſuperiorem ſuſceptorum delicatiſſimum, plurimisque obſitum eſſe difficultatibus comperies. In dubio ſanè ſeditioſa (§. 10.) cenſenda ſunt; nec niſi vicinorum populorum neutrorum judicia, pacta & fœdera hæc talia ſubditorum bella odioſo rebellionum atque ſeditionum nomine eliberare valent; aliis tamen circumſtantiis, quarum ſupra (Lib. III. Cap. III. §. 22.) meminimus, haud excluſis.



Digitized by Google

§. 11.

Quoniam, antequam ad hoſtilitates (§. 4.) actu deveniatur, media leniora omnia tentanda (Cap. II. §. 12.), &, quantùm pote eſt, populo lædenti, ut in ſe redeat, atque læſo ſatisfaciat, ſpatium tempusque deliberandi relinquendum eſt; æquum viſum populis, ut, ſiquidem res ferant, bellum ſolemnitates quædam præcedant, u. c. *clarigatio* fecialium, *declaratio publica*, *manifeſtorum* evulgatio &c. Quæ præmiſſis & obſervatis hiſce ſolemnitatibus geruntur bella, *Solemnia*, quæ ſine iisdem ſuſcipiuntur *minùs ſolemnia* dicimus.

SCHOLION. Non tamen omnia bella præambulas haſce ſolemnitates admittere, ex ſequentibus apparebit. Quare cave ſis, ne præpropero judicio ſola bella ſolemnia juſta enunties.

§. 12.

*Cauſam belli* in genere dicimus, ex qua, cur bellum ſuſceptum fuerit, intelligimus.

SCHOLION. Cauſa itaque rationem in ſe continet, cur ab uno alteroque belligerantium ad armorum vim apertam deventum fuerit.

§. 13.

Digitized by Google

§. 13.

*Cauſa* belli *juſta* eſt, ex qua concipimus, quod bellum licitè ſuſceptum fuerit, h. e. quod bellum unicum atque ſufficiens, quo populus læſus ſuum conſequi, atque læſiones ſarcire potuerit, medium extiterit. *Injuſta* vocatur, ex qua bellum illicitè geri apparet, ſive ex qua, non idoneo, nec ad arma ſufficienti ex motivo idem ſuſceptum fuiſſe dilucidum fit.

COROLLARIUM. Cauſam belli juſtam, *ſufficientem* quoque: injuſtam *inſufficientem* dici poſſe, ex dictis facilè colligitur.

§. 14.

Quod ex cauſis juſtis & ſufficientibus (§ 12.) ſuſcipitur bellum, *juſtum*, quod ex injuſtis & inſufficientibus, *injuſtum*; in ſpecie *bellum ferum*, *brutum*, atque *barbarum* nuncupatur, quod ex ſola nocendi, atque in alieno territorio prædas agendi libidine nullâ prorſus rationabili ex cauſa infertur.

SCHOLION. I. Latrociniorum magis, quàm bellorum nomen merentur hoſtiles ejusmodi à populis barbaris factæ irruptiones, atque ſpolia. Ad

exempla ire opus haud eſt; ſcatent iisdem omnium temporum hiſtoriæ, ex quibus id ſimul diſcimus; bella barbara nonniſi à barbaris populis, id eſt, æquitatis juſtitiæque culturam omnem inſuperhabentibus geſta fuiſſe; Barbariei verò potiſſimam cauſam in ignorantia quærendam eſſe jam ſupra (Lib. II. Cap. III. §. 5.) monuimus.

SCHOLION II. Quæ bella *ſapienter*, quæ *ſtolidè* ſuſcepta dicantur ex dictis (§. 6.) eluceſcit.

§. 15.

Jura populorum perfecta mediis coactivis (Cap. II. §. 1.), & quidem, ſi aliter ſervari, obtinerique nequeant (§. 1.) neque rei levitas (§. 7.) eadem negligere potiùs ſuadeat, armorum vi adhibitâ defendi, ac recuperari licitè queunt. Defenſionem itaque, atque recuperationem jurium perfectorum, nec non ſecuritatem à læſionibus conſequendam, cœteris, ut modò innuimus, paribus, juſtas bello cauſas ſubminiſtrare evidens eſt.

COROLLARIUM. Ob defenſionem itaque atque recuperationem nec non vindicationem provinciarum, urbium, fortalitiorum, limitum, ipſiusque adeo corporis politici, & jurium ſummi Imperii; Ob jura pactis & tractatibus ſolennibus quæſita

ſanctè

ſanctè cuſtodienda & adimplenda; Ob injurias illatas propulſandas ac vindicandas; Denique ob immunitatem à futuris læſionibus indipiſcendam (Cap. I. §. 3.), licitè Gentes arma capeſſere, pronè colligimus.

§. 16.

Quoniam porro voluntas abſque motivis ſeſe haud determinat, dum populus ad arma provolat, Gentique vicinæ bellum infert, motivis quibusdam eundem impelli neceſſe eſt; quæ, quatenus actu belli cauſa ſunt, *cauſæ ſuaſoriæ* nuncupari poterunt. Sed alius invaluit hujus vocis ſignificatus; nimirum cauſas moventes nonnunquam in ſecreto tenent populi, & alias quibus juſtitiam belli defendant, externè produnt, licet re ipſâ causa impulſiva voluntatis haud fuerint; illas *ſuaſorias*, item *arcanas* & *internè moventes*; has *juſtificas*, *publicè prolatas*, item *bellorum prætextus* dicunt (a).

SCHOLION. Cauſas ſuaſorias in ſenſu etiam poſteriori veras licitasque eſſe poſſe, mox apparebit; licet Hugo Grotius aliique ſub hoc nomine plerumque frivolas & injuſtas (§. 13.) intelligere videantur.



(a) Vid. Hug. Grot. J. B. & P. Lib. II. Cap. 21.

§. 17.

Quodſi cauſæ ſuaſoriæ, in latenti habitæ, nec publicè prolatæ (§. 15.), juſtæ (§. 12.), ac ſufficientes (ibid. Schol.) fuerint; bellum ob easdem licitè geri manifeſtum eſt (§. 13.).

SCHOLION. Cur cauſas ſuaſorias, verèque moventes ſubinde in ſecreto teneant populi, variæ poſſunt eſſe rationes; id quod tamen conſultum haud eſt, niſi cauſæ juſtificæ veræ quoque fuerint.

§. 18.

Quodſi ex adverſo cauſæ belli ſuaſoriæ veræ quidem, aſt injuſtæ, atque inſufficientes ſint, bellum illicitè geri, idemque injuſtum eſſe nemo dubitat (§. 13.).

SCHOLION. Et tales quidem ut plurimùm cauſas belli ſuaſorias eſſe deprehendimus; lucem eæ fugiunt, quod cognitæ injuſtitiam belli manifeſtam facerent; atque in hunc cenſum referenda dominandi, fineſque territorii extendendi cupido; invidia ex creſcenti vicinorum potentia enata; intempeſtivus religionis zelus, atque ſimiles pravi animi affectus, queis ad lædendum alios impelluntur populi.

§. 19.

Quodſi cauſæ juſtificæ veræ atque ſufficientes fuerint, cauſæ verò ſuaſoriæ falſæ, atque

Digitized by Google

atque inſufficientes, bellum in foro externo Gentium juſtum quidem, intuitu tamen populi ex motivo inſufficienti arma ſuſcipientis illicitè geri, ex dictis (§§. 16. & 17.) eluceſcit.

COROLLARIUM. Multò igitur magis bellum injuſtum dicendum erit, ſi cauſas juſtificas (§. 16.) falſas, ſuaſorias verò injuſtas eſſe re ipsâ compareat.

§. 20.

Arma injuſta adversùs alium movens populus jura aggreſſi perfecta lædit (Cap. I. §. 1. & 5.), quod cum juri naturali, ac Gentium refragetur (ibid.), à bello atque armis injuſtis abſtinendum eſſe liquet.

COROLLARIUM. Quæ, & an cauſa belli juſta ſubſit, ſummus Imperans, atque reſpublica dijudicat; idque definiendi poteſtas ex principiis Juris Publici univerſalis ad jura ſummi Imperii pertinet. Subditis igitur, de juſtitia atque injuſtitia belli judicandi facultas regulariter haud competit; iidemque abſque prævio ejus rei examine decreto publicè bello pro defenſione reipublicæ arma licitè capeſſunt.

SCHOLION. Dixi Regulariter: quodſi enim injuſtitia belli notoria & manifeſta ſit, aliud utique dicendum: & pro re natâ, cum vitæ etiam jacturâ decli-

declinandum idem eſſe, ex regulis de exceptionibus in caſibus colliſionum rectè inſtituendis, pro diverſitate caſuum facilè demonſtrari poteſt.

§. 21.

Ex cauſis belli juſtis juſtitia belli cognoſcitur; quare, cum non niſi bellum juſtum gerere liceat (§. 19.); cauſas belli, earumque tum ſufficientiam, tum juſtitiam à populis belligerantibus demonſtrandam eſſe liquet.

SCHOLION. Atque hunc in finem ita dicta *Manifeſta* evulgare, in iisque rationes declarati atque ſuſcepti adversùs populum inimicum belli exponere ſolent populi; Queis à parte belligerante alterâ plerumque *antimanifeſta*, ſive confutationes manifeſtorum opponuntur: uſu quotidiano hanc in rem notorio.

§. 22.

Cauſæ bellorum inter populos independentes liberos regulariter ita ſunt comparatæ, aut talismodi ſaltem inter belligerantes habentur, ut de juſtitia armorum ſuorum quilibet perſuaſus ſit; Quum igitur, qui cauſæ controverſæ juſtitiam ex ſua parte ſtare

ſtare affirmat, partem adverſam injuſtitiæ neceſſariò arguat (Cap. I. §. 13.); populos belligerantes ſeſe mutuò tanquam injuſtos invaſores, citra fas & æquum arma moventes intertuentur.

SCHOLION. Excipies forſan, qui bella barbara gerunt (Cap. III. §. 14), populos; utpote qui defenſionem aggreſſi & invaſi populi nullo vero juris colore improbare queunt; Enimvero, quum barbari ex principiis ſuis totum genus humanum pro hoſte habeant, liberamque ſibi nocendi licentiam datam credant, nec hìc exceptio admittenda. Licet bruta hæc barbarorum dictamina probemus neutiquam.

§ 23.

Atque inde porro conſequitur, quod, cum bello haud impliciti populi cauſas belligerantium regulariter exacto adeò examine trutinare haud obſtringantur, neque etiam neceſſe habeant, iidem belligerantes juſtas utrinque belli cauſas fovere, proin æquo certare marte, jure reputent.

SCHOLION. Aliud, ſi de fœdere iciendo, aut auxiliis, ſuppetiisque uni alterive belligerantium ferendis ſermo ſit. Sed nec ad judicia privata hæc trahenda, quæ, uti quemque affectio, amor patriæ, utilitasque ducit, varia ac diverſa eſſe conſtat.



Digitized by Google

§. 24.

Quum denique vel pro defenſione rerum, atque jurium: vel ad recuperanda ablata, injuſteque occupata: vel ad ſecuritatem à futuris læſionibus conſequendam arma arripiant populi, *bella* alia *defenſiva*, alia *offenſiva* ſive *recuperatoria*, alia demum *punitiva* ſive *aſſecuratoria* eſſe liquet.

SCHOLION. De his, quum Capit. ſequ. V. VI. & VII. in ſpecie acturi ſimus plura impræſens addere ſuperſedemus.

# CAPUT IV.

## DE JUSTIS BELLA GERENDI MODIS.

§. I.

DEterminationem actualem armorum, aliorumque mediorum finem belli promoventium, *rationem* ſeu *modum gerendi bellum* dicimus. Quæ determinatio, ſiquidem cum officiis ſocialitatis, juribusque erga populos alios conſentiat, *modus* gerendi

Digitized by Google

gerendi bellum *juſtus*; ſin ab iisdem diſſentiat, *injuſtus* audit.

COROLLARIUM. Juſtitia belli ex cauſa, ob quam ſuſcipitur, reſultat (Cap. III. § 13. ſeq.); aliam igitur eſſe juſtitiam belli à juſtitia armorum, ſive modi idem gerendi, perſpicuum eſt.

§. 2.

Modum gerendi bellum juſtum *rationem belli*, *raiſon de guerre*, in ſpecie nuncupant; quæ denuo in *rationem belli naturalem*, & *rationem belli poſitivam*, id eſt, *pactitiam* & *uſualem* dividitur, prout in recto armorum uſu vel ad ſolum Jus Gentium Naturale, vel ad pacta, obſervantiamque plurium populorum attenditur.

SCHOLION. Hæc probè ſecernenda erant; quum aliàs ratio reddi vix poſſit, cur hunc illumve armomorum uſum diverſi populi improbarint, quem jus Gentium naturale ceteris paribus haud rejicit.

§. 3.

Bellum absque causâ juſtâ haud decernendum (Cap. III. §. 13.); & ſi ſuſceptum fuerit, ita geri idem æquum eſt, ut ab officiis erga alios, quàm poteſt minimùm abeatur,

 con-

conſenſusque cum ſocialitatis præceptis poſſibilis maximus obſervetur; at verò ſic juſtè bellum geritur (§. 1.), atque ſua uſui armorum ratio conſtat (§. 2.); Modum igitur gerendi bellum juſtum, ſive, quod idem ſonat, rationem belli probè cuſtodiendam eſſe apparet.

COROLLARIUM. Ex inverſo quoque inferre inde licet: omittendum eſſe in Bello, quidquid rationi belli, ſive uſui armorum juſto repugnat. *Il faut eviter tout ce, qui eſt contraire à la raiſon de guerre.*

§. 4.

Sine armis bellum nullum concipitur (Cap. III. §. 2.), nec abſque eorundem uſu actuali idem gerendi modus intelligitur (§. 1.); Quum itaque armorum actuali uſu, in quem ea moventur, hoſti mala inferri neceſſum ſit, uti per ſe liquet; in omnibus bellis id intendi apparet, ut mala infligantur hoſtibus, qui ſpontè, viisque amicis officiis ſuis erga alios populos perfectis ſatisfacere recuſant.

COROLLARIUM. *Nocetur* alteri quando vel ipſi, vel rebus ſuis malum aliquod infligitur; hoſti igitur in bello noceri nemo dubitat.

§. 5.

Digitized by Google

§. 5.

Quoniam porro armorum uſus, proindeque bellum Juri Naturali ac Gentium nullatenus repugnat (Cap. III. §. 5.); ſi modò ex juſta idem cauſa ſuſcipiatur (ibid. §. 15.); hoſti in bello nocendi licentiam in dubium nemo vocare poterit.

SCHOLION. Quoniam ex opinione tam propriâ, quàm Gentium aliarum bello haud implicitarum, belligerantes utrinque juſtam ut plurimùm cauſam fovent (Cap. III. §. 22. & 23.); judicio Gentium hoſtibus par utrinque nocendi licentia tribuitur; ſcilicet, cum belligerantium quilibet jus & æquum ex ſua parte ſtare credat, non poſſunt non ambo æquale quoque ſibi armorum jus adſcribere; unde parem quoque nocendi licentiam pronè conſequi neceſſe eſt; quam proin Gentes neutræ potiori longè jure utrinque pro juſtâ reputant.

§. 6.

Quouſque in bello nocendi licentia ſeſe protendat, per ſe determinatum haud eſt, ſed ex ſufficientia mediorum ad finem (Cap. I. §. 12.), pro diverſis circumſtantiis variâ, definiendum; Cum igitur id, cui in genere præſcribi non poſſunt limites, ſed quod demum terminos ac limites ſuos ex



Digitized by Google

circumſtantiis nanciſcitur, in moralibus *infinitum* dicamus (a), bellum qui gerit populus, is hoſti ſuo nocendi jus in infinitum ſibi rectè vindicat.

SCHOLION. In caſibus individualibus igitur finita eſt nocendi licentia; ſed quum in genere, quibus hoſtis uſurus ſit armis, quæque futura ejus ſit pervicacia, ignoretur: licentiam adversùs eundem utique in infinitum, id eſt, in genere ſive abſtracto indeterminatam, determinandam in ſpecie, ſive concreto, competere oportebat.

§. 7.

Porro qui bellum gerit, vi ſuum ab hoſte conſequi intendit; quò igitur meditatum huncce finem aſſequatur, non mediis ſolùm utendum idoneis, & ſufficientibus (Cap. I. §. 12.), ſed & obſtacula armis oppoſita dextrè prudenterque removenda ſunt; Quapropter belligerantibus omne id, quod juſto armorum uſui objicitur, è medio tollendi jus eſſe, dubio caret.

SCHOLION. Quodſi arma juſta ſint, vim, quâ obſtacula ab hoſte oppoſita removentur, injuſtam pronuntiare haud poſſumus; ſiquidem nulla aliàs cum effectu geri bella poſſent.

§. 8.

(a) Illuſtr. WOLF. Jur. Nat. P. I. Cap. III. §. 977.

§. 8.

Impedimenta potiſſima armis belligerantium ab hoſte oppoſita in copiis militaribus, in fortalitiis, in inſtrumentorum bellicorum apparatu, iisque omnibus, quibus fruſtraneus reddi poteſt uſus & vis armorum, conſiſtit; Bellum igitur moventi populo, copias exarmare hoſtiles, capere, & fundere præliis, minuere velitationibus, aut ſubtractâ annonâ, ut loco cedant, adigere; nec minùs fortalitia urbesque munitas expugnare, & quantùm datur, hoſtile ſolum victualibus & armis qualibuscunque denudare integrum eſſe debet.

SCHOLION. Hoſtes in bello interficere licere, ex hocce principio facilè demonſtrare licet; nec id officiis ſocialitatis repugnat, utpote, quæ ceſſant, ubi quis non ut ſocium, ſed ut felicitatis aliorum impedimentum ſeſe exhibet, ac proin jure ſuo habet, ſi ceu obſtaculum conſervationis neceſſariæ, non niſi cum interitu ſuo removendum perimatur.

§. 9.

Nec minus inde intelligimus, in Jus Gentium injurios haud eſſe populos, qui armamentaria, frumenta & annonam, haud transportari aptam, quin & urbes & caſtella munita,

munita, aſyla fortè futura hoſtibus, flammis & igne concremant, aut ſolo æquant; qui aquas cœno corrumpunt, aut aliò divertunt, flumina ſubmerſis terrâ onuſtis navibus innavigabilia reddunt; nec non quacunque ratione aliâ vires hoſtium atterunt.

§. 10.

Mandatorum porro inde juſtitia eluceſcit, queis omnia cum republicâ hoſtili, præſertim rerum ad ſuſtentationem vitæ comparatarum, ut & armorum commercia interdicuntur; quibusque, ſecuritate publicâ ſublatâ, liberoque tranſitu vetito, reipublicæ hoſtilis ſubditi intra fines territorii ubicunque deprehenſi captivi detinentur, eorumque merces jure belli occupatæ fiſco addicuntur.

SCHOLION. Atque inde ſtatûs hoſtilis ſeu belli (Cap. III. §. 2. & 4.) notionem diſtinctam mente nobis efformare, ejusdemque à ſtatu repreſſaliarum (Cap. III. §. 3. Schol.) differentiam concipere poſſumus. In ſtatu nimirum repreſſaliarum nulla miſcentur prælia, neque regulariter obſidentur urbes, non armati ſeſe mutuis velitationibus laceſſunt milites; neque vis hoſtilis, ut in bello, totam rempublicam inundat, ſed ad paucas potiùs perſonas, atque res reſtringuntur cogendi media.

§. 11.

Digitized by Google

§. 11.

Bellum juſtum non niſi ex neceſſitate ſuſcipitur: eoquod ſcil. jus atque ſecuritatem ſuam populus læſus aliâ viâ conſequi haud valeat; invitus igitur hoſti nocet (§. 5.), atque cum tædio exceptionem ab officiis æqui & juſti erga alios inſtituit; Enimverò qui ex infortunio alterius tædium percipit, is eundem amat (Lib. II. C. VI. §. 1.); arma igitur licet quis in hoſtem moveat, eundem tamen amat, aut amare ſaltem obſtringitur.

COROLLARIUM. Belli igitur gerendi modum juſtum qui colit, is omni ſolicitudine circumſpicit, ne citra neceſſitatem hoſti noceat, neve eam nocendi rationem ineat, quæ juſtitiæ, aut honeſti regulis refragetur.

SCHOLION. Falluntur, qui omnem in bello amorem erga hoſtes ceſſare autumant. Non etenim mala iisdem inferuntur, quòd odio à belligerantibus habeantur, ſed quoniam obſtacula ſeu impedimenta Juris conſequendi exiſtunt, quæ removere viâ quacunque neceſſum ſit. Vide omnino, quæ de amore inimicorum ſolidè demonſtrata ſiſtit Illuſtris Wolfius (a).



(a) Jur. Nat. P. I. Cap. III. §. 992. ſeq.

Digitized by Google

§. 12.

Quum præterea in caſu extremæ etiam neceſſitatis admittendum haud ſit, quod aut in officia erga Deum impingit, aut malitiam intrinſecam involvit; omnem armorum uſum officiis erga Deum adverſum, nec non hoſtem vincendi media turpitudinem intrinſecam involventia Juri Gentium, & juſtis bella gerendi modis (§. I.) contrariari evidens eſt.

COROLLARIUM. A rectâ igitur bella gerendi ratione arcentur adulteria, ſtupra violenta, aliaque ejusmodi crimina in hoſtes patrata. Arcentur artes magicæ, præſtigia & incantationes dæmonum. Nec minùs ſubmiſſis ſcortis, impudicisque fœminis, belli duces, atque hoſtes in poteſtatem redigere, aut infami lue inficere, ab æquâ ratione vincendi alienum eſt.

SCHOLION. Factum hoc eſſe ab Hiſpanis in obſidione Neapolitanâ, ex FALLOPIO Medico refert ALBERIC. GENTILIS (a). Item ex ſimili propemodum facto acerrimam divini Numinis vindictam in ſe & in Hebræos excitâſſe Madianitas ſcribit COCCEJUS in Diſſertat. *De Armis illicitis* (b).

§. 13.

(a) Tr. *De Jur. Belli* Lib. II. Cap. 6.
(b) Diſput. Tom. II. p. 205. §. 17.

§. 13.

Hoſtes ſive belligerantes *crudeles* audiunt, quando ex cupidine exſatiandi odium, quo in inimicos feruntur, plus hoſti mali inferunt, quàm ad eundem vincendum, finemque, ob quem bellum ſuſceptum fuit, obtinendum, inferre neceſſe fuerat (§. 4. Coroll.); hoc eſt, quando juſta belli ratio ex odio erga inimicos negligitur; unde quod vitium inter populos *crudelitatis* nomine veniat, facilè cognoſcitur.

COROLLARIUM. Quoniam hoſtes neque odio habendi (§. 11.), nec in uſu armorum juſti limites tranſiliendi ſunt (§. 3.); hoſtes à crudelitate debere eſſe alienos facilè liquet.

SCHOLION. Crudelitas barbariem ferè pro fonte habet; Unde populi moratiores meritò abhorrent à crimine, quod ab omni humanitate alienum eſt, atque juſtam in ſe talionis pœnam ex condigno provocat (Cap. II. §. 22. Schol.).

§. 14.

Crudelitatis igitur fœdiſſimi crimine ſeſe conſpurcant populi, qui dum mediis lenioribus domare hoſtem poterant, terras ho-



Digitized by Google

ſtiles, urbes, & oppida aut incendiis vaſtant, aut ſolo æquant; qui Principum palatia, aliaque ſuperba ædificia deſtruunt; Bibliothecas evertunt; ſata & fruges, queis ſine miſeri coloni perire neceſſum habent, depopulantur; qui denique vitam roganti, atque armorum vim deprecanti hoſti veniam impertiri absque ſufficienti causâ renuunt.

COROLLARIUM. Crudelitatem cum impietate conjungunt, qui in Eccleſias & ædes Deo ſacras immani facinore ſæviunt, atque aut templa planè dejiciunt, aut in uſus eadem profanos convertunt.

SCHOLION. Aliud dicendum ſi ſacrorum everſio ceu finis belli intendatur. Tum namque in crudelitatem imputari nequit, ſi templa ædesque cultui ſacro deſtinatæ penitus evertantur, atque cum iisdem ipſa ſacra perimantur; An verò non in impietatem? id ex principiis religionis, caſibusque neceſſitatis dijudicandum; ſub quibus uti converſionem templorum in uſus profanos licitam quandoque fieri haud implicat; ita veniam quoque roganti hoſti negare, ſecuritatis ſubinde rationes exigunt; de quibus vide Cap. VII. infra.

§. 15.

Ut fides pacto data ſanctè & illibate ſervetur, Gentium in commune intereſt (Lib. III. Cap. V.

Digitized by Google

Cap. V. §. 3. 6. &7.); atque ne ab hâc regulâ ullo in caſu exceptio admittatur, graviſſimæ rationes poſtulant (Ibid. Cap. IV. §. 3. ſeq.); Unde fides pacto data citra ſummum nefas, atque pernitiem Gentium communem inter licita hoſti nocendi media computari nequit.

COROLLARIUM. A ratione itaque belli juſtâ abhorret hoſtes promiſsâ ſecuritate ad ſe pellicere, atque còntra dàtam fidem captivos detinere; multò minùs interficere eosdem cum bona fide conciliari valet. Sed nec, qui ſub prætextu inſtituendi colloquii de pace, aut deditione in urbem admiſſi fuêre, eandem dolo hocce atque aſtu, ſalvo Gentium jure, occupare poterunt.

SCHOLION. Patet autem ex dictis, id ſolùm ſibi velle adſertam à nobis propoſitionem, ne rupta fides hoſti nocendi medium evadat. Hæc etenim ubi ſalva manet, nec contra eandem quidpiam admittitur, quominus pactum cum hoſte initum indirectè eidem nocendi medium fiat, nil obſtat; veluti, ſi ſtipulatis induciis præſidiarii militis Præfectus tempus ſolùm lucrari intendat, quo copiæ auxiliatrices appropinquare, atque obſidione urbem liberare valeant. Vide ſis de his pluribus infra, ubi de ſtratagematibus agimus.



Digitized by Google

§. 16.

Porro, quum citra neceſſitatem hoſti nocendum haud ſit (§. 3.), in uſu armorum actuali in id quoque convertenda animi attentio, ne innocentes, id eſt, qui arma haud gerunt, neque hoſti reſiſtunt, aut plane reſiſtere nequeunt, pereant, atque crudeli neci tradantur, bonisque etiam diſpolientur.

COROLLARIUM I. Ratio itaque juſta belli neces infantum, ægrotorum, fœminarum, ſenum, aliorumque, qui neque arma geſtant, neque geſtare potes ſunt, improbat; ab iisdemque, ceu crudelitatis tetris effectibus abſtinere præcipit.

COROLLARIUM II. Sed nec deprædationes atque deſpoliationes perſonarum in hoſtico haud conſtitutarum, citra modum, & cum crudelitate, u. c. tormentis, plagis, vulneribus, combuſtione ædium, violentiisque aliis & ſceleribus exactæ cum rectâ bella gerendi ratione concordant.

SCHOLION. Talia facinora à ſceleratiſſimo hominum genere, quos *Marodeurs* vocant, in bello ultimo impunè patrata recordamur; Id quod tamen ab hoſte ipſo tolerari haud debebat, ſiquidem aliquid apud eundem ratio belli (§. 2.) valuerat.

§. 17

§. 17.

Sed & id quoque inde conſequitur (§. 16.), quod nec fontes, nec flumina, nec fructus terræ, nec frumenta, farinæ, aut panes, vina, ſimiliaque veneno inficienda ſint; ſiquidem, tam infantes quàm fœminæ, aliæque perſonæ innocentes plures his quoque perfruantur; proin interire ſine ulla ſua culpa queant.

SCHOLION. *Idem ex paritate rationis de mercibus lue, aut peſte contagioſâ infectis dicito, utpote quam averti utriusque belligerantium partes peræquè intereſt; Unde hæc talia nocendi media nulli moratiori Genti ſeſe probârunt unquam.*

§. 18.

In uſu armorum adversùs hoſtes actu reſiſtentes, juxta ſtabilitam ſupra regulam (§ 11. Coroll.), attendendum porro: ne talia adhibeantur nocendi inſtrumenta, queis omnis iisdem in ſe redeundi, atque pœnitendi facultas adimatur; quorumque effectus humana prudentia nulla prævertere valet; quæque retorſionis atque talionis jure in communem uſum deducta, immanem bella gerendi modum inveherent.

COROL-

COROLLARIUM. Unde venenatis adversùs hoſtem armis uti, annonam, aquamve malo veneno miſcere atque ſimilia hoſti nocendi media ad juſtas belli gerendi rationes referri haud poſſe liquet.

SCHOLION. Gentium tamen juri nullatenus repugnat, armis inæqualibus hoſtem impetere, talibusque uti, quorum illi copia nulla eſt; in pugnâ ſiquidem apertâ quælibet nocendi via permiſſa eſt, modò ne odium, vindictæque cupidinem immoderatam ſapiat, aut in regulas à nobis ſtabilitas impingat. Sic Perſæ contra Romanos Elephantibus turritis jure utebantur, licet horum animalium nullam hi copiam haberent; Europæi populi ſclopeta, bombardas atque tormenta majora, tam in præliis, quàm obſidionibus jure adhibent, licet fortè hoſtes hocce armorum genere careant. Quid in bello punitivo ſive aſſecuratorio liceat, quidque extrema neceſſitas in hoſtes præterea indulgeat; quasque à demonſtratis hucusque regulis exceptiones pariat, de eo Cap. VII. diſpiciemus. Multa quoque circa uſum armorum ratio belli poſitiva (§. 2.), atque hinc inde uſus populorum invexit; de quo conſuetudines particulares conſulendæ.

§. 19.

Sicuti hoſti nocere, eumque tum debilitare viribus, tum in talem redigere ſtatum, quo reſiſtere ampliùs nequeat, Jure Gentium licitum eſt (§. 5.), ita ad ſapientiam, prudentiam-

dentiamque populi pertinet, ut quàm poteſt minimo cum ſui damno, pauciſſimaque cum ſuorum cæde idem effectui det; eoque præcipuè reſpiciat, ut oppoſitam ab adverſario armorum hoſtilium vim, tum potiſſimùm, ſi hoſtis potentior viribus belli aleam incertam admodùm dubiamque reddat, dextrè eludat. Habitum, ejusmodi media adinveniendi, queis hoſti cum minimo ſuorum cæde, aut damno nocetur (§. 4.), ipſiusque tum vires enervantur, tum machinamenta, intentataque vis hoſtilis dextrè eluditur, *prudentiam* ſive *aſtutiam bellicam* dicimus; ipſa verò eum in finem ſapienter excogitata media *ſtratagemata belli* audiunt.

COROLLARIUM. Unde facilè conficimus, in bello adversùs hoſtem ſtratagematibus uti integrum eſſe, rectumque eorundem uſum cum juſtâ bella gerendi ratione (§. 2.) pugnare neutiquam.

SCHOLION. Id unum in juſto ſtratagematum uſu ſolicitè cavendum, ne aut fides hoſtibus data fallatur (§. 15.), aut crudelitatis eadem inſtrumenta evadant; quod, quando fiat, in caſibus peculiaribus curatiùs determinandum.

§. 20.

Quum dolus (ſcil. malus) præmeditatam intentionem dicat nocendi alteri (Lib. III. Cap. V. §. 10.), cui nocendi jus nullum competit, uti ex moralibus conſtat; ſtratagemata ad dolum malum referri haud poſſe pateſcit.

SCHOLION. Qui doloſè cum altero agit, eundem bonâ agentem fide, aut ſuo ſaltem utentem jure falſis perſuaſionibus, aut factis etiam inducit, ut in ſuum damnum aut agat aliquid aut omittat. At verò qui ſtratagematibus utitur, is injuſti detentoris, invaſoris, aut defenſoris nocendi vires atque media, quantùm licet, ſine ſuâ jacturâ irrita atque inania reddit; id quod agendo jura hoſtis nequaquam lædit; utpote quæ in hoc caſu, ex opinione ſaltem adverſarii, ut ſuppono, inculpabili (Cap. III. §. 22.), nulla ſunt.

§. 21.

Atque inde colligimus, hoſtem ſimulatâ fugâ ex circumvallatis caſtris ſuis, aut ex urbe in apertum campum pellicere licitum eſſe, quò liberiùs, ſecuriùsque eundem aggredi liceat. Non repugnare Juri Gentium, bonæque fidei, hoſtiles copias ex inſidiis invadere; ſubmiſſis falſis conductoribus ad devia easdem deducere; pontes, foſſasque ſtruere, quas

quas, dum tranſeant, mergantur, atque præcipites dentur; & quæ mille alia hoſti licitè nocendi media ingenium, prudentia, dexteritasque ducum militarium ſubminiſtrat.

SCHOLION. Stratagematum notitia ad artem bellicam pertinet; unde militibus probè excolenda. Variant eadem pro armorum uſu, & militandi ratione; quare moderna bellandi ratio multorum ſtratagematum ferax eſt, de quibus antiquitas ne cogitare quidem potuit.

§. 22.

Ex eodem porro, quod bellum gerenti populo incumbit, hoſti nocendi, viresque ejusdem debilitandi officio (§. 4.), dandam eſſe operam intelligimus; ut vires, armorum genera, conſilia, meditataque hoſtium molimina retegat, atque perſpecta ſibi reddat; quò partim de oppoſitionis neceſſariæ cogitare mediis, partim inſidias hoſtium prudenter eludere valeat. Id quod omnium aptiſſimè per *exploratores* fieri, nemo eſt qui ignoret; *Exploratoribus*, igitur, id eſt, perſonis, quæ ad hoſtem ſe conferentes, aut apud eundem degentes, vires & conſilia



Digitized by Google

ejusdem clam expiſcentur, atque adverſario retegant, belligerantes jure uti, dubium haud eſt.

COROLLARIUM. Sed quum hoſtis, ex opinione ſua juſtum gerens bellum, viciſſim eò convertere curas debeat, ut conſilia ſecreta habeantur, neve vires, apparatus belli, quæque recelata adverſariis, in pernitiem ejus verti poterant, in notitiam hoſtium perveniant; eidem quoque in Exploratores ſolicitè indagandi, deprehenſosque, velut periculoſiſſimum hominum genus, exquiſitiſſimis pœnis afficiendi jus negari nequit.

SCHOLION. Non itaque inter populos Gentesque liberas ſibi invicem repugnant jus mittendi exploratores parti uni, & jus eosdem puniendi parti alteri competens; utpote quod fieri aliter haud potuit, ubi belligerantes ambo æqualem ſibi armorum juſtitiam adſcribunt.

§. 23.

Cœterùm quum non armis, aut vi aperta pugnaturi veniant exploratores; populi eosdem pro militibus aut hoſtibus, ex jure Gentium ita dictis, haud habent, ſed veluti in majeſtatem populi, atque rempublicam dolosè machinantes perduelles, contuentur, eoque nomine nullis non pœnis dignos judicant.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. An ipſos quoque belli Duces, conſiliorumque gnaros Miniſtros præmiis & pretiis corrumpere liceat, quò reipublicæ ſua ſecreta revelent? Subſiſto. Sanè ni bellum manifeſtè injuſtum ſit, talis Miniſter in datam reipublicæ fidem, & officia ſua turpiter peccat; quum igitur criminis perfidiæque nemo miniſtrum agere debeat: nec populis eam, vires & conſilia hoſtium expiſcandi, viam inire licitum eſſe crediderim. Aliud, ſi arma hoſtis manifeſta injuſta fuerint, ac proin belli dux, aliusque reipublicæ Miniſter interno conſcientiæ dictamine motus & arma, & rempublicam deſerendam putârit. Sub quibus equidem prætextibus, ſi ipſa rerum momenta ſpectemus, quælibet hoſtium conſilia indagandi, atque expiſcandi viæ permiſſæ vulgò creduntur.

§. 24.

Conductis aſſaſſinis belli duces, aut hoſtes interimere, quum in ſtabilitas ſupra (§§. 12. & 13.) regulas, juſtaque nocendi media impingat, ea via, hoſtium vires enervandi, moratioribus populis, qui non ut latrones, ex ſolo nocendi pruritu, ſed, ut ſuum perſequantur, bella gerunt, ſemper diſplicuit, rectæque rationi belli (§. 12.) nullo non tempore adverſa exiſtimata fuit.

COROLLARIUM. Aliud igitur, ſi cum barbaro, atque manifeſto prædone res ſit, quem extirpandi ratio nulla injuſta reputanda.

SCHOLION. Vide quoque quæ Cap. VII. de exceptionibus, ab hiſce regulis in bello punitivo ſubin inſtituendis diſſerturi ſumus.

# CAPUT V.

## DE BELLO DEFENSIVO.

§. 1.

GEns ſive populus adversùs aliam ſeſe *defendere* dicitur, quando lædere ipſum conanti reſiſtit, id eſt, quando uſu virium ſuarum efficere ſtudet, ne læſiones actu intentatæ ad effectum deducantur. *Defenſionis* igitur nomine talem populi actionem intelligimus, quâ læſionem à Gente aliqua actu intentatam propulſare laborat. Populus, qui lædere, armisque invadere alterum conatur, *aggreſſor*; cui, verò læſiones intentantur, *aggreſſus* vocatur; unde quid *aggreſſionis* nomine intelligamus, obſcurum eſſe nequit.

SCHOLION. Qui læſiones actu nondum intentatas, quas tamen ad effectum deducere alter molitur, pru-

Digitized by Google

prudenti conſilio, oppoſitisque mediis efficacibus impedit, *læſiones antevertere* dicitur; læſionum itaque *anteverſio* aliud quidpiam, quàm defenſionis vox innuit; licet & ipſa defenſionis quædam ſpecies ſalutari queat. Sed neque id obſcurum eſt, quod, cum ad duriora media deſcendendum haud ſit, ubi leniora proſtant, eaque propulſandis injuriis ſufficiunt (Cap. II. §. 12.), læſiones antevertendæ magis, quàm defenſionis mediis coactivis diſpellendæ ſint.

## §. 2.

**Ad læſiones avertendas Gentibus jus perfectum competit (Cap. I. §. 6. & 11.); iisdem igitur jus defenſionis (§. 1.) adversùs populos aggreſſores in dubium vocari nequit.**

COROLLARIUM. Quumque, ſiquando media leniora haud proſtant, nec cohibendis eadem aggreſſoris inſultibus ſufficiunt, ad bellum provocare Gentium jure licitum ſit (Cap. III. §. 1. & 5.); aggreſſori verò oppoſita vis hoſtilis *bellum defenſivum* audiat (Ibid. §. 24.), bellum, ſive arma defenſiva licita eſſe nemo dubitat.

SCHOLION. Supponimus nimirum aggreſſionem injuſtam, conſequenter oppoſitam ab aggreſſo defenſionem jure ſuſceptam; Quum verò, niſi cum brutis prorſus barbarisque Gentibus res ſit (Cap. III. §. 22. Schol.), belligerantes utrinque

juſta

Digitized by Google

juſtas ſe armorum fovere cauſas præferant, bonâque ut plurimum fide perſuaſum habeant; id ſolet accidere quàm frequentiſſimè, ut populus aggreſſor oppoſitam ab aggreſſo defenſionem, hic verò aggreſſionem illius injuſtitiæ incuſent, atque iniquitatis labe publicis ſcriptis adſpergant; quorum igitur haud intereſt, quibusque in cauſarum merita penetrare haud datur, iidem arma ex utraque parte, conſequenter tam bellum offenſivum, quod ab uno, quàm bellum defenſivum, quod ab altero populo geritur, in hocce dubio pro juſtis non ſine ratione reputant (Cap. IV. §. 5.).

§. 3.

*Mediorum defenſivorum* nomine intelligimus apparatum virium, quibus, ne læſiones ad effectum deducantur, populus impedit; Læſiones igitur pro virili avertendæ cum ſint, intentari verò easdem quàm ſæpiſſimè, vel ipſus uſus, experientiaque condoceat; de mediis defenſionis, neceſſarioque eum in finem virium apparatu in tempore proſpiciendum, h. e., tempore pacis de bello cogitandum eſſe, liquet.

COROLLARIUM. Populos itaque limitaneas munire urbes; caſtra atque fortalitia extruere; fines territorii vallis, muris, foſſisque cingere; lectam, alere militum copiam; armamentaria erigere, eadem-

Digitized by Google

eademque neceſſario armorum apparatu inſtruere; verbo, ut de iis omnibus, quæ ad defenſionem reipublicæ feliciter perficiendam requiri videbuntur, maturè & opportunè ſibi proſpiciat, haud prohiberi eundem, expeditum eſt.

SCHOLION. Providas haſce populorum curas ad læſionum antevertendarum (§. 1. Schol.) media ſpectare, nemo non pervidet. At enimverò magnâ ſæpè hìc cautelâ opus eſt, ne tum in pacta conventa, tractatusque limitum impingatur: tum etiam, ne, dum præmaturo belli metu arma parantur, vicinis populis juſta ſuſpicandi, ac fortè novis hiſce conatibus armato milite ſeſe opponendi, anſa ſubminiſtretur.

§. 4.

Bellis defenſivis nonniſi in caſibus aggreſſionum (§. 1. & 2) locus eſt: quando ſcilicet hoſtilitates ab invaſore populo actu jam exerceri cœpêrunt, aut, ut exercendarum initium faciat, in procinctu conſtitutus is cernitur; quandoquidem igitur vi aggreſſoris hoſtili citra cunctationem arma opponere neceſſum eſt; neque adeò, quæ pacis & concordiæ quavis ratione conſervandæ ſtudio atque amore, ſimilesque ob cauſas inter Gentes moratiores, antequam ad actualem armorum uſum deveniatur, obſervari

Uu ſue-

Digitized by Google

ſuevêre, ſolennitates (Cap. III. § 11.) cuſtodiri valeant; conſequenter bellum defenſivum regulariter abſque declaratione ſuſcipiatur; bella defenſiva ut plurimùm minus ſolemnia eſſe apparet (§. eod.).

SCHOLION. Solent tamen ipſa quoque bella defenſiva declaratione publicâ civibus atque ſubditis intimari; quò de ſtatu hoſtili certiores redditi, ſibi rebusque ſuis in tempore conſulere valeant (Cap. IV. §. 10.), quòque à transportandis armis, annonâ, aliisque mercibus ſuborto bello vetitis abſtineant. Quumque manifeſta exarſo etiamnum bello publicè evulgari haud implicet, his quoque tam in bello defenſivo, quam offenſivo locum eſſe conſtat (Cap. III. §. 21.).

## §. 5.

Belli equidem gerendi poteſtas ad majeſtatica ſummi Imperii jura pertinet, nec ſubditis rectè tribuitur (Cap. III. §. 8.); At enimverò, cum in bello defenſivo invaſiones hoſtiles deliberandi ſpatium haud ferant, atque in remotioribus præſertim provinciis longas adeò moras haud largiantur, ut de illata vi hoſtili ad Principem ſupremumque reipubl. Magiſtratum referri, atque de obmo-

Digitized by Google

obmovendis hoſti mediis armisque in commune conſultari valeat; in hiſce rerum anguſtiis, atque caſibus neceſſitatis, inferioribus Magiſtratibus, quin & ſubditis vim hoſtilem armis propulſandi jus eſſe, extra controverſiam eſt.

SCHOLION. Neque verò Magiſtratus hi inferiores, ducesque copiarum militarium proprio, ſed reipublicæ potiùs nomine tunc arma arripiunt; eamque facultatem civitas ſeu respublica Gubernatoribus provinciarum & urbium in diſſitis præſertim locis tacitè etiam indulſiſſe cenſetur. Rerum tamen geſtarum ſeries propediem ad ſummum Magiſtratum deferenda, quo de debellando hoſte in commune poſtmodum conſilia ineantur, aliaque ad defenſionem neceſſaria media publicâ authoritate decernantur.

§. 6.

Arma porro defenſiva ita comparata eſſe oportet, ut propulſando hoſti, læſionibusque avertendis ſufficiant (Cap. I. §. 12. Item Cap. III. §. 1. ſeq.). Aggreſſioni igitur inſultibusque hoſtilibus proportionanda ſunt, indeque juſtam ſuam menſuram indipiſcuntur; quapropter, cum aggreſſionum modi infinities variari poſſint, arma



Digitized by Google

quoque defenſiva infinita, itemque aggreſſi jus defenſionis infinitum eſſe debere liquet (Cap. III. §. 6.).

§. 7.

Quandoquidem autem neque ſtolidè (Cap. III. § 6.), neque ob rem minimam (Ibid. §. 7.) armis implicare rempublicam convenit; bellum defenſivum ſuſcipiendum haud eſſe conſtat, ſi aggreſſus aut viribus impar, aut intentata læſio ejus momenti haud ſit, ut armorum eadem vi arceatur, atque eapropter majoribus longè malis respublica involvatur.

SCHOLION. In aliis itaque caſibus media coactiva qualiacunque licita juſtaque pronuntianda ſunt; ſi modò æquam ſufficientiæ proportionem habeant; neque cum juſtâ belli ratione (Cap. IV. §. 2. ſeq.), & officiis erga Deum pugnent; de quo, quantùm ſatis eſt, Cap. præcedenti actum fuit.

§. 8.

Defenſionis adversùs populum aggreſſorem ſuſceptæ finis in eo conſiſtit, ut intentatæ læſiones propellantur, atque aggreſſus ſecurus reddatur; hoc etenim, non aliud

Digitized by Google

aliud quidpiam jure intendere poteſt, qui contra aggreſſorem ſe ſuaque defendit; Quum igitur obtento fine ceſſet jus ad media (Cap. II. §. 21.); læſionibus propulſatis, indeque obtentâ ſecuritate omnem ulteriùs ſeſe defendendi facultatem rationemque ceſſare manifeſtum eſt.

SCHOLION I. Quod ratione ſumptuum citat. §. 21. in Corollario innui, id ad expenſas quoque in defenſionis media erogatas, cauſataque damna, eandem planè ob cauſam trahendum; proin & hæc bello defenſivo jure repeti, nemo dubitat; licet bellum defenſivum eatenus naturam belli recuperatorii induat.

§. 9.

Propulſantur intentatæ læſiones, quando hoſtis in talem redigitur ſtatum, ut ad effectum easdem deducere ampliùs nequeat; ſecuritatem verò conſequitur aggreſſus, quandò aggreſſorem à læſionibus imposterum deſtiturum eſſe, in quantùm humanæ res ſinunt, certus redditur (Cap. I. §. 10.); eousque igitur continuanda defenſionis media, nocendumque (Cap. IV. §. 4.) aggreſſori,

 donec

Digitized by Google

donec viribus fractus inferendis læſionibus impar efficiatur; vel donec pœnitentiâ offenſæ ductus à læſionibus deſiſtat, ſatisfactionem pro damnis datis ultro offerat, ſufficientemque ſecuritatem aggreſſo procuret.

SCHOLION. Alterutrum ubi effectui datum fuerit, defenſionis jam ratio ceſſat. Quâ porro ratione invaſo ſecuritatem procuret aggreſſor, ex dictis Lib. III. Cap. V. & VI. facile colligitur; pactis nimirum & tractatibus pacis, juramento roboratis; datis obſidibus, oppignoratis provinciis & urbibus; traditis in ſecuritatem fortalitiis, aut conceſſo minimùm præſidii jure; fidejuſſoribus, Guarandis; & ſiquæ ſunt alia, pacta inter Gentes diverſas firmandi media.

§. 10.

Quum igitur fine defenſionis obtento arma in aggreſſorem ulteriùs movendi ratio ceſſet (§. 8.), &, quæ porro infertur vis, læſionis injuſtæ naturam induat, quam aggreſſor pari oppoſitâ vi jure propellit (a); idem quoque inter diverſos populos juris erit, & quæ obtenta, promiſſave ſecuritate ulte-

(a) Illuſtr. WOLF. *Jur. Nat.* P. I. Cap. III. §. 1002.

Digitized by Google

ulteriùs in hoſtem arma moventur, injuſta, conſequenter reciproco defenſionis jure propulſanda eſſe, rectè concludimus.

COROLLARIUM. Quod adeo antea bellum offenſivum injuſtum nuncupabatur, jam defenſivum juſtum, quodque priùs legitimo defenſionis jure ſuſceptum fuerat, jam in offenſivum injuſtum degenerare liquet.

SCHOLION. Quando autem, quibusque in caſibus juſtæ defenſionis limites excedantur, ex circumſtantiis dijudicandum. Sed neque exceſſus omnes ad vivum usque reſecandi ſunt; uti ex difficultate, æquos illos defenſionis terminos inter populos ad amuſſim definiendi facilè intelligitur.

## §. 11.

Quodſi ob pervicax aggreſſoris, populos vicinos lædendi invadendique, propoſitum propulſato etiam præſenti periculo, oblâtâque ab invaſore ſecuritate, mala præterea quædam per modum pœnæ infligenda veniant, bellum ex purè defenſivo in *defenſivo-punitivum* abit, ac proin mixtum evadit.

SCHOLION. Hujus veram indolem tum denique intelligemus, ubi de bello punitivo, ſive aſſecuratorio ſpeciatim (Cap. VII.) egerimus.

§. 12.

Digitized by Google

§. 12.

Id interim expeditum eſt, in bello ex defenſivo atque punitivo mixto ordinarios defenſionis limites (§. 6.) haud obſervari; ſed peculiares inſuper in bello punitivo cuſtodiendas regulas ſubintrare.

SCHOLION. Ad ſpecialiora deſcendere tum inſtituti, tum Elementorum Juris Gentium, quæ conſcribimus, ratio haud permittit; quare plura addere impræſentiarum prætermittimus.

# CAPUT VI.

## DE BELLO OFFENSIVO, RERUM JURIUMQUE PERSECUTORIO.

§. 1.

GEns, ſive populus unus alterum *offendere*, ſive *aggredi* dicitur, quando prior in hunc arma movet; unde *offenſio*, ſive *aggreſſio* eſt actio, qua vis hoſtilis primò infertur ei, qui arma necdum movit. Quodſi offenſio, ſive aggreſſio vi belli-

Digitized by Google

bellicâ fiat, *bellum offenſivum* audit; quod à defenſivo diverſum eſſe per ſe liquet (Cap. V. §. 1.).

SCHOLION. *Offendere igitur, arma offenſiva, offenſivè agere* aliter, quàm in jure naturali hic accipiuntur; ubi *offendere*, & *offenſa* actionem innuit, quâ alteri citra juſtam cauſam tædium, ſeu moleſtia creatur. Licet enim nec inter Gentes offenſio ſive offenſa ſine tædio atque moleſtiâ aggreſſi contingat (Cap. IV. §. 4.), ea tamen non ſemper actionem officiis erga alios adverſam ponit, veluti ex ſequentibus apparebit.

§. 2.

Quodſi populus unus alterum ex juſta cauſa aggrediatur *bellum offenſivum* juſtum, ſin ex inſufficienti cauſa arma in eundem moveat, *bellum offenſivum injuſtum* nuncupatur (Cap. III. §§. 13. & 14.).

SCHOLION. Quando bellum offenſivum injuſtum belli feri, bruti, atque barbari nomen induat, ex cit. §. 14. colligitur: neque tunc tam bellum, quàm invaſio, ſpolium, atque deprædatio dici meretur.

§. 3.

Quoniam Gentes ſive populi, quod ipſis jure perfecto debetur mediis coactivis

Xx (Cap.

(Cap. II. §. 12.), & ſi aliter nequeant, armorum etiam vi adhibitâ vindicandi atque recuperandi facultate pollent (Cap. III. §. 1. & 5.); quin in injuſtos detentores, atque obligationibus ſuis perfectis ſatisfacere recuſantes arma offenſiva jure moveant; proindeque comparatis ita rebus bella offenſiva juſta pronuntianda ſint, extra dubitationis aleam poſitum eſt.

SCHOLION. Eſt & aliud belli offenſivi genus: quando nimirum ſecuritatis, atque impediendarum in futurum læſionum gratiâ Gens una in alteram arma movet, quod *aſſecuratorium* dicimus; de quo pleniùs Capite ſequenti agetur.

§ 4.

Quum verò imprudenter ſive ſtolidè in alterum arma moveat populus, quem utpote valentiorem viribus, ſuperiorem ſibi futurum prævidet (Cap. III. §. 6.); in alium verò injurius ſit, qui ob rem levem, nulliusque momenti ad extremam armorum vim provolat (ibid. §. 7.), bellum offenſivum neque facilè (ibid. Schol.) adversùs potentiorem viribus, neque ob rem, injuriamque quam-

quamcunque levem decernendum eſſe, liquet.

SCHOLION. Recolenda hic veniunt incommoda ſtatûs hoſtilis, nec non incerta armorum alea, ex qua plus ſœpè in rempublicam damni redundat, quàm emolumenti inde ſperari poteſt.

§. 5.

Porro, perinde uti jus defenſionis in bello defenſivo juſto in infinitum ſeſe protendere oſtendimus (Cap. V. §. 6.); ita armis quoque offenſivis in genere nulli certi fixique limites adſignari valent; ac proin pari prorſus ratione hoſti aggredienti jus defenſionis in infinitum competere liquet.

SCHOLION. Arma quippe ad finem obtinendum ſufficientia, huicque proportionata eſſe debent (Cap. I. §. 12. Schol.); quæ igitur talia ſint, in caſibus particularibus ex potentia virium, armisque ab hoſte obmotis determinandum eſt. Indiſtinctè adeò infinitam nocendi licentiam hoſtibus neutiquam tribuimus; utpote quæ & ſanæ rationi, & vero Juri Gentium è diametro adverſatur. Quod in caſibus individuis juſti illi aggreſſionis limites non adeò exactè cuſtodiri valeant, id non ex jure, ſed ex facto provenit; prorſus ut mirer, ipſum Grotium, Pufendorfium, & alios magni nominis JCtos hoſtibus ex Jure Gentium illimi-



Digitized by Google

illimitatam nulliſque circumſcriptam terminis nocendi facultatem adſcribere haud dubitâſſe; Sanè quod ipſi fingunt Jus Gentium, non niſi populorum barbarorum eſſe poteſt; apud quos ſcil. rectæ rationis dictamina penitus exulent. Atque adeò, quæ juri ſuo belli Hugo Grotius temperamenta ſubnectit, eadem regulas potiùs, verasque actionum inter populos normas conſtituere debebat: Verùm hæc pleniùs jam nunc excutere haud vacat.

§. 6.

*Declaratio* ſive *indictio* belli eſt actus, quo populus belligeraturus, arma ſe in alterum moturum eſſe, publicè intimat; eaque vel *pura*, vel *conditionata* ſive *clarigatio* audit; prout vel purè & abſolutè, vel ſub conditione, niſi ablatum, injuſteque detentum reſtituatur, aut petita ſatisfactio præſtetur, ad arma deventum iri ſignificatur.

SCHOLION. Quibus ceremoniis indictio belli ſolemnis olim apud Romanos per Feciales facta fuerit, quidque hodiedum uſu ſervetur inter populos; de eo vide ſis Henr. de Cocceji Diſſertationem de hoc argumento (a).

§. 7.

(a) De *Clarigatione* Tom. I. Diſput. 56.

Digitized by Google

§. 7.

Ad armorum vim hoſtilem niſi probè cuſtoditâ obſervataque juſtâ mediorum leniorum gradatione proſiliendum haud eſt (Cap. II. §. 12. It. Cap. III. §. 1.); Quodſi igitur populi hoſtem aggreſſuri idem rationes ferant, aliquaque pacis conſervandæ ſpes affulgeat, bello offenſivo declarationem, eamque conditionatam, id eſt, clarigationem præmittendam eſſe pateſcit.

COROLLARIUM. Declaratio ſive indictio belli bellum ſolemne à minùs ſolemni diſcernit (Cap. III. §. 11.); bella igitur offenſiva his caſibus, id eſt, regulariter ſolemnia eſſe apparet.

SCHOLION. A bello quippe quantùm pote abſtinendum eſt; unde nulla non tentanda media ſunt, queis communem hanc calamitatem avertant populi; declaratio autem præcipuè à potentioribus fieri debet; quippe qui debiliorem viribus armis improviſis invadere nullâ neceſſitate coguntur.

§. 8.

Quodſi ex adverſo in caſu factæ præviè declarationis populus aggreſſurus irritam redditum iri armorum vim prævideat,

 puta:

puta: quòd adverſarius aut copiis militaribus ipſe prævaleat, aut fœderatorum auxiliis ſubnixus aggreſſuri conatus facilè eludere poſſit, imprudenter tunc, ſtolideque faceret, ſi cauſam belli juſtam fovens, declarationem de movendis in hoſtem armis præmitteret (Cap. III. §. 6.); Quare ſub hiſce circumſtantiis absque indictione etiam præviâ arma in adverſarium jure moveri liquet.

SCHOLION. In errore igitur hærent, qui indictionem ad juſtitiam belli ita requiri autumant, ut eâ omiſsâ arma indiſtinctè injuſta reputanda ſint, cujus quippe contrarium (Cap præced. V. §. 4.) de bello defenſivo indubiis argumentis jamdum evicimus; Ad officia potiùs populi, prudentiæque regulas ſub his circumſtantiis pertinet, ut, tentatis tamen ante viis atque mediis amicis (Cap. II. §. 2. ſeq.), captatâ occaſione atque opportunitate temporis, quàm poteſt minimo cum ſuo ſuorumque detrimento quod ſibi debetur, atque injuſtè ab adverſario detinetur, recuperet; quin & pro re nata hoſtem ad condignam etiam ſatisfactionem illatâ armorum vi adigat.

§. 9.

Arma offenſiva nonniſi ob denegatam juris perfecti, ejusque non levis (§. 4.) præ-

præſtationem licita ſunt; quibus igitur in caſibus offenſivè agere liceat, & ſub quibus circumſtantiis bello offenſivo ſuum perſequi populus valeat, facilè definire licet (Cap. I. §. 3.).

SCHOLION. Quinam porro juſti aggrediendi, bellique offenſivi gerendi modi ſint, de eo Cap. IV. quantùm ad inſtitutum præſens ſatis eſt, dicere occupavimus. Quumque, ſub quibus circumſtantiis officia humanitatis in officia perfecta, ſive neceſſitatis abeant Libro II. Cap. VIII. luculenter explanatum dederimus; quando præſtationem officiorum humanitatis armorum vi extorquere Gentibus integrum ſit, obſcurum eſſe nequit; nec pluribus eadem hìc enodare opus eſt.

§. 10.

Finis armorum offenſivorum is eſt, ut ſcilicet populus aggreſſor, quod injuſtè ab altero detinetur aut negatur, obtineat (§ 3.); quodſi igitur, qui primus arma movit, populus ſuum armorum vi recuperârit, aut populus aggreſſus idem præſtare, ſumptusque præterea belli (Cap. V. §. 8. Schol.) reſtituere paratus ſit, ab armis jam ulteriùs in hoſtem movendis deſiſtendum eſſe pronè conſequitur (Cap. II. §. 21. It. Cap. V. §. Ibid.).

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Modò ne ſimulatè agat hoſtis, & moras ſolùm nectat, quò novis auctus viribus reſiſtendo par efficiatur.

§. 11.

Quodſi recuperatis præſtitisque, oblatisve etiam, quæ injuſtè detinuerat, aut negârat hoſtis, aggreſſor ulteriores hoſtilitates exerceat, easdem læſionum jam naturam induere nemo dubitat (Cap. V. §. 20.); Has itaque aggreſſus oppoſitis mediis & armis defenſivis jure arcet (ibid. §. 20.); Ac proin, quod ante bellum offenſivum juſtum fuerat, jam injuſtum, & quæ nullo ante jure obmovebantur defenſionis media, bello nunc defenſivo juſto juſtiſſimam cauſam ſubminiſtrant (Ibid. Coroll.).

SCHOLION. Aſt, quum bellum offenſivum quandoque etiam in aſſecuratorium, ſeu punitivum abire haud implicet, veluti ex Capite ſeq. eluceſcet; arma offenſiva ultra quoque, quàm ad recuperationem, perſecutionemque rerum ac jurium ſufficit, protendi poſſe, dubio caret.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT VII.

## DE BELLO OFFENSIVO-ASSECURATORIO ATQUE PUNITIVO.

### §. I.

QUando Gens quædam ſive populus, non vis hoſtilis actu intentatæ propulſandæ causâ (Cap. V. §.1.); non etiam, ut res ſuas & jura perſequatur; non, quò ablata recuperet, damnaque data reſarciat (C.VI. §.1.); ſed ſecuritatis à læſionibus futuris, certò, vel probabiliter admodùm ad effectum alioqui deducendis, conſequendæ ergò arma in populum alium movet, *bellum* hocce *aſſecuratorium*: quatenusque lædenti, ne impoſterum aut ipſe, aut alii ejus exemplo porro lædant, mala quædam, ceu pœnæ correctrices atque exemplares infliguntur, *bellum punitivum* vocamus.

SCHOLION. *Pœnæ*, uti in genere mala phyſica audiunt, quæ alteri ob malum morale, ceu motiva ab actione quadam, ſive commiſſivâ, ſive omiſſivâ, abſtinendi: neve alii ejus exemplo ſimilia perpetrent, deterrendi: aut denique ſim-

pliciter ſecuritatis conſequendæ ergò infliguntur, ita tam inter Gentes populosque liberos in ſtatu naturali juxta ſe invicem viventes (Lib. I. Cap. I. §. 5.), quàm inter perſonas ſimplices extra cœtum civilem degentes locum easdem ſibi vendicare certum eſt, atque indubium (a). Jus ſanè puniendi, quod in republica ſummo Magiſtratui competit, aliud haud eſt, quàm quod in ſtatu naturali ſinguli adversùs temerarios invaſores jure exercent; quodque adeò Gentibus, in quibus ſtatus ille primævus hodiedum conſpicuum ſe præbet, cum ratione negari nequit.

§. 2.

Quum itaque, ſemotâ ſecuritate à futuris læſionibus populis felicem tranquillamque agere vitam haud detur: atque hanc ipſam ob cauſam ejusdem tum conſervandæ, tum obtinendæ ergò media qualiacunque ſufficientia licita ſint (Cap. I. §. 10. & 12.); ſic prorſus, ut mediis lenioribus necquidpiam proficientibus ad armorum etiam vim deſcendere integrum ſit (Cap. III. §. 1.); jus belli aſſecuratorii (§. 1.) Gentibus atque populis liberis nemo facilè in dubium vocare præſumpſerit.

CO-

(a) Illuſtr. WOLFIUS Jur. Nat. P. I. Cap. III. §. 1057. ſeq. Item program. meum. *De arctis juris talionis limitibus* §. 29.

Digitized by Google

COROLLARIUM. Quatenus populo ad læſiones proclivi, nec aliâ ratione, ut ab iiſdem abſtineat permovendo, in bello aſſecuratorio mala quædam, ceu pœnæ, & præcavendarum læſionum rationes ſufficientes infliguntur, bellum aſſecuratorium punitivum audit (§. 1.): eâdem itaque ratione bellum quoque punitivum Juri Gentium conſentaneum eſſe pateſcit.

SCHOLION. Bellum punitivum intelligimus, quod Gens Genti in ſtatu naturali jure ſuo infert; non, quod ex ſpeciali Dei juſſu, aut diſponente ita providentiâ Numinis, ceu inſtrumentum ultionis & vindictæ divinæ populus unus in alium movet; cujusmodi bella punitiva in Veteri Teſtamento plura habuimus (a); Nec exempla hodiedum deſunt, ubi Deus tanquam ſcelerum etiam in hâc vitâ vindex integras ſæpe nationes ob perpetrata crimina efferæ barbarorum rabiei tradidit, atque infeſtis bellorum calamitatibus contrivit. Aſt quum bellorum harum rationes altioris ſint indaginis, eadem ceu ab hoc loco aliena ſtudio prætérimus.

§. 3.

Injurias, & in genere damna, læſionesque irreparabiles quascunque *ulciſci* dicimur, quando easdem inferenti eum in finem, ut ab iis ipſe impoſterum abſtineat, aut quò alii,



(a) Henr. de Cocceji. Diſput. Tom. II. de *Juſto præliorum exitu* Sect. V.

ne ejus exemplo audaciores facti ſimile quid admittant, abſterreantur, malum quoddam infligimus; unde qualis actio *ultionis* nomine intelligatur, facilè liquet.

SCHOLION. Ultio ſiquidem ſolius ſecuritatis obtinendæ gratiâ, minime verò ex pravo, odium & rancorem adversùs lædentes exſatiandi pruritu proficiſcatur, inter eos, qui in ſtatu naturali degunt, nihil iniqui continet; ſed per modum pœnæ & correctionis in temerarios tranquillitatis & ſecuritatis turbatores jure decernitur (§. 1. Schol.); ſub quâ ratione nec ipſam vindictam per omnia improbandam venire facilè liquet.

§. 4.

Populus injuriis alterum afficiens, & vel famam ejus, Majeſtatemque factis aut ſcriptis famoſis proſcindens, vel aliâ ratione damna irreparabilia, nec bello defenſivo averti, nec offenſivo recuperari apta inferens, tranquillitatem atque ſecuritatem læſi conturbat, uti per ſe patet; quodſi itaque partim ob injuriarum damnorumque magnitudinem, partim ob eorundem frequentiam læſiones inſuperhaberi, atque ſicco adeò pede præteriri nequeant (Cap. III. §. 7.); neque

neque tamen lædens ad ſatisfactionem condignam (Cap. I. §. 7. Schol.) læſo præſtandam permoveri valeat; nil aliud ſupereſt, quàm ut illato viciſſim malo aliquo tum ipſe lædens, tum alii, non impunè læſum laceſſi, condoceantur; & ſiquidem mediis lenioribus, retorſione ſcilicet atque talione, haud quidpiam proficientibus (Cap. II. §. 22. Schol.), ad vim etiam hoſtilem aditus pateat (Cap. III. §. 1.); quin bello aggredi injuriantem, damnaque irreparabilia inferentem populum inflictis pœnis in ordinem redigere, atque, ne ampliùs noceat armis compellere, ſub his circumſtantiis integrum ſit, in dubium vocari nequit (§. 2.).

COROLLARIUM. Populos itaque injurias, aliaque damna irreparabilia illato bello punitivo (§. 1.) ulciſcendi (§. 3.) jure gaudere conſtat.

SCHOLION. Quousque in ſuſcepto has ob cauſas bello nocendi facultas ſeſe protendat, ex circumſtantiis, læſionumque frequentiâ & magnitudine in caſibus ſpecificis curatiùs definiendum; cumprimis verò ſufficientiæ mediorum ad obtinendum finem habenda ratio. Sic injuſtum foret, officiisque erga Gentes alias adverſum, ad hoſtilitates & bella aperta prorumpere, ſicubi Talio,

Retorſio, ſimilesque mitiores repreſſaliarum ſpecies ſecuritati procurandæ pares eſſe deprehenderentur; Neque, ſi captâ urbe, caſtro, aut provinciâ ſubactâ populus lædens ſatis punitus, domatusque appareat, integram nationem evertere cum juſtis nocendi limitibus (Cap. IV. §. 6.), principiisque ſupra ſtabilitis (Cap. I. §. 12.) concordari poterit.

§. 5.

Quum nihilominus motis in hoſtem juſta de cauſa armis, in aggreſſum, nullo jure ſeſe opponentem, qualiacunque coërcendi media adhibere licitum ſit; ob prætenſum autem regulariter æquum utrinque armorum jus oppoſitio ab aggreſſò vix ac ne vix ferè intermittatur: in effectu bella hæcce punitiva atque aſſecuratoria regularem bellorum naturam habent, & non minus jus nocendi in infinitum belligerantibus (Cap. III. §.6.) tribuunt.

SCHOLION. Qui adverſus ulciſcentem vindicantemque injurias prætensè illatas ſeſe defendit populus, is ulciſcentem pro injuſto aggreſſore (Cap. VI. §. 1.) habet; quare intuitu aggreſſi omnia hic juris erunt, quæ de bello defenſivo ſupra (Cap. V.) demonſtrata dedimus.

§. 6.

Digitized by Google

§. 6.

*Æquilibrium inter Gentes* dicitur talis populorum plurium ad ſe invicem relatorum ſtatus, atque conditio, ut increſcenti unius vel quorundam potentiæ æquale ſemper virium robur opponi, atque ita, ne nocere poſſit, effici valet.

COROLLARIUM. Reſpublicæ duæ pluresve potentiâ æquales ſunt, quando vires unius notabiliter haud excedunt vires alterius; unde inter respublicas potentiâ æquales æquilibrium conſiſtere apparet.

SCHOLION. Idque actuale: quodſi enim populi ſigillatim ſpectari potentiâ & viribus inæquales fuerint, per pacta, confœderationes, atque uniones æqualitatem, ſeu æquilibramen introducendum eſſe facilè liquet. Sed nec confœderationes iſtas atque uniones actu ſemper initas eſſe neceſſe eſt: ſufficit enim, quod eveniente caſu iis mediantibus virium, quam diximus, æqualitas nullo non tempore obtineri valeat; Ut adeò in hac poſſibilitate vera ratio æquilibrii ponenda ſit; quam Gentes inſyſtemate quodam comprehenſæ inter ſe pro ratione temporum ſecuritatis communis causâ ſat dextrè moderari nôrunt. In ſpecie nuncupatur *æquilibrium Europæ*, quod inter populos Europæas, *æquilibrium Aſiæ*, quod inter Gentes Aſiaticas uſu cuſtoditur, & ita porro.

§. 7.

§. 7.

*Tollitur æquilibrium*, quando Gentis unius vel plurium inter ſe conjunctarum vires ita increſcunt, ut à Gentibus reliquis ſyſtemate iſto comprehenſis pares iisdem vires ampliùs opponi nequeant; atque is Gentium ſtatus *præpondii*, ſive *præpotentiæ*, Uber-Gewicht, Uber-Macht nominibus effertur. *Conſervari* ex adverſo *æquilibrium* dicimus, quando in augmentis virium uni, alterive Gentium accedentibus id agunt populi reliqui, ne, quem diximus ſtatus (§. præced. Schol.), ſeu parti potentiori eveniente caſu vires æquales obmovendi poſſibilitas diſpereat; eaque Gentium cura ac ſolicitudo *cuſtodia æquilibrii* ſalutatur.

SCHOLION. Sicuti conſervandi, ita & tollendi æquilibrium modi varii ſunt. Perit autem, ſive tollitur præcipuè incorporationibus regnorum ac provinciarum, quæ ſive ſucceſſionis, ſive electionis, ſive occupationis tam originariæ, quàm bellicæ jure contingunt; Idem evenit, ſi, qui antea certis confœderationibus inter ſe conjuncti fuerant populi, à fœdere diſcedant, aliasque rationes ineant. Queis verò modis integrum ſervetur virium æquipondium, de eo nunc paulò diſpiciemus curatiùs.

§. 8.

§. 8.

Gentes, atque populos potentiores viribus ſuis in ruinam atque pernitiem debiliorum ſœpè ſœpiùs abuti, & vel dominandi, aſſerendæque ſibi in reliquos ſuperioritatis cujusdam cupidine abreptos, aliisve pravis affectibus in transverſum actos vicinis haud rarò bella inferre, experientia tam antiquiorum, quàm recentiorum temporum abundè comprobatum ſiſtit; planè ut aſſertum hocce, ceu poſtulatum, absque ulteriori demonſtratione admittere poſſimus. Quum itaque metuendis ex præpotentiâ unius vel plurium malis fortius repagulum opponi nequeat, quàm ſi confœderationibus mutuò initis æquilibrium virium prudenter moderentur reliqui (§. 6. & 7.); Gentes atque populos ad introducendum, cuſtodiendumque æquilibrium (ibid.), nec non ad impediendum potentiæ præpondium omni modo obſtrictos eſſe liqueſcit.

SCHOLION. Si titulo juſto acquiſitis viribus ſuis ad æqui & juſti tramites uterentur populi, de æquilibrio cogitationes otioſæ planè & ſupervacaneæ haberi poterant; At verò aliud jubet præ-



Digitized by Google

ſens rerum facies, & tot luculenta in interitum vicinorum verſa ſœpe virium præpotentium molimina, ut non minùs æquilibrii inter reſpublicas integras, quàm dominiorum inter homines ſingulos, introductio, conſervatioque neceſſaria reputanda ſit.

§. 9.

Æquilibrium inter Gentes mutuis pactis, confœderationibus, atque unionibus actu initis, aut in futuros neceſſitatis caſus concertatis ſaltem, introducitur; quamdiu igitur increſcenti alterius potentiæ, accitis in fœdera aliis populis vires æquales opponi potes ſunt, atque ita reduci, conſervarique æquilibrium haud implicat, ad media idem conſervandi duriora deſcendendum haud eſt (Cap. II. §. 12.); Ac proin populus in regna aut provincias hereditario, pactitio, aut electitio etiam jure ſucceſſurus, occupationibusve partim originariis, partim bellicis ditiones ſuas & territoria augmentaturus, ab ejusmodi acquiſitionibus titulo juſto faciendis hoc caſu citra nefas arceri haud poterit.

COROLLARIUM. Idem ex paritate rationis tum quoque obtinebit; quando novis terrarum, regnorumque

Digitized by Google

rumque acceſſionibus augendus Gentes reliquas à metuendis ex præpotentiâ damnis ſecuros præſtat, u. e. Jus præſidii in caſtris & fortalitiis quibusdam vicinis concedendo: provincias nonnullas in ſecuritatem oppignorando &c.

SCHOLION I. Ac tales præcisè intelligo aſſecurándi modos; quàm parum enim nudis pactis, juramento etiam vallatis, ſoleat ineſſe roboris, ipſa rerum momenta, eademque conquiſitis undequaque prætextibus eludendi facilitas teſtantur.

SCHOLION II. Turbari equidem per novas illas acquiſitiones æquilibrium, haud nego; aſt ex ſuppoſito non prorſus tollitur (§. 7.): quippe mutato nonnihil Gentium ſyſtemate, ictisque novis fœderibus in priſtinum facilè ſtatum reducendum.

## §. 10.

Quodſi ex adverſo per acquiſitiones iſtas, à populo uno, aut etiam pluribus nexu perpetuo inter ſe confœderatis, eâdemve ſors familiâ regnatrice gubernatis factas, æquilibramen ita tollatur, ut nullis ampliùs in contrarium ictis fœderibus reduci queat: quodſi familia regnans, atque Gens acquiſitura affectati prædominii, ambitæque ſuperioritatis in populos reliquos manifeſta hucusque indicia dederit; quodſi aliunde, præ-

 poten-

Digitized by Google

potentiam in rerumpublicarum aliarum ruinam verſum iri, probabile admodùm, vel certum planè exiſtat, neque tamen ſecuritatem cautionemque idoneam eadem præſtare parata ſit; quin ſub his circumſtantiis, ex una parte æquipondii ſublatio, & ex altera idem integrum ſervandi obligatio (§. 7. & 8.), juſtam bello cauſam præbeat, dubitari nequit (Cap. III. §. 1.).

COROLLARIUM I. Quum ergò hoc caſu ſecuritatis à futuris læſionibus conſequendæ cauſâ, ad arma proſiliant Gentes: quando, quaque ratione æquilibrii conſervatio bello aſſecuratorio (§. 1.) anſam ſubminiſtret, intelligitur.

COROLLARIUM II. Nec minus inde patet: quod comparatis ita rebus Gentes jure impediant, ne regna atque provinciæ quædam ſucceſſionis, electionis aut occupationis jure ad populum aliquem ita perveniant, ut unione atque incorporatione vel ad tempus, vel in perpetuum factâ æquilibramen virium tollatur (§. 7.).

SCHOLION. Nil hic agunt populi reliqui, quod in juſtitiæ regulas impingat, aut quod cum juſto armorum uſu pugnet; Securitatis atque tranquillitatis conſervatio prima Gentium lex eſt; hæc igitur, ſi ſublato æquilibrio certò vel valdè probabiliter interitura eſt: ſi ruinam ex præpondio (§. 7.) ſibi imminere Gentes reliquæ cernant: quidni modis

omni-

omnibus hæc obſtacula removeant ? præſertim, cum Gentes prædominium in reliquas affectantes, & cōmunis ille ex pravis affectibus deſcendens virium abuſus, cur ad extrema hæc media provolare neceſſum ſit, in cauſa ſint. Prorſus ut impedimenta, acquiſitionibus populorum ſub his circumſtantiis armis obmota, in pœnam veluti immoderati potentiæ usûs accipi debeant. Populis ſaltem nonniſi pacem & ſecuritatem quærentibus in malum imputari nequit, ſi quavis ratione ſalutem quærant, atque futuris etiam metuendis calamitatibus obviam procedant. Quis, obſecro, tam veſanus fuerit, ut nociturum ſibi, vulnusque infligere intentantem, gladium etiam proprium arripere paſſurus, & non potiùs modis omnibus, ne in manus ejusdem veniat, impediturus ſit?

## §. 11.

Æquilibrio inter reſpublicas duas conſiſtente, conſequenter viribus utrinque actu æqualibus, ſub fatis (§. 10.) circumſtantiis, h. e., ſi novis auctum viribus eaſdem in alterius ruinam verſurum eſſe, præviè exploratum, aut vero admodum ſimile ſit, quin pari prorſus ratione nova virium incrementa armis, atque vi bellicâ jure impediantur, in dubium eſt.

SCHOLION. Neque hæc à praxi Gentium abludunt. Ut potiùs injuſtitiæ omni labe eo fine ſu-



Digitized by Google

ſuſcepta bella carere reputentur; tum præcipuè, ſi conquirendi vincendique alios pruritus, *l'eſprit de conquêtes* potentiæ vicinæ notorius ſit.

§. 12.

Quandoquidem igitur ſecuritas omni modo procuranda (Cap. I. §. 10. Coroll.), &, ſi aliter nequeat, armorum etiam vi adhibitâ adſerenda ſit (Cap. III. §. 1.), in ſpecie autem læſiones certò vel probabiliter imminentes bello aſſecuratorio locum faciant (§. 1.); facilè liquet, jure quoque impediri poſſe populum vicinum, ne in Regem, aut Imperantem, Principemve ſibi præficiat, ex cujus electione Gens vicina in præſentiſſimum interitûs diſcrimen deturbatur: undeque mala plurima certò, vel ſummè probabiliter obventura ipſi ſunt; adeò ut, ſi amicè monitus à præficiendo ſibi eo Capite deſiſtere nolit, armorum etiam vi, ut ab electione talismodi animum avertat, adigi poſſit.

SCHOLION. Minimè ſic libertatem electionis imminuere intendit populus eandem impediens; ſed id ſolùm jure ſuo poſtulat, ne, quo alter pollet libero eligendi arbitrio, in præjudicium ac damnum ſuum abutatur. Et ſi vel maximè ea electio ſaluti regni

regni proficua futura eſſet; id tamen jura alterius perfecta, conſervationis ſecuritatisque obſtacula removendi, haud perimere valet; quæ multis, gravibusque rationibus roborare poſſemus, ſi eam prolixitatem præſens inſtitutum ferret.

§. 13.

Quodſi porro populorum quorundam prava bellis vicinos laceſſendi conſuetudo usque adeo invaluerit, ut neque ordinaria defenſionis media (Cap. V.), neque etiam arma bello offenſivo juſto illata, ſuosque intra coercita limites (Cap. VI. §. 10.) refrænandæ eorundem malitiæ ſufficiant; Quodſi contemptis pacis ac fœderum juribus ſanctiſſimis, nullâ datæ pactorum fidei, aut humanitatis ratione habitâ, adinſtar barbarorum in territoria Gentium vicinarum ex improviſo irruere, atque deprædationibus, incendiis, cædibusque omnia miſcere in more poſitum habeant: nil jam aliud ſupereſt, quàm ut ad duriora media deſcendatur, atque increſcens usque adeò infeſta vicinis malitia, inflictis ex condigno malis, aut corrigatur, aut lædentes ſaltem in eum impotentiæ ſtatum redigantur, ut infeſtandis porro vicinis

cinis impares evadant, atque ita tandem ſecuritatem læſi conſequantur. Enimverò bellum quod ſecuritatis ab imminentibus læſionibus conſequendæ, coercendæque aliorum malitiæ causâ geritur, *aſſecuratorium*, item *punitivum* (§.1.), mala autem, quæ lædenti eum in finem infliguntur, ut à læſionibus futuris abſtineat, aut ſaltem ut ad nocendum impotens efficiatur, *pœna* audiunt (§. eod. Schol.); quin igitur, comparatis ita rebus, bello punitivo aggredi populos, haud aliâ ratione coerceri aptos, inflictisque pœnis ſecuritatem ſibi ab iisdem procurare integrum ſit, rectâ cum ratione dubitari nequit.

COROLLARIUM. Quod proin cum bello defenſivo (Cap. V. §. 11.), aut offenſivo etiam, rerum juriumque recuperatorio, (Cap. VI. §. 11. Schol.) bellum etiam punitivum & aſſecuratorium conjungi queat, extra controverſiam eſt.

SCHOLION. Idque regulariter inter Gentes uſu ſervatur; indeque belligerantes ordinarios juſtæ defenſionis, offenſionisque limites ſubinde transgredi, mirum videri haud debet.

§. 14.

§. 14.

Quoniam ad media duriora aditus haud patet, niſi ubi leniora nil proficiunt (Cap. II. §. 12.); neque in bello quoque punitivo populo lædenti mala acerbiora, gravioresque pœnæ infligendæ erunt, quàm quæ coercendæ ejusdem malitiæ, ſecuritatique conſequendæ pares eſſe deprehendantur.

SCHOLION. Tentanda itaque ante media, viæque leniores omnes, ut à pravo nocendi propoſito abducatur populus, atque ad pacis idem leges ſanctè & intemeratè cuſtodiendas permoveatur.

§. 15.

Si tamen mala leniora haud ſufficiant, pœnis inflictis durioribus ſecuritas quærenda: atque ita incorrigibiles invaſores, non impunè laceſſi alios, condocendi erunt (d. Cap. II. §. 12.).

COROLLARIUM I. Præter recuperatas itaque occupatasque ab hoſte res ſuas, ſarcitaque etiam damna, Gentes læſæ urbes, caſtra, & fortalitia, imo integras etiam provincias per modum pœnæ jure occupant; atque eousque hoſtes debellant viribus, dum nocendo impares evadant, omnemque vicinos laceſſendi pruriginem dimittant.

COROLLARIUM II. Cui ulteriùs conſequens fit, quod, ſicubi ſubjugari prorſus, aut extirpari hoſtilem

ſtilem populum ſecuritas expoſcat, non ante deſiſtendum à bello ſit, quam dum ſubjugatus ſui juris eſſe deſinat, & victricis reipublicæ acceſſio factus fuerit.

§. 16.

At enimverò, quum victori ne ſic quidem ſatis ſæpe proviſum, ac proſpectum ſit; motibus inteſtinis à ſubjugatis populis, uti factum fuiſſe ſæpiùs, hiſtoriarum fides luculenta comprobat, facilè ſuſcitandis; debellatos hoſtes pro re natâ in terras quoque exteras transplantandi, aut in ſervitutem planè abducendi jus eſſe, nemo ambigit.

SCHOLION. De his & ſimilibus effectibus victoriæ infra Cap. X. uberiùs acturi ſumus.

§. 17.

Quum porro barbaris, efferisque hoſtibus talionis, juſtæque defenſionis jure arma apud moratiores aliàs populos haud uſitata opponere neceſſum ſit (Cap. IV. §. 18. ſeq. Schol.); quin & ſecuritas quandoque, nonniſi extinctâ totâ barbarorum progenie, obtineri valeat: regulares, atque inter Gentes

tes moratiores receptos bella gerendi modos in bellis punitivis atque aſſecuratoriis non ſemper ad amuſſim cuſtodiri poſſe evidens eſt.

COROLLARIUM. Unde pœnæ, & ſecuritatis in futurum conſequendæ nomine integræ quandoque nationes cum feminis totâque progenie jure optimo funditùs delentur (Cap. IV. §. 16. Coroll.); unde ſolo æquare urbes, incendiis vaſtare agros terrasque hoſtiles, atque longè latèque depopulari omnia cum juſtitiæ regulis pro re natâ necquidpiam pugnat. Concipimus inde, quod veniam rogantibus victis negare, eosdemque exarmatos etiam, armave ponentes interficere, à crudelitatis, & barbariei notâ immune ſit (Ibid. §. 14.), ſicubi pervicax, ſœpiùsque experta nocendi libido, hæc talia in ſpeciem ſolùm fieri, dimiſſosque ad genium redituros, ex præviis multis exemplis certò colligere liceat.

SCHOLION. Idem nimirum in hiſce caſibus pro ſui conſervatione, obtinendâque ſecuritate agunt populi, quod pro incolumitate ſubditorum in republicâ ſummus Imperans in ſe officium ſuſcepit; quodque extra cœtum civilem privato cuilibet pro conſervatione ſuâ in temerarios & incorrigibiles invaſores, turbatoresque quietis communis exercere integrum fuiſſet.

§. 18.

Nec minùs ex eo, quod in bello punitivo neceſſariæ defenſionis, & ſecuritatis



Digitized by Google

ma ratio ordinarios bella gerendi modos negligere ſæpe adigat (§. 16.), colligere licet, quod adverſùs hoſtem venenatis utentem armis, item adverſùs barbaros & prædones, quovis meliori ratione è medio tollendos, quælibet eosdem neci tradendi media licita reputanda ſint, quibus nec injuria Deo infertur, nec in fidem pactis datam impingitur.

COROLLARIUM. Armis itaque venenatis talionis jure rectè occiduntur; nec farinas, frumenta, aquasque in extremo neceſſitatis caſu, præſertim, ubi cum latronibus & barbaris nullâ ratione aliâ compeſcendis res eſt, toxico miſcere, ab humanitate alienum eſt.

SCHOLION. Sed prudentiæ tamen regulas, conſectariaque inde fortè conſecutura probè ponderabunt populi; Quodſi enim barbari hæc talia nocendi media haud uſurpent, eaque edocti plus nobis damni illaturi ſint, quàm ex uſu ejusmodi mediorum boni præſtolari poteramus, ad talia hoſtem debellandi, vincendique media confugiendum haud eſſe, per ſe liquet.

SCHOLION II. Stratagematibus multò magis hoſtem circumvenire in bello punitivo integrum eſſe debet: modò ne in juſti, æquique regulas impingatur (Cap. IV. §. 19. Schol.).

CA-

# CAPUT VIII.

## DE
## FOEDERIBUS BELLI CAUSA INITIS, & FOEDERATORUM JURIBUS.

§. 1.

F*Oederum belli cauſâ initorum* appellatione intelligimus pacta qualiacunque, quæ promovendi felicis armorum exitûs gratiâ inter ſe ineunt populi; qui *fœderatorum*, item *confœderatorum* inde nomen indipiſcuntur. Quodſi fœderati ſocietatem belli contrahant, id eſt, id inter ſe agant, ut uno gerente aut ſuſcipiente bellum, alter quoque in hoſtem arma moveat, eidemque bellum indicat, talismodi conventionem in ſpecie *fœdus belli*; ſin de auxilio ſolùm uni alterive fœderatorum in caſu belli præſtando conventum fuerit, pactum iſtud *fœdus mutui auxilii* nuncupamus.

COROLLARIUM. Fœdera ſpecies pactorum cum ſint, easdem quoque, quæ pacta in genere, diviſiones recipient, iisdemque prorſus juribus æſtimanda venient (Lib. III. Cap. IV. ſeq.).

 SCHO-

SCHOLION. In reſtrictiori itaque ſignificatu *fœderis* nomen accipimus; quum aliàs in Gentium jure pacta qualiacunque inter populos diverſos inita hâc voce comprehendantur (a); & fœderum compellatione tam ea, quæ amicitiæ mutuò ſtabiliendæ, commerciorum promovendorum, aliarumque utilitatum causâ ineuntur, quâm quibus bellum anſam ſubminiſtrat, vulgò indigitentur; ſed de priori pactorum ſpecie commodior diſſerendi locus Lib. V. ac potiſſimùm Lib. VI. Cap. I. ſeſe offeret.

§. 2.

Quodſi inter fœderatos in caſum ſolùm aggreſſionis ab alio populo factæ belli ſocietas inita fuerit, *fœdus belli defenſivum*; Sin in caſum movendorum in alterum armorum, ſeu aggreſſionis primò faciendæ paciſcantur, *fœdus belli offenſivum*; Si denique in caſum utrumque, defenſionis ſcilicet, & aggreſſionis, de bello adversùs communem hoſtem vel conjunctim vel ſeparatim gerendo fœderati convenerint, fœdus *offenſivum & defenſivum* audit.

COROL-

(a) HEINECC. *Element. J. N. & G.* Lib. II. §. 207. KOEHLER *J. N. Social. Gent.* Specim. VII. §. 1691.

Digitized by Google

COROLLARIUM. Fœdere belli tam defenſivo, quàm offenſivo, nec non offenſivo & defenſivo ſocietas belli contrahitur (§. 1.); invaſo itaque aut bellum inferente cui alter ejusmodi fœdere junctus eſt, hic quoque declarare bellum, & vel ſeparatim hoſtem invadere, vel cum fœderato communem cauſam facere obſtrictus eſt.

§. 3.

Quoniam fœdera mutui auxilii in ſpecie ita dicta (§. 1.) in eosdem planè caſus, in quos fœdera belli (§. 2.), iniri queunt, fœdera quoque mutui auxilii partim *defenſiva*, partim *offenſiva*, partim denique *offenſiva & defenſiva* eſſe pateſcit.

COROLLARIUM. Quum tamen auxilia alteri in caſu ſuſcepti aut ſuſcipiendi belli promittens, id in ſpecie haud agat, ut fœderati ſui hoſtem & ipſe pro hoſte habeat, fœdera mutui auxilii (§. 1.) fœderatos per ſe & neceſſariò bello haud implicant; ac proin eorundem à fœderibus belli (§. 2.) diverſitas in plano conſiſtit.

SCHOLION. At verò, an non is quoque, contra quem auxilia præſtantur, præſtantem pro hoſte habere, belloque invadere queat, alia eſt quæſtio, quam infra decidemus.

§. 4.

Fœdera tam belli, quàm mutui auxilii (§. 1.) alia eſſe *pura*, alia *conditionata*, prout

prout vel purè & abſolutè, vel ſub conditione inita fuêre, per ſe liquet. Eadem porrò vel *determinata* ſunt, vel *indeterminata*; *illa* dicimus, ſiquando in pacto fœderis, quid, & contra quos auxilia præſtanda, bellumve movendum ſit, exprimitur; *indeterminata* verò ſive *generalia* aut unum, aut alterum, vel utrumque indefinitum relinquunt; atque adeò in omnes regulariter caſus fœderatos obligant.

COROLLARIUM. Determinata itaque fœdera populos partim & reſpublicas definiunt, adverſùm quas exiſtente caſu fœderis arma movenda, aut auxilia ſaltem præſtanda veniant; partim, in quo auxilia conſiſtere debeant, nec non eorundem menſuram modumque exprimunt: an, & qui copiarum militarium numerus ſubmittendus? utrùm equites, an pedites? an copiæ terreſtres, an maritimæ? an armis, an navibus, an annonâ, ſimilibusque rebus, queis ſine bellum geri nequit, fœderato ſubveniendum ſit.

SCHOLION. Atque hæc fœdera in ſpecie *affirmativa* dicimus; quæ à *negativis*, queis neutralitatem, neve hoſti auxilia ferantur, ſtipulari ſibi ſolent populi, diverſa eſſe, nemo non videt. De fœderibus negativis in ſpecie Cap. ſequ. IX. agimus.

§. 5.

§. 5.

Quodſi fœderatorum unus ad communem belli cauſam faciendam, præſtandaque fœderato auxilia ſeſe obſtringat, citra quod reciprocam ſibi ab altero opem, aut pares fœderis conditiones reſtipuletur, *fœdera unilateralia*, item *benefica*; ſin in parem utrinque obligationem contrahantur, *bilateralia*, item *oneroſa* dicimus.

SCHOLION. Ita, quàm fœdera æqualia & inæqualia, vocare malui; utpote quam diviſionem alii fœderum ſpeciei reſervamus. Fœdera unilateralia inæqualem quidem præſtationem, aut potiùs unâ ſaltem ex parte obligationem pactitiam involvunt; aſt quum populos prorsùs independentes, atque fœdera libero planè arbitrio inita ſupponamus, non magis hæc, quam obligatio bilateralis, inter ipſos fœderatos differentiam inducit; excepto, quòd benefica fœderatum, cujus gratiâ auxilia promiſſa fuêre, gratitudinis vinculo devinciant. Aliter, ſi ex Advocatiæ & clientelæ jure defenſio populi cujusdam ſuſcipiatur: cujus tamen diſquiſitio hujus loci non eſt.

§. 6.

Subinde inter Gentes ſive populos duos potentiâ inæquales tali conditione ineuntur fœdera: ut viribus inferior, ſive minùs



Digitized by Google

dignus potentiori, ſive digniori, in bello communi ope gerendo, ferendisque pro virili auxiliis in omnes caſus (§. 2. & 3.) præſtò eſſe teneatur; digniori aut nullam, aut in caſum ſolùm invaſionis ab extraneo factæ reciprocam opem reſtipulante. Quâ ratione populi viribus inferioris conditionem revera deteriorem fieri per ſe patet; unde *fœdera* ejusmodi *inæqualia*, ſive potiùs *inæqualitatis* nuncupant, diverſa à *fœderibus æqualibus*, in quibus, nullâ habitâ potentiæ inæqualis ratione, in pares ſeſe fœderati conditiones obligant.

COROLLARIUM. Fœdera unilateralia beneficium ex parte potentioris involvunt, nullo in minùs dignum inde redundante onere (§. 5.): unde fœdera unilateralia ad fœdera, de quibus loquimur, inæqualia trahenda haud eſſe, de novo liquet.

SCHOLION. Fœdera ejusmodi inæqualia plerumque fructus, & effectus victoriæ ſunt; & licet ſummitatem atque independentiam populi in ſalvo eadem relinquere ſupponamus; ſupremam tamen poteſtatem ferè afficiunt, atque ſervitutis quandam ſpeciem (Lib. III. Cap. II. §. 19.) inducunt, ſubjectioni quàm proximam, ſiquando in belli negotiis fœderati inferioris manus ita ligatæ fuerint, ut injuſſu, aut absque præſcitu fœderati

rati ſuperioris armis offenſivis agere integrum haud ſit; aut ſi annua tributa, milesque perpetuus ex pacto ſubmittendus veniat.

§. 7.

Fœdera porrò alia ſunt *temporaria*, alia *perpetua*, prout vel ad tempus vel in perpetuum contracta fuêre; poſteriori caſu confœderati novam quandoque rempublicam ſub ſchemate *ſyſtematis fœderatorum* efformant; tum præcipuè, quando belli negotia nonniſi in communi adminiſtrantur.

SCHOLION. Exempla in confœderatis ſeptem provinciis Batavorum, nec non in unione Cantonum Helveticorum contuemur.

§. 8.

Quæ in perſonas imperantium, fœderaque ineuntium concepta tantùm ſunt, *fœdera perſonalia*; aſt quæ ipſius reipublicæ nomine, habitoque ad eandem reſpectu contrahuntur, *fœdera realia* dicimus; quorum proin obligatio cum morte Imperantium, aut contrahentium haud expirat (Lib. III. Cap. IV. §. 16.).

COROLLARIUM. Principes atque Imperantes ſummi rempublicam repræſentant (Lib. I. Cap. I. §. 8. Schol.), ejusque nomine belli pacisque negotia tractant, regulariter itaque & in dubio fœdera realia potiùs, quàm perſonalia eſſe cenſenda ſunt.

## §. 9.

Gentes ſive populi ad mutuò ſupplendum virium, quem patiuntur, defectum ex primo ſocialitatis principio (Lib. I. Cap. II. §. 12. ſeq.) obſtricti ſunt; præcipuè verò ad ſuccurrendum oppreſſis ex humanitatis legibus obligantur (Lib. II. Cap. I. §. 6. ſeq.); Quumque porro ſecuritas in futurum quoque procuranda ſit (Cap. VII. §. 1.), eumque in finem pacta ineunda, atque mutua adjutoria ſtipulanda veniant (Lib. III. Cap. IV. §. 4. & 5.); Nec denique absque actu initis, aut concertatis minimùm in eventus futuros pactis mutui auxilii bellici, id eſt fœderibus (§. 1.), æquilibrio Gentium ſua ratio conſtet (Cap. VII. §. 6.); fœdera tum jure pangi, tum ad eadem pangenda, ineundaque populos obſtrictos eſſe, expeditum eſt.

COROLLARIUM. Quum tamen non niſi de re licita paciſci liceat (Lib. III. Cap. IV. §. 10.); neque

fœdera

fœdera quoque aliter ſubſiſtere liquet, quàm ſi nec ratione objecti, nec ratione perſonarum aliarumque circumſtantiarum turpitudinem moralem, aut illiciti quidpiam involvant.

SCHOLION. Ad æqui & juſti præcipuè regulas attendendum: ne ſcilicet bella injuſta gerentibus auxilia promittantur, aut præſtentur. Enimverò, cum quilibet populus de juſtitia cauſæ belli ipſe judicet (Cap. III. §. 22. & 23.); ad fœderatorum, atque auxilia promittentium judicia redit, quæ ipſi bella juſta reputent: modò ne ſuâ culpâ à vero aberrent.

## §. 10.

Adversùs infideles, atque ſacrorum cultu diſſentientes populos officia amoris, ſocialitatis, atque humanitatis haud ceſſant (Lib. II. Cap. II. §. 19. & 20.), nec pactis eadem ipſis promittere, firmareque juri Gentium repugnat (Lib. III. Cap. V. §. 7.); cum infidelibus itaque fœdera pangere, mutuamque armorum ſocietatem inire æquitati, aut Juri Gentium per ſe nullatenus refragari conſtat.

COROLLARIUM. Populi itaque Chriſtianum nomen profitentes, Imperatori Turcarum, aut Regi Perſarum, adversùs Reges, populosque infide-

 les

Digitized by Google

les alios licitè ſuppetias ferunt, eumque in finem tam fœdera belli, quàm mutui auxilii, eaque non minùs offenſiva, quam defenſiva (§§. 2. & 3.), ad tempus, vel in perpetuum (§. 7.) licitè ineunt.

SCHOLION. Propria Chriſtiani populi ſalus, atque inter Gentes infideles Chriſtiani nominis hoſtes conſervandi æquilibrii ratio ejusmodi fœdera nonnunquam efflagitat; eademque ab omni iniquitatis labe immunia præſtat. Cavendum tamen ſolicitè, ne ex familiari nimis cum infidelibus conſortio Chriſtianæ fidei pericula, damnaque ſuccreſcant.

## §. 11.

Quodſi porro Populo Chriſtiano à republica Chriſtianâ aliâ bellum planè injuſtum inferatur, ex quo ruina ejusdem probabiliter conſecutura eſt: nec tamen averti idem, niſi pacto cum populo infideli fœdere, valeat: hic verò, vigore ſtipulati fœderis, nec conquiſitiones in terris Chriſtianorum facere, neque factas retinere intendat, ſed pacem ſolùm, concordiamque tantummodò inter respublicas Chriſtianas reducere, firmareque animo ſibi præfigat; isque ſub his, non aliis conditionibus, in fœdus adlectus fuerit; quin comparatis ita rebus fœdus etiam adversùs rem-

Digitized by Google

rempublicam Chriſtianam cum infideli licitè pangatur, indubium eſt, nec divinis, nec naturalibus Gentium legibus idem prohibentibus.

SCHOLION. Aſt quàm difficilè ſit, talismodi fœdera non in præjudicium veræ fidei vergere; quàmque exceſſus omnes in orthodoxos populos vix ac ne vix devitari valeant, nemo non perſpicit. Ad individuos itaque caſus ſi oculos convertamus, odiumque connatum velut infidelium in Chriſtianum nomen contemplemur, cum infidelibus adversùs Chriſtianos populos initas bellorum ſocietates regulariter illicitas pronuntiandas eſſe liquet: ſalvâ fide & religione haud ſubſtituras; niſi innocuas easdem eſſe Chriſtiano nomini manifeſtò appareat. Quare confœderationibus ejusmodi meritò abſtinendum, nec ad easdem, niſi in extremo neceſſitatis caſu, & ſub fatis modò circumſtantiis confugiendum eſſe judicamus.

§. 12.

*Caſus fœderis* dicitur exiſtentia circumſtantiarum, ſub quibus ſocietas belli mutua inita, vel auxilia ſtipulata fuêre (§. 1.); quum itaque pactorum fides ſanctè adimplenda (Lib. II. Cap. V. §. 3. 5. & 6.), cuſtodiendaque ſit, exiſtente caſu fœderis vel ad arma proſiliendum, ſiquidem ſocietas belli contracta (§. 3.), vel ſi fœdera mutui auxilii inita (§. eod.),

Digitized by Google

(§. eod.), promiſſa auxilia, copiæ militares, arma, naves, claſſes, annona, ſubſidia pecuniaria &c. promptè, & ex condicto ſubmittenda eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. Quodſi, utrùm caſus fœderis ſubſit, dubia oriantur, eadem prævié inter ipſos paciſcentes viis amicis (Cap. II. §. 4.) ſopienda eſſe, per ſe patet.

§. 13.

Omnia pacta imbibitam hanc clauſulam habent: Si res in eodem ſtatu permanſerint, ſique, quod promiſſum, tum phyſicè tum moraliter poſſibile ſit, citraque injuſtitiam, propriumve excidium ad effectum deduci valeat (Lib. III. Cap. IV. §. 17.); Fœderatus itaque neque arma manifeſtò injuſta opitulando rectè promovet: neque, quando ipſe bello implicitus eſt, aut queis fœderatum juvet, vires reliquas haud habet, promiſſam ſubmittere opem obſtrictus eſt.

SCHOLION. Hi caſus propriè, ad caſus fœderis haud pertinent; unde ſub his circumſtantiis fœderis potiùs obligationem ceſſare dicendum eſt.

§. 14.

Digitized by Google

§. 14.

Qui hoſti auxilia ſubmittit, is nocendi eidem inſtrumenta ſubminiſtrat, atque damnorum adverſario inferendorum cauſa exiſtit; quoniam itaque damnorum, conſequenter & læſionum, cauſas removendi, quævis ratio juſta eſt (Cap I. §. 12.), ita ut armorum quoque vi easdem propulſandi facultas competat (Cap. III. §. 1.); quòd fœderatos, auxilia hoſti ferentes, bello impetere, integrum ſit, extra controverſiam eſt.

COROLLARIUM. De confœderatis ſociis belli, quum ipſi ſeſe pro hoſtibus gerant (§. 2. Schol.), res per ſe clara eſt, nec ulteriori demonſtratione eget.

SCHOLION. De Jure ſcil. hoſtium loquor, quod ipſis in fœderatos alterius partis competit. Enimverò, quum Gentium, bellique feliciter gerendi rationes vix ferant, ut plures eædem hoſtes in ſe concitent, atque ita theatrum belli in diverſis locis aperire neceſſum habeant: præſtita parti adverſæ auxilia ut plurimùm diſſimulantur, Legatis, ut ante, in aulis fœderatorum ſubſiſtentibus; atque amicitiam pacemque infucatè colentibus; hâc etiam fortè ſpe freti, fore, ut fœderati à fœdere dimoveantur; aut, quod commerciorum compendia armorum vim diſſuadeant; vel denique, quod auxilia hoſt

 ſum

ſumminiſtrata non admodùm noceant, aut ex fœdere antiquo, pactoque oneroſo, aut intuitu diverſorum prorſus regnorum, provinciarumque præſtanda veniant; exemplis quotidianis eam in rem obviis.

## §. 15.

Quodſi fœdere cum pluribus icto, pacti legibus utrinque ſatisfieri poſſit, exiſtente caſu foederis utrique præſtanda auxilia (§. 10.). Sin colliſio oriatur, ſive quòd foederatus utrique ſimul ſuccurrendo impar ſit, ſive quòd ipſi foedere juncti bella inter ſe miſceant, ſuppoſitâ æquâ utrinque cauſæ juſtitiâ (§. 9. Coroll.) obligationi antiquiori, atque fortiori præ poſteriori, minusque forti ſatisfaciendum eſſe, ex regulis colliſionum in Jure Naturali traditis liquet; id quod, ſi citra incommodum fieri nequeat, fortè quòd unius alteriusque fœderatorum hoſtilia arma in ſe concitaturus ſit; nil ſupereſt, quàm ut fœderatus pactâ neutralitate à foederis ſeſe obligatione extricet.

SCHOLION. Evadendi fortè vias plures circumſtantiæ ſpeciales, in ejusmodi caſibus probè ponderandæ, ſuggerent. Rem ſæpè intricatam difficultatibus

tatibus plurimis obſitam eſſe haud diffiteor; unde generales, certas, fixasque ſtaruminare regulas in compendio haud licet.

§. 16.

Inita cum populo extero adversùs vim & invaſionem aliorum injuſtam fœdera jure ſubſiſtunt (§. 9. Coroll.): Pone itaque exiſtere caſum foederis: pone populos vicinos barbaros foedere nobis junctam Gentem hoſtilibus armis laceſſere; quin bello eosdem invadendi cauſa juſta ſubſit, dubio caret (§. 12.). Quoniam igitur ſicuti foederatorum hoſtes, ita pariter armorum vim cum iisdem jungentes, viciſſim pro hoſtibus jure habentur (§. 14.), qui foederatorum noſtrorum hoſtes bello juvant, eos rectè à nobis pro hoſtibus judicari, armaque jure in eosdem moveri, exploratæ eſt veritatis: utut in pace ante nobiſcum vixerint; ad eum enim jam caſum res rediit, quo obligatio pactitia ceſſat; potiſſimùm ſi de foedere cum vicino populo inito certioratus, à bello in eundem movendo deſiſtere nolit.

SCHOLION I. Ne tamen, à pacis fœdere primò diſceſſum fuiſſe, hoſtis incuſet, cautè omninò procedendum

cedendum, nihilque intermittendum, quò aut ab armis & fœdere dimoveatur, aut quò armorum in fœderatum nobis motorum injuſtitia propoleſcat omnibus; prudentiæ, temporumque, ut & æquilibrii juſti conſervandi regulis nequaquam inſuperhabitis.

SCHOLION II. Cœterùm quum fœdera pacta eſſe conſtet, iisdem quoque modis, quo pacta, tum firmabuntur, tum eorundem obligatio expirabit, Vide Lib. III. Cap. VI.

# CAPUT IX.

## DE POPULIS NEUTRIS, EORUNDEMQUE JURIBUS.

### §. I.

QUi duobus pluribusve populis armis inter ſe diſceptantibus à ſtudio partium externo abſtinent: id eſt, qui neque cum uno, neque cum altero belligerantium ſocietatem belli, mutuive auxilii contrahentes (Cap. VIII. §. I.) à bello prorſus alienos ſe gerunt, *Gentes neutræ, neutrarum partium*, item *bello medii*, dicuntur; ſtatus

ſtatus verò, in quo Gentes neutras conſtitutas cernimus, *neutralitatis*: ipſæque respublicæ ſive terræ, *Regnorum* atque *rerumpublicarum*, ſive *terrarum neutrarum* nominibus efferuntur.

COROLLARIUM. Quoniam fœderati (Cap. VIII. §. 1.) partes ſectantur, & aut communem planè belli cauſam faciunt, aut ad auxilia bellica præſtanda ſeſe obligant, fœderatos Gentibus neutris accenſeri haud poſſe, facilè pateſcit.

SCHOLION. Neutralitas igitur abſtinentiam à ſtudiò partium externo, nec non ab auxiliis bellicis uni vel alteri præſtandis involvit; atque in hac neutralitatis præcipuè eſſentia quærenda eſt; prorsùs ut animi adfectio, favorque internus, quo fors populus unus in cauſam alterius propendet, neutralitati bellicæ nequaquam officiat.

§. 2.

Enimverò neutralitas iſthæc vel intra ſimplices indifferentiæ, ad unum alterumve belligerantium, terminos ſubſiſtit; quali ſcilicet omnes fruuntur, qui bello haud impliciti in ſtatu pacifico degunt: vel vigore pacti cum belligerantibus initi ſtabilitur, & per modum juris perfecti competit; priori caſu



Digitized by Google

*neutralitatem ſimplicem, communem*, & *generalem*; poſteriori *pactitiam*, & *ſpecialem* nuncupant.

SCHOLION. Neutralitas ſimplex eadem eſt cum ſtatu pacifico; Quâ verò ratione à pactitia differat, quique utriusque effectus ſint, de eo mox diſpiciemus.

§. 3.

Utrùm populus, ſeu Gens aliqua ſocietatem belli contrahere & adversùs Gentem aliam communia arma movere, vel auxilia ſaltem præſtare velit, præſcindendo ab obligatione perfectâ præviâ, res eſt liberrimi arbitrii; & licet humanitatis ſocialitatisque ratio belligerantium uni præ altero ſuppetias ferre ſuadeat fortè, id tamen officium coactionem, violentamque exactionem reſpuit (Lib. II. Cap. I. §. I.); quum itaque qui bello abſtinent, atque inter duos, ármis diſceptantes populos, non magis unius quâm alterius partes amplectuntur, neutri dicantur (§. I.), populis liberis & independentibus quibuscunque neutris eſſe licere, exploratæ eſt veritatis.

CO-

COROLLARIUM. Quumque ſtatus belli incommoda plurima ſecum vehat, uti ex Cap. IV. affatim elucescit: ſtatum neutralitatis cœteris paribus ſtatui partialitatis & belli præferendum, conſequenter populos propriæ conſervationis & ſecuritatis causâ ad colendam exactam neutralitatem obſtrictos planè eſſe liqueſcit.

SCHOLION. Cœteris inquam paribus; ſtatum namque belli, & partium, ſtatui pacifico & neutralitatis ſubinde præferendum eſſe, mox apparebit.

§. 4.

Fœderati vigore pacti ad ſocietatem belli ineundam, communiaque in hoſtem arma movenda, vel ſtipulata ſaltem ſubmittendum auxilia obligantur (Cap. VIII. §. 1.); exiſtente itaque caſu fœderis (ibid. § 12.), belloque à confoederatis ſuſcepto, illis quietos agere ſpectatores, atque in ſtatu neutralitatis perſiſtere integrum haud eſt.

COROLLARIUM. Fœdere inæquali juncti (d. Cap. VIII. §. 6.), multòque magis nexu vaſallitico, aut plane ſubjectitio illigati, in omnes regulariter caſus cum digniori, atque ſuperiori republicâ cauſam belli communem facere, aut pacto ſtipulata, legeve publicâ definita ſubſidia belli ſubminiſtrare obligantur; uti tum ex d. §. Schol. tum ex vaſallitico, ſubjectionisque nexu intelligitur; fœdere

dere igitur inæquali junctis, uti & rebuspublicis vaſalliticis, clientelæve, ac ſubjectionis vinculo devinctis, ſuborto bello multò adhuc minùs in ſtatu pacifico & quietis vivere integrum eſſe, intelligitur.

SCHOLION. His nimirum in caſibus populi ad ſtudium partis bellicum jure perfecto obligantur; perfidis futuris, aut bello etiam compellendis, ſiqui obligationibus pactitiis ſatisfacere detrectant; Vaſallis autem Domino directo ſuccurrere recuſantibus, in feloniæ: at ſubjectitio planè nexu conſtrictis in caſu negati auxilii in perduellionis, aut læſæ ſaltem Majeſtatis crimen incidentibus.

§. 5.

Cui conſequens fit, quòd foedere, præſertim inæquali, nexuque clientelari, vaſallitico & ſubjectitio junctis alia neutralitas quàm pactitia (§. 2.) competere nequeat; obligatione ad ferendum auxilia nonniſi cum conſenſu, bonâque foederatorum, aut ſuperiorum gratiâ, remittendâ: Neutralitatem igitur ſub his circumſtantiis pactis quærendam, impetrandamque eſſe conſtat.

COROLLARIUM. Quumque fœderati bellum quidem commune haud gerentes, aſt hoſti tamen copias, annonam, ſimiliave auxilia ſubmittentes pro inimicis aut hoſtibus jure haberi queant, (Cap. VIII. §. 14.): neque his alia neutralitas adſcribi

adſcribi poterit, niſi quam pacto ab hoſte expreſſo ſive tacito impetrârint.

SCHOLION. Connivent ſcilicet ſubinde hoſtes ob rationes d. §. prolatas; aſt ſtricto jure neutralitas fœderatis haud debetur; unde, qui prorsùs ſecuri vivere cogitant, meliùs faciunt, ſi pactis præterea expreſſis ſibi proſpiciant.

§. 6.

Populi Neutri ſunt amici, ſaltem externè tales (§. 1.); Sicuti adeò hoſtium nomine comprehendi nequeunt (Cap. I. §. 15.); ita neque lædi eosdem à belligerantibus, neque hoſtilitatibus invadi, ſalvo neutralitatis ſtatu, fas erit.

SCHOLION. Ut amici potiùs colendi, mutuaque ipſis hinc inde humanitatis officia exhibenda venient; exceptis rerum quarundam commerciis, quæ ut interea quieſcant, atque intermittantur, ſecuritatis ratio poſtulat; exceptis etiam, quæ neceſſitatis favore in terris etiam neutris durante bello permiſſa cenſentur (§. ſeq.).

§. 7.

In regula itaque amicitiæ leges erga populos neutros exactè cuſtodiendæ ſunt; proin neque damna iisdem inferre (§. 6.),

neque humanitatis officia vi extorquere fas erit (Lib.II. Cap.I. §.1.). Enimverò quum officia humanitatis in officia neceſſitatis abeant, ſiquidem absque eorundem præſtatione pereundum, aut præſentiſſimum interitûs diſcrimen ſubeundum foret (Lib. II. Cap. VIII. §.5. ſeq.); belligerantes à populis neutris id jure perfecto, conſequenter armatâ etiam manu (d. Lib. II. Cap. I. §. 1. Schol. & h. L. Cap. III. §. 1.) petunt, ſumuntque, ſine quo aut pereundum ipſis eſt, aut quo haud occupato præda hoſtium futuri ſunt.

COROLLARIUM I. Unde, ſi defendi provinciæ, aut obſeſſæ urbi ſubveniri, niſi transmiſſis per territorium populi neutri copiis & reliquo belli apparatu, nequeat; tranſitus jure perfecto petitur, negatusque armis etiam adſeritur (Lib. II. Cap. VIII. §.13.). Sicubi exercitus annonæ, victualiumque defectu laborans, niſi à populo neutro alimenta ſubminiſtrentur, perire neceſſum habet, pabulatoriæ excurſiones in terras neutras jure ſuſcipiuntur, & quæ ibi deprehenduntur fruges, atque alimenta ſuperflua, rectè ſibi neceſſitate coarctati populi vindicant.

COROLLARIUM II. Ex eadem ratione fugientes ab hoſte in terris neutris receptum, aſylumque jure

jure quærere, tuendique ſui gratiâ fortalitia etiam & caſtra, præſertim, ſi ab inimicis ea occupatum iri proſpiciatur, rectè occupare, dubitari nequit.

SCHOLION. Aſt ſiquidem exceptio ab officiis erga alios quàm poteſt, cum incommodo minimo inſtituenda eſt (d. Lib. II. Cap. VIII. §. 17.); facilè liquet, belligerantes res illas pleno jure ſibi minimè adſerere poſſe: ſed ſi res mobiles, annonam fruges, & arma occupârint, eadem juſto pretio ſolvenda, aliterve ſarcienda: ſin res immobiles interimiſticè ſibi adſeruerint, easdem ceſſante neceſſitatis caſu citra cunctationem cum penſatione damnorum reſtituendas ſibi nôrint.

§. 8.

*Populos bello medios* in ſenſu literali dicimus, qui inter duos belligerantes conſtituti degunt, ſive quorum terræ inter reſpublicas bello implicitas interjacent; Quum igitur ſitis ita provinciis devitari vix poſſit, quin tam ab unâ, quàm ab alterâ parte tranſitus petatur, hyberna conſtituantur, pabulatoriæ excurſiones fiant, caſtraque in ſolo neutro ponantur (§. 7.); miſeram, calamitatibusque maximis ſubjectam eſſe bello mediorum conditionem, obſcurum eſſe nequit.

COROLLARIUM. Hæc itaque incommoda pro parte ſaltem declinaturus populus bello medius, aut,

perpenſis tum propriæ utilitatis ſecuritatisque rationibus, tum juſtitiâ cauſæ, uni, alterive fœdere ſe jungat, communemque belli cauſam faciat: aut neutralitatem pacto ſibi ſtipuletur; quidque citra offenſam tam uni quàm alteri præſtare poſſit, debeatque, conventione initâ clarè definiat.

SCHOLION. Pactitia neutralitas populis bello mediis eò magis neceſſaria, quò difficilius aliàs fuerit, cum utrisque æquam amicitiam colere; uno vel altero, quod ex neceſſitate etiam indultum, conceſſumque fuit, in partialitatis bellicæ ſtudium imputaturo.

§. 9.

Quoniam porro belligerantibus hoſtes debellandi, viribusque exuendi facultas competit (Cap. IV. §. 5.): jure quoque impedient, ne aut annona, armave ipſis undecunque aſportentur: neve copiis militaribus, aliisve nocendi mediis qualitercunque augeantur; Proindeque annona, armaque bellica hoſtibus deſtinata, utut à populis neutris transmittantur, belli jure rectè occupantur (d. Cap. VIII. §. 8.), & in prædam hoſtibus cedunt; id quod de aliis quibuscunque mercibus, inſtrumentis nocendi futuris, ex eadem ratione dicendum eſſe liquet.

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM. Utut igitur populis neutris cum utrisque belligerantium æquam amicitiam colere, mutuaque commercia exercere integrum maneat (§. 6.): à commerciis tamen armorum, aliarumque rerum apparatui belli directè inſervientium abſtinendum eſſe, facilè perſpicitur.

SCHOLION. Secus ſi faxint, jure id ſuo habeant, ſi merces ejusmodi direptæ in prædam hoſtibus cedant, nullâ damni ſarcitione ſperandâ.

§. 10.

Quumque qui deliberato animo hoſti auxilia ferunt, partialitatis bellicæ ſtudium manifeſtò prodant, neque adeò pro neutris haberi queant (§.1.Coroll.); patet, ſi populi bello medii aut alii quicunque hoſtium uni copias militares, arma, ſimiliave ad belli apparatum facientia inſtrumenta, mercesque deliberatò transmittant, eos pro neutris haberi haud poſſe: ſed ea omnia, quæ in ſocios belli, atque fœderatos licita ſunt (Cap. VIII. §. 14.), adversùs eosdem ad effectum deducendi, conſequenter hoſtium quoque eos loco habendi, facultatem integram eſſe apparet.

COROLLARIUM. Ceſſat igitur neutralitas, quamprimùm ſtudium partium in actus ejuſmodi, & realem auxilii præſtationem prorumpit.

SCHOLION. Excipies forſan: ſi clientelari, aut vaſſallitico, ſimilive nexu alteri devinctus populus ex obligationis ſibi incumbentis neceſſitate talismodi auxilia præſtet; quo caſu hoſtis ſubmiſſa auxilia, mercesque jure quidem intercipit, fœderatumque ex merito pro hoſte reputat (Cap. præc. §. 14.); Aſt ſiquidem pacatum cœteroquin animum oſtendat, amicitiæque leges in reliquis cuſtodire paratus ſit, neutralitatem fœderato ejusmodi extra caſus præſtiti auxilii indulgere, ad humanitatis rationes pertinet, æquitasque ſuadet. Tutius tamen agunt, qui pactis cum unâ alteraque parte, conſentiente præcipuè ſuperiori republicâ, initis ſibi proſpiciunt.

§. 11.

Subinde ipſi belligerantes neutralitatem pro certis provinciis ſibi mutuò ſtipulantur; quæ inde *terræ* ſive *provinciæ neutræ* dicuntur, atque iis omnino juribus, quibus regna, ac republicæ neutræ aliæ, cenſendæ veniunt.

SCHOLION. Stipulatæ ejusmodi neutralitatis pactitiæ ratio communiter eſſe ſolet; ne Gentes aliæ neutræ bello implicentur, atque cum uno alterove belligerantium cauſam communem facere cogantur; quandoque commerciorum quoque id utilitas ſuadet; aut quod regna iſta, provinciæque ſeparatâ planè regiminis forma regantur, nec belli cauſa easdem contingat. Exempla ejusmodi neutralitatum quotidiana ſunt, & in nupero bello Galli-

Digitized by Google

Gallico eandem in Belgio obſervatam fuiſſe conſtat.

§. 12.

Qui frumenta & annonam emendi facultatem, tranſitum, delectumque inſtituendum, ſimiliave belligerantium uni concedit, alteri verò negat, is partium ſtudium prodit, & in effectu uni adversùs alterum auxilia præſtat: pro neutro ergò reputari ampliùs nequit. Hâc proin ratione populum ex neutro fœderatum, ſociumque belli (Cap. præced. §. 1.), conſequenter hoſtem alterius fieri, atque à neutralitate diſcedere apparet.

COROLLARIUM. A potiori neutralitas exſpirâſſe dicenda eſt, ex quo quis fœdere cum alterutro belligerantium icto ejusdem ſeſe ſocium declaravit.

SCHOLION I. Neutralitatem igitur intemeratè cuſtodituri populi, non magis uni, quàm alteri externè ſaltem faveant; quæ uni concedunt, eadem alteri quoque indulgeant; aut ſiquid plus, ex pacto fortean antecedaneo commerciorum, amicitiæve & confœderationis ſpecialis nexu præſtare uni præ altero teneantur, ut ſine neutralitatis præjudicio idem fiat, pacto, viisque amicis ab alterâ parte obtineant.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION II. Hæc de ſtatu neutralitatis neutrorumque juribus dicta ſufficiant; reliqua ex juribus pacis, conventionibusque ſpecialibus decidenda veniunt.

# CAPUT X.

## DE JURE VICTORIÆ, & OCCUPATIONIBUS BELLICIS.

§. 1.

Populus bello *victor* dicitur, qui debellatis hoſtium viribus ſuperior exiſtit: qui ex adverſo viribus fractus inferior diſcedit, *victus*; ipſa autem per actus bellicos obtenta virium ſuperioritas *victoria*, quemadmodùm ex parte victi conſiſtens inferioritas *ſtragis*, item *cladis* nomine venit.

SCHOLION. *Vincere* itaque eas populorum belligerantium actiones denotat, queis, ut fractis hoſtium viribus ſuperiores evadant, efficiunt.

§. 2.

Victoria eſt vel *univerſalis completa, & totalis*; vel *particularis, incompleta, & partialis*;

Digitized by Google

*tialis*; *illa* dicitur, quando vires hoſtium eousque debilitatæ ſunt, ut reſiſtere, finemque bello intentum impedire ampliùs nequeant: *particularis*, ſive *incompleta* audit, quando in actibus, rebusque ſolùm ſingularibus, neutiquam verò ex toto, hoſtium robur, belloque nocendi vis confracta exiſtit: u. c. quando hoſtiles copiæ velitationibus, aut levioris momenti præliis fuſæ, ac proſtratæ fuêre: quando obſidione cinctæ urbes, fortalitia & Caſtra occupantur; Quando Duces, primoresque belli captivi abducuntur, ſimiliaque occupantur, quæ potentiam hoſtis minuunt quidem, aſt penitùs haud enervant.

COROLLARIUM. Victorias incompletas viam ſternere ad victoriam totalem & completam, multasque victorias particulares coacervatas quandoque in universalem abire, imo unicum ſœpè prælium totam belli aleam decidere, indeque *deciſivum* dici, ex dictis nullo negotio conficimus.

SCHOLION. Latiùs, quàm vulgò fieri ſuevit, victoriæ nomen accipimus; quum communiter hac voce ſuperioritatem tantùm virium, quam belligerantes in prælio conſecuti fuêre, indigitare ſoleant.



Digitized by Google

§. 3.

Belligerantes ſive ſe ſuaque ab intentatis læſionibus defendunt (C. V. §. 2. Coroll.); aut, quod eisdem debetur, armorum vi juſtâ perſequuntur (Cap. VI. §. 1.); ſeu denique ſecuritatem ab impendentibus læſionibus mediante bello punitivo, & aſſecuratorio (Cap. VII. §. 1.) conſequi intendunt. Neutrum horum, niſi fractis hoſtium vi armatâ reſiſtentium viribus, obtinere datur, uti per ſe patet; unde belligerantium, hoſtes vincendi, atque ad victoriam, eamque totalem & completam (§. 2.), adſpirandi, connitendique jura in aprico conſiſtunt.

COROLLARIUM. Quoniam itaque obtentâ demum victoriâ ad τὸ ſuum conſequendum, ſtabiliendamque ſecuritatem via plana eſt; victoriam, interim bello finem aſſequendi, medium, ejusdemque adeò jus, finemque à jure & fine belli diverſum eſſe pateſcit.

SCHOLION. In bello nihilominùs defenſivo, nec non punitivo intentus bello finis cum fine victoriæ haud rarò coincidit; quando nimirum victoria ita comparata eſt, ut & ſecuritatem abundè ſtabiliat, nec non pœnæ & medii aſſecuratorii ſufficientis vicem ſubeat.

§. 4.

Digitized by Google

§ 4.

Deditio eſt actus, quo populus armis ab alio impetitus, victoris ſe, aut viribus ſaltem ſuperioris Imperio, poteſtatique ultrò ſubmittit. Fit autem vel purè & abſolutè, ad diſcretionem victoris: vel ſtipulatis, pactisque certis conditionibus; unde deditio alia *abſoluta* & *pura*, alia *conditionata*: populi autem ipſi *dedititii* audiunt.

COROLLARIUM. Qui ſe dedunt populi, vim armatam ei, cui ſe dedunt, ampliùs haud opponunt; dediditii igitur eatenus pro victis, plenèque debellatis rectè reputantur; nec minùs, deditionem ſpeciem eſſe victoriæ, ejusque completæ (§ 2.), liquet.

SCHOLION. Deditionis cauſæ non rarò in victoriis particularibus, u. c. expugnatione urbis, ſubtractione aut interceptione annonæ, vel infelici prælii exitu quærendæ, earundemque adeo effectus ſunt.

§. 5.

Quoniam factâ deditione abſolutâ populus victor plenâ victoriâ gaudet (§. 4. Coroll.), conſequenter intentum bello finem, citra ulteriorem armorum vim, vigore de-



Digitized by Google

lati ſibi Imperii conſequi valet, in eos, qui ſe hoſti dedidêre, poſt factam deditionem armis abſtinendum, imperioque magis utendum eſſe liquet.

COROLLARIUM. Ex eo tamen quod belli aſſecuratorii, atque punitivi ratio jus etiam, in victos pœnis animadvertendi tribuat (Cap. VII. §. 13.): patet, quòd, ſi bello punitivo, atque aſſecuratorio impetitus fuerit populus, deditio oblata aut reſpui planè, in eundemque jure belli pro condigno animadverti valeat (d. Cap. §. cit.), aut deditione purè, auf Gnad, und Ungnad, factâ, partim vigore indepti ex deditione Imperii, partim etiam ex jure armorum ea omnia in dedititios ſtatuere integrum ſit, quæ aliàs in bello juſto punitivo in victos licere ſupra demonſtravimus.

SCHOLION. Ex quo facilè colligimus, non ſemper in Juris Gentium regulas, juſtosque bella gerendi modos impingere, qui dedentes ſeſe auf Gnad und Ungnad, atque adeò victoris ſe arbitrio committentes, è medio tollunt, occupatisque bonis aut prorſus extirpant, aut in ſervitutem detrudunt; de quo in caſibus, & ſub circumſtantiis peculiaribus citra difficultatem ſanum ferri judicium poterit.

## §. 6.

Deditiones conditionatæ pactis fiunt: quum itaque fides pactorum etiam hoſtibus

bus ſanctè & illibatè cuſtodienda ſit;nec ejuſdem neglectus inter licita iisdem nocendi media computandus veniat (Cap.IV. §.15.), conditiones pacto dedititio appoſitas intemeratè ſervandas eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. In deditionibus urbium pacta illa conventa *Capitulationum* nomine veniunt; de quibus proin idem quoque juris eſſe patet; ut plura addere neceſſum haud ſit.

§. 7.

Belligerantibus jus ad victoriam, eamque totalem competit (§. 3.), quæ cum nonniſi per actus bellicos, & exercitas in hoſtem hoſtilitates obtineatur (§. 1.), obtinendæ victoriæ causâ hoſtem armis laceſſere, actibusque bellicis ejusdem atterere vires integrum eſſe, manifeſtum eſt.

SCHOLION. Quænam circa hoſtilitates, armorumque rectum uſum obſervanda ſint, ſupra (Cap. IV.) dicere occupavimus; quæ proin huc quoque trahenda eſſe liquet.

§. 8.

Citra attritas hoſtium vires victoria haud intelligitur (§. 1.), ad victoriam itaque adſpi-



Digitized by Google

ſpiranti populo omni ſolertiâ curâque in id circumſpiciendum eſt, ut vires hoſtis frangat, eundemque ad nocendum, reſiſtendumque porrò ineptum efficiat; Unde non præliis ſolùm, velitationibusque fundendas hoſtiles copias, ſed res quoque alias quascunque, quæ hoſtibus uſui eſſe, & ſive directè ſive indirectè in nocendi inſtrumenta converti queunt, occupandas, ſurripiendasque venire, pronè conſequitur.

SCHOLION. Idem ſcilicet hic victoriæ obtinendæ causâ, quod ipſius finis bello primariò intenti gratiâ licitum eſt; quum absque victoriâ finem belli conſequi vix ac ne vix integrum ſit.

§. 9.

Ex Jure itaque victoriæ atque belli concipimus *jus occupandi res hoſtium*, ſive facultatem belligerantibus competentem, res hoſtium animo eas, ſuas faciendi, apprehendendi, atque ita dominio ſuo ac proprietati adjiciendi.

COROLLARIUM. Quoniam bella nonniſi publico civitatis ſeu reipublicæ nomine geruntur (Cap. III. §. 8. ſeq.), jus occupandi bellicum publicum, non privatum eſſe conſtat.

COROL-

Digitized by Google

SCHOLION. Licet itaque declarato utrinque, aut cœpto bello, ſubditis etiam & privatis arma, merces, resque alias hoſtiles occupandi jus competat: hoc ipſum tamen publicâ, non privatâ ab iisdem authoritate exerceri liquet.

§. 10.

Quum adeò Jus occupandi bellicum publicâ tantummodò reipublicæ authoritate exerceatur, res bello occupatas regulariter populi ſeu ſummi ejusdem Magiſtratûs fieri, facilè intelligimus. Enimverò ex uſu ferè Gentium communi, ſuis rationibus haud deſtituto, jus illud reipublicæ ad res immobiles, & mobiles quasdam extantiores, veluti naves, archivia publica, armamentaria, peccunias & ſcrinia belli, Kriegs-Caſſen, und Kriegs-Cantzleyen, ſimilesque fortè res alias reſtrictum videris; prædâ rerum mobilium reliquarum aut Ducibus belli, aut ipſis occupantibus privatis in præmium rerum benè geſtarum, nec non incitamentum, ſtimulumque valoris relictâ.

COROLLARIUM. Spolia itaque occiſorum in præliis, atque velitationibus facta, arma, utenſilia, vaſa mercesque in hoſtili ſolo, aut urbe vi conſcenſâ,

direptio-

direptionique militum juſtis ex cauſis relictâ, occupata occupantium propria fieri expeditum eſt.

SCHOLION. Æqua prædæ à pluribus ſimul factæ diſtributio ad officia Belli Ducum, nec non præfectos legionum, ductoresque cohortium pertinet. Cæterùm, qui ſerpere hìc, tolerarique exceſſus ſolent, uti jus Gentium univerſale exſculpere exinde haud licet, ita eosdem probamus minimè: utpote rectæ bella gerendi rationi è diametro adverſos (Cap. IV. §. 2. ſeq.).

§. 11.

Res occupatæ tum demum occupantis propriæ eſſe intelliguntur, quando animo domini apprehenſas, id eſt in poteſtatem redactas eſſe conſtat (Lib. III. C. II. §. 4. Coroll.); Quapropter res quoque hoſtibus ſurreptæ occupatæque tum demum ad occupantes pleno jure pertinere dicendæ erunt, quando in poteſtatem eorundem redactas eas eſſe liquet.

SCHOLION I. Aſt, quandonam in poteſtate eſſe res hoſtium dicemus? Romani intra præſidia easdem perlatas eſſe voluêre (a); Nos ex natura occupationis qualemcunque redactionem in poteſtatem, etiam extra præſidia & caſtra ſufficere exiſtimamus. Sanè

(a) *L. 5. π. de Capt. & poſtlim.*

Sanè, quum hoſtis, cui res ſurripiuntur, occupantem pro injuſto invaſore atque uſurpatore habeat (Cap. III. §. 22.), intuitu & reſpectu ad hoſtem habito, transportatio intra præſidia occupanti nil opitulabitur; reſpectu verò ad ſuæ reipublicæ concives aut exteros habito, juſto eas titulo acquiſiviſſe reputabitur, ut primùm eas apprehendendo poteſtati ſuæ, liberoque de iis diſponendi arbitrio in loco quocunque ſubjecerit.

SCHOLION II. Licet autem occupationes bellicas ad modos acquirendi derivativos ſupra retulerimus (Lib. III. Cap. III. §. 22.); id tamen haud obſtat, quominus pari cum occupatione originariâ jure æſtimetur; quum enim adversùs invitos, hoſtes nimirum, exerceantur, conſenſu translatitio ſpontaneo opus haud eſſe; aut propter facta læſoria eundem rectè præſumi, facilè intelligitur.

§. 12.

Belligerantes rerum bello occupatarum plenos fieri dominos ex demonſtratis (§. præced.) liquet; quoniam itaque dominis plena de rebus ſuis diſponendi facultas competit (Lib. III. Cap. I. §. 2. ſeq.); idem quoque intuitu rerum bello occupatarum occupantibus jus adſcribendum venire pateſcit.

COROLLARIUM. Quum adeo domini res ſuas jure conſumant, vendant, locent, diverſiſque modis aliis de iisdem diſponant: qui res hoſtiles occu-

 pando

pando ſuas faciunt, easdem rectè vendunt, locant, & qualicunque ratione aliâ in uſus ſuos convertunt.

§. 13.

Et ſiquidem bello neutri regulariter utrumque belligerantium juſtam fovere cauſam rectè credunt (Cap. IV. §. 5. Schol.); conſequenter ex una parte acquiſitionem pro jure factam reputent, ex parte autem altera dominium, occupatione non obſtante, in ſalvo permanſiſſe, conſequenter jus, rem ab hoſte occupatam à quocunque revindicandi, integrum illibatumque adhuc eſſe, ex eadem ratione tenere debeant; Populos neutros res bello occupatas jure quidem acquirere, aſt hoſtes tamen, ablata revindicantes, repellendi facultate haud gaudere pateſcit.

SCHOLION. Omnium igitur optimè ſibi conſulunt populi bello medii, ſi ab emendis ejusmodi rebus durante bello prorsùs abſtineant. Hoſtes certè, dum mutuò ſeſe ceu injuſtos invaſores intertuentur (d. Cap. V. §. 5. Schol.), conſequenter rerum ablatarum dominia ſalva ſibi nihiloſeciùs manere in hac ſuâ opinione optimo jure exiſtimant, factâ rerum illarum alienatione in

tertium

Digitized by Google

tertium, præjudicium ſibi juribusque ſuis generari haud potuiſſe, non minùs ex æquo perſuaſi erunt.

## §. 14.

Porro, quoniam res immobiles bello occupatæ indiſtinctè reipublicæ fiunt (§. 10.), huic quoque de iisdem diſponendi, terras occupatas in provincias convertendi, territorio principali incorporandi, ſub nexu feudali & clientelari in alios transferendi, inter milites partiendi, dividendique, nec non elocandi, & in emphyteuſin tradendi jus eſſe, nemo inficias iturus eſt, ſicubi aliter ſatisfieri victori, ſecurusque is præſtari nequeat.

COROLLARIUM. Licet proin Jure victoris in neutros quoque populos transferri easdem haud implicet; quum tamen hi citra partialitatis ſtudium manifeſtum, hoſtem ſui jure dominii excidiſſe, atque revindicandi jure præcluſum eſſe, credere haud queant, niſi vindicationem Juris Gentium (Cap. II. §. 14. Schol.), aut bellum planè, experiri à parte alterâ cogitent; ab acquiſitionibus ejusmodi abſtinendum ſibi eſſe, facilè ſecum ipſi reputabunt.



Digitized by Google

§. 15.

In res alienas, u. c populorum neutrorum, apud hoſtem conſtitutas nullum, ut ſupponimus, hoſti jus competit; quoniam itaque nonniſi perſonis, rebusque hoſtium nocere, easdemque occupare licet (§. 9.), à rebus, mercibusque populorum neutrorum, in hoſtico licet deprehenſis abſtinendum, occupatasque fortè, proprietariis reſtituendas eſſe liquet.

COROLLARIUM. Aſt, quum difficilè ſit res alienas à rebus hoſtium diſcernere, fraudesque facilè irrepere queant; auctor ego fuerim proprietariis, ut literis commeatûs liberi, atque diplomatibus *Salvæ Guardiæ* ſibi proſpiciant.

SCHOLION. Sed & hæc de mercibus rebusque innoxiis intellecta velim (Cap. IX. §. 9. Coroll.); aliàs namque ejusmodi res, utut alienæ, ubicunque deprehenſæ hoſtium occupantium proprietati cedunt; veluti namque populi neutri amicitiam parti belligeranti utrique parem debent, ita fatâ modò immunitate, ſecuritateque in rebus tantummodò commercii innoxii frui eosdem, planum eſt.

§. 16.

Populus independens liber in vaſallum reipublicæ alterius, belli jure gaudentem, arma

arma juſta movens, terras ejusdem, oppida & urbes occupandi, dominioque ſuo adſcribendi facultate quidem pollet (§.9.); at enimverò, quum plus occupare nequeat, quàm vaſallus habuit: hic vero dominio directo deſtitutus, dominio tantùm utili gaviſus fuerit; neque præter hoc aliud quidpiam populus cum vaſallo alterius reipublicæ bella gerens rectâ cum ratione, plenoque juris effectu adſerere ſibi potis erit.

COROLLARIUM. Populum proin, terras, urbesque & caſtra feudalia à vaſallo occupantem, Domini directi, & reipublicæ ſuperioris vaſallum, vel invitum etiam fieri: atque, ſi hunc nexum agnoſcere reſpuat, juſtam in ſe terrarum feudalium vindicationem, armaque concitare, plenâ veritatis luce radiat.

SCHOLION. Concluſiones inde pronè formandas ſtudio prætereo; Sanè plura inde Imperii Jura in occupatas à populis exteris ab Imperii Vaſallis terras, vaſallitico, imo ſubjectitio nexu Imperio illigatas, ex limpido velut alveo derivantur; Si e.g. Duces olim Mediolanenſes bella cum exteris, & vicinis ſuis geſſerint, atque hi victores urbes terrasque illorum territorio ſuo adjecerint, quis Imperii propterea jura periiſſe dixerit; quis tot Venetorum urbes, provinciasque in *terrâ firmâ*, ut ajunt, à vaſallitico, ſubjectitioque erga Imperium vinculo ſolutas pronuntiaturus eſt?



Digitized by Google

§. 17.

Ex eodem, quod ſupra (§. 3.) demonſtravimus, vincendi jure, jus quoque, hoſtes tam actu arma gerentes, quàm in officiis aliis conſtitutos, conſiliisque inimicis adſiſtentes in captivitatem abducendi, arctâque cuſtodiâ concludendi, intelligimus.

SCHOLION. Quando hoſtes bello captos arctè cuſtodiendos eſſe dicimus, honeſtum detentionis locum pro qualitate ac dignitate perſonarum neutiquam excludimus; quin, cum hoſtes amandi ſint (Cap. IV. §. 11.), officia quoque humanitatis captivis exhibenda, nec quod honeſtatis legibus refragatur, quidpiam in eos ſtatuendum eſſe, per ſe patet. Quare, qui abſque ſpecialibus neceſſitatis, juſtæque punitionis rationibus captos bello juſtò duriùs habent, à barbariei crudelitatisque vitio vix immunes enuntiari poterunt.

§. 18.

Belligerantibus porro, hoſtes ſuos vincendi debellandique, quum jus indubium competat (d.§.3.); eousque vires eorundem atterendas, victoriasque particulares proſequendas eſſe patet, donec finem belli, recuperationemque τȣ noſtri ulteriùs impediendi

diendi potentiâ, viribusque deſtituantur; In genere adeò, quousque juſta vincendi media ſeſe protendant, quæque in hunc cenſum referenda, determinatum haud eſt: ſed in caſibus individuis ex ſufficientia mediorum ad finem determinandum venit (Cap.II. §.12.); perinde igitur, ſicuti jus belli (Cap.IV. §. 6.), ita jus quoque victoriæ à Jure belli inſeparabile (§.3. Coroll.& Schol.) infinitum eſſe apparet.

SCHOLION. Pro reſiſtentiâ nimirum hoſtium, eosque ſuperandi difficultate, durioribus, lenioribusve mediis ad victoriam contendendum; in quorum tamen electione rectæ rationis bellicæ (Cap.IV. §. 2.), juſtitiæ, æquitatisque regulas enixiſſimè, ab iis præſertim, queis res bellicæ domi foriſque curæ ſunt, obſervatas velim; Unde, quæ (Cap.IV.) ſat fusè deduximus, hîc quoque recolligenda eſſe apparet.

§. 19.

Victoria eſt medium ad intentum bello finem aſſequendum (§. 3. Coroll.); parta itaque ubi fuerit, ea omnia, quæ bello juſto intenderat, populus victor rectè ad effectum deducit; quumque obtento fine ceſſet jus ad media,

Digitized by Google

media, neque his aliter, quàm ad finem deſtinatum uti liceat, victoriâ quoque haud aliter, quàm ad fines bello intentos effectui dandos, uti integrum eſſe, expeditum eſt.

COROLLARIUM. Quodſi itaque populus victor bello defenſivo implicitus fuerit, à victo plenam ſecuritatem, pacto, obſidibus, relictisque uno alterove fortalitio, provinciis, terrisque præſtandam, jure poſtulat; hâcque ſecuritate obtentâ, quæ ex jure victoriæ præterea tenet, dimittere, atque victo reſtituere obſtrictus eſt.

§. 20.

Idem ex identitate rationis in bello quoque offenſivo rerum ac jurium recuperatorio obtinere, perſpicuum eſt.

SCHOLION. In bello offenſivo rerum ac jurium perſecutorio, aut recuperatorio, aliud non intendunt populi, quàm ut ſuum recipiant; abutuntur itaque victoriâ victosque lædunt, qui manus ultra protendunt, atque uberiorem, in ſubjugatorum bonis graſſandi, licentiam ſibi datam exiſtimant.

§. 21.

Verùm enimverò, cum ſumptus quoque, damnaque durante bello data in computum

tum veniant, in rerum detentarum, negatarumve recuperatione, atque læſionum intentatarum propulſatione arma victricia raro ſubſiſtere ſolent; quin potiùs victores conquiſitas bello provincias aut ſub titulo penſationis, aut ſub ſecuritatis nomine regnis & territoriis adjiciunt: victosve nonniſi ſtipulatis fœderis inæqualis, vaſallagii, aut tributi annuatim præſtandi nexibus, atque mutilatæ ita libertati (Cap. VIII. §. 6. Schol.), imperioque reſtituunt; quæ, ut & plura alia, pro re natâ ad jura victorum ex merito referri, ex demonſtratis hactenus abundè eluceſcit.

SCHOLION I. Nimirum, ſi veræ, non fictitiæ, victoriam eousque proſequendi, cauſæ ſubſint. Victoria namque in ſe ſpectata aliud jus non tribuit, quàm ut eâdem adminiculante belligerantes, quos fortuna armis ſuperiores eſſe voluit, ad intentum bello finem perveniant; ut proin nullis prorſus limitibus circumſcripta, nullisque legibus adſtricta victorum jura in Jure Gentium veri nominis locum haud inveniant: utpote effrænem adeò atque exlegem nocendi licentiam reſpuente.

SCHOLION II. Sub his proin reſtrictionibus, atque limitationibus (§. 19. Coroll. §. 20. ſeq.) jus occupandi bellicum, quod hucusque (§. 9.) expoſuimus,

ſuimus, intelligendum eſſe apparet. Res ſcilicet ex jure victoriæ bellique (§. cit.) occupatæ occupantium propriæ fiunt: & mobiles quidem, quæ ut plurimùm uſu abſumuntur abalienanturque (§. 10.), in regula irrevocabiliter, & abſolutè; immobiles verò (§. 14.) ſub conditione: niſi partâ plenâ victoriâ aut in tractatibus pacis ex rationibus §§. 19. & 20. prolatis, aut aliis etiam fortè ex cauſis reſtituendæ veniant; quæ ad pleniorem dictorum intellectum probè tenenda ſunt.

§. 22.

Quodſi populus victor bellum punitivum atque aſſecuratorium, ſive purum, ſive cum defenſivo, aut offenſivo mixtum (Cap. VII. §. 13. Coroll. & Schol.) geſſerit, diſpiciendum: utrùm, quæ victoriæ obtinendæ causâ Genti devictæ inflicta fuêre mala, pœnæ atque coercitionis ſufficientis rationem contineant; an verò ulteriùs adhuc caſtiganda, penitusque ſubigenda, aut extirpanda eadem veniat: In priori caſu in ipſa victoria acquieſcendum eſſe, conſequenter hoc caſu finem belli cum fine victoriæ coïncidere nemo non pervidet (§. 3. Schol.); quibus autem in caſu poſteriori ultra pœnis afficiendus, atque in ordinem redigendus ſit hoſtis, ex ſtabilitis ſupra (Cap. VII. §. 17. ſeq.) regulis decidendum erit.

COROL-

COROLLARIUM. Hoc ſcilicet caſu poſt partam victoriam terræ hoſtiles non tantùm jure optimo in provincias rediguntur, victique imperio victoris ad nutum & arbitrium ſubjiciuntur (§. 14. ſeq.): ſed & occupatis bonis, patriis planè laribus ex merito pelluntur, aut ultore etiam gladio in fractæ fidei, nullisque aliis mediis coercendæ malitiæ pœnam, neci traduntur.

§. 23.

*In ſervitutem redigi victos* tum dicimus, quando in talem rediguntur ſtatum, quo pro victorum, aut privatorum, quibus divenduntur, dominorum arbitrio determinanda ſervitia operasque præſtare neceſſum habent; qualis conditio, utut dura, morti tamen præferenda eſt. Quapropter, ſi populos devictos extirpare ſecuritatis, & pœnæ infligendæ rationes exigant: uterque autem finis, populis victis in ſervitutem detruſis, obtineri valeat; ſubactos bello hoſtes in ſervitutem potiùs redigere, quàm neci tradere, regulæ de exceptionibus in caſu colliſionis rectè inſtituendis (Cap. IV. §. 3.) clarè perhibent; quin & humanitatis, amorisque officia etiam hoſtibus præſtanda, efflagitant (d. Cap. IV. §. 11. ſeq.).



Digitized by Google

COROLLARIUM. Unde quando in locum internecionis ſervitus ſubſtituitur, aut aliunde ſecuritatis ratio hoſtes in hanc conditionem deturbare ſuadet, ſervitutem in Jure Gentium fundamentum ſuum agnoſcere, nec regulis æqui & juſti diſſonam eſſe apparet.

SCHOLION. Aſt falluntur, qui in omni bello victorem has conditiones victis imponere poſſe autumant; aut qui ſub aliis, quàm, quas modò demonſtravimus, circumſtantiis eam ipſi facultatem largiuntur. Hodie ſanè inter populos Europæos moratiores, duras ejusmodi coercitiones haud promerentes, victoriæ effectus eousque protendere, iniquum foret. Quis porro ſervitutis victis impoſitæ modus eſſe debeat, à victorum arbitrio dependet: ad poſteros eandem propagare, item bona proprietatis jure poſſidendi incapaces eos declarare, ſecuritatis rationibus apprimè congruere videtur; Verùm, ab aliis pro dignitate excuſſum argumentum pluribus elucidare prætereo.

§. 24.

*Tranſplantantur ſubditi*, quando domicilia, ac fortunarum ſedes ab unâ provinciâ in aliam transferre obligantur; Quum itaque in bello punitivo aut aſſecuratorio de ſecuritatis circumſpiciendum mediis: transpoſitis autem in terras, ac provincias exteras devictis populis ſat firmo eandem talo ſtabiliri

liri compareat; victos jure transplantari, neque victori hoc caſu ad duriora excidii, ſervitutisque imponendæ media confugere integrum eſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Victos transplantandi, atque in provincias fidei obſequio reipublicæ præ aliis devinctas transponendi medio, ceu arcano dominandi principio, cum inſigni fructu uſi olim fuêre victores Romani; non transplantatis ſolùm magnâ ex parte indigenis, ſed conſtitutis quoque & erectis in devictorum terris coloniis, quas cives atque municipes Romani matrici reipublicæ fidem integram & illibatam cuſtodituri inhabitarent.

§. 25.

Quoniam verò æquilibrii quoque inter Gentes ineunda ratio (Cap. VII. §. 8. ſeq.): haud obſcurè colligimus, ad officia quandoque Gentium reliquarum, bello haud implicitarum, pertinere, ut victoriæ progreſſus conjunctis viribus impediant, victique, aut viribus ſaltem inferioris terras & ditiones à ſubjectionis vinculo immunes ſervent.

SCHOLION. Exempla, queis dicta illuſtrentur in promptu ſunt; ſed ſœpe etiam hiſce motivis, ceu cauſis juſtificis utuntur populi, cauſis ſuaſoriis planè aliis ad arripienda arma, declarandumque bellum permoventibus.



Digitized by Google

# CAPUT XI.

## DE POSTLIMINIO IN BELLO.

§. 1.

*Poſtliminium in bello* eſt reverſio perſonarum ac rerum, ab hoſtibus captarum aut occupatarum, ad limites, intraque fines territorii populi belligerantis, unde abductæ, atque abreptæ fuêre; jura, quæ perſonæ ab hoſte redeuntes per hanc reverſionem recuperant, in res verò revindicatas earundem proprietariis reſtituuntur, *Jura poſtliminii* ſalutamus.

COROLLARIUM. Ex qua definitione patet, jura *poſtliminii* alia eſſe *rerum recuperatarum*, alia *perſonarum* ab hoſte revertentium.

SCHOLION. Poſtliminium unde dictum fuerit; an à limite (a), an à limine (b): in Jure Gentium, ubi de peculiari juris Romani Poſtliminio ſoliciti haud ſumus, parùm refert. Cœterùm de *poſtliminio in bello*, non verò de eo, quod *in pace* obti-

(a) Menag. *Amœnit.* J.C. Cap. 39. p. 327.

(b) Heinecc. *Antiq. Rom.* Lib. I. Tit. 16. §. 4. Conf. quoque Grot. de J. B. & P. Lib. III. Cap. IX. §. 1.

Digitized by Google

obtinet, ſermonem nobis eſſe liquet: de poſteriori vid. Lib. V. Cap. III.

§. 2.

Belligerantes mutuò ſeſe tanquam injuſtos invaſores, citra fas & æquum arma moventes intertuentur (Cap. III. §. 22.): uti vel ex eo planum eſt, quòd uterque juſtam, conſequenter adverſarium injuſtam fovere belli cauſam credat (§. cit.); nec proin captivitatem, multòque minùs ſervitutem, captis victisque impoſitam, nec acquiſitiones rerum ab uno occupatarum, belligerantium pars altera pro legitimis, jureque factis ex vera animi ſententia reputare poteſt.

COROLLARIUM. Quin multò magis, captos ab hoſte iniquè detineri, in ſervitutem detruſos non ſervos, ſed liberos eſſe, proprietates rerumque ablatarum dominia priſtinis dominis ſalva perſiſtere, bellantium utrumque, ſecundùm ea, quæ ſibi formant, dictamina, judicare debere, nemo non perſpicit.

SCHOLION I. Ita ſanè eſt: neque enim bellum, niſi ex juſta cauſa jure geritur (Cap. III. §. 20.); utut igitur formalem, ut ajunt juſtitiam, talem ſcilicet, quæ in inculpabili perſuaſione fundatur, utrinque ſubeſſe haud implicet; id tamen ad exonerationem conſcientiæ potiùs, & populos neutros, quàm

quam ad ipſas bello implicitas partes pertinet; quæ, niſi ſe ipſas injuſtitiæ accuſare velint, partis adverſæ cauſam æquam reputare nequeunt.

SCHOLION II. Sed aliter rationes ſubducebant Romani: utpote qui non tantùm quà neutri, belli que inter duos geſti ſpectatores, ſed ipſi etiam armis diſceptantes idem hoſti, quod ſibi, in bello juris tribuêre. Quapropter, cum tam ratione perſonarum, quàm rerum bello captarum atque occupatarum jura multa peculiaria obſervantiâ & legibus induxiſſent, eaque juxta ſata modò principia hoſtibus communia facere placuiſſet, mirum haud eſt, ſi ex ſingularibus hiſce Romanorum inſtitutis ſingularia quoque in Jus Gentium placita irrepſerint, ad Jura Gentium poſitiva & conſuetudinaria magis, quàm naturalia, referenda: quæque, ſi ad rectæ rationis trutinam ponderentur, æqui juris lapidem lydium non ſemper ferre deprehenduntur. Atque in hunc cenſum quoque Jus poſtliminii ſpectat, quod civilia legum Romanarum placita mirum quantum intricârunt: ſimplex admodùm & naturale, ſi, quæ ſanctiones poſitivæ addidêre, quæque maximam partem in ſervitutis bello captis impoſitæ jure fundantur, demas; At verò, cum ſervitutem victis captiſque imponere, non niſi in bello punitivo & aſſecuratorio (Cap. VII. §. 13. & Cap. X. §. 23.), idque tum demum, quando alia eosdem coercendi media haud proſtant, licitum ſit, Juris poſtliminii Romani ratio uno velut ictu concidit, aut differre ſaltem ab eo, quod Jus Gentium naturale (Lib. I. Cap. II. §. 2.) docet, liquidò apparet.

§. 3.

Digitized by Google

§. 3.

Quandoquidem igitur captos bello belligerantium alter jure captos, juſtamque ſervire ſervitutem, reputare nequit (§. 2.): capti bello non tantùm vi armorum adhibitâ in libertatem ſtatumque priſtinum rectè revindicantur; ſed & ipſi quoque facto proprio, ruptis vinculis, effractis carceribus, occiſisque cuſtodibus à ſervitutis jugo atque captivitate jure ſeſe eliberant.

COROLLARIUM. Captis proin ab hoſtibus poſtliminium (§. 1.) negari nequit.

SCHOLION. Aliud dicendum de iis, qui juſtis ex cauſis in exilium acti, quique deſertores bello, aut culpâ ſuâ victi hanc conditionem ſubire coacti legibus civitatis à reditu in patriam, bonaque excluſi fuêre; de quibus jura populorum peculiaria, legesque militares conſulendæ.

§. 4.

Quumque, quod hoſtis non habet, id quoque in alium transferre haud valeat; captos bello in ſervitutem actos, populisque neutris divenditos jure nihilominus poſtliminii, (§. 1.) ſeque in libertatem adſerendi facultate gaudere, expeditum eſt (§. 3.).

SCHOLION. Quæ ad elucidationem hujus §vi pertinent: Cap. præced. §. 13. ſequ. prælibavimus: Neutri nimirum, cum uni non magis, quàm alteri ſævere externè debeant (Cap. IX. §. 1.), ſi æquam impoſitam captis ſervitutem reputant, captivorum quoque, ſeſe in libertatem reſtituendi, jura iniquitatis arguere haud poterunt.

§. 15.

Enimverò, ſiquidem fides hoſti data intemeratè cuſtodienda eſt (Cap. IV. §. 15.), neque obſidibus fidei pactitiæ roborandæ causâ datis, neque iis, qui factâ promiſſione de redeundo ſeque in locum captivitatis ſiſtendo ad tempus dimiſſi fuêre, poſtliminii jura cum pleno ſaltem ac perdurabili effectu competere liquet.

COROLLARIUM. Cumque, uti Capite ſeq. demonſtrabitur, pactis induciis omnia in eodem ſtatu manere debeant: nec durantibus induciis (plenis ſcilicet & univerſalibus) poſtliminio locum eſſe apparet.

SCHOLION. Sed quid? ſi capti bello ſtipulato lytro dimiſſi, reverſi autem in Patriam ſummam promiſſam invenire nequeant? an ad carceres? an in captivitatem redeundum? Non puto; niſi in pacto expreſsè id actum, condictumque fuerit; aliàs namque ſervatâ libertate pro debitoribus ſolummodò ſtipulati

ſtipulati lytri cenſendi erunt; mediis viisque legitimis, aut civili, aut gentium jure ad ſatisfaciendum obligationi pactitiæ compellendi.

§. 6.

Quum itaque ex verioris Juris Gentium principiis capti ab hoſte nihil amittant (§. 2.), & ad limites patriamque revertendi jure gaudeant; reverſos eodem prorſus, quo ante captivitatem fuêre, loco cenſendos atque habendos eſſe, indubio veritatis robore conſiſtit.

COROLLARIUM. Proin poſtliminio reverſi in priſtina jura, in poteſtatem patriam, tutelas, ſtatum civitatis, in dominia, poſſeſſioneſque abſque ulla earundem diminutione redeunt.

SCHOLION. Nullâ hic fictione, nullâ lege Corneliâ, aut reſtitutione contra jus ſtrictum, opus eſt; ſimplex & plana Juris Gentium naturalis æquitas hæc talia civilis juris inventa ignorat.

§. 7.

Quoniam non magis res, ſive mobiles, ſive immobiles, ab hoſte jure occupatæ cenſentur (§. 2.), atque his conſequenter, dominorum, quibus eæ ablatæ fuêre, proprietatis jura omnino in ſalvo conſiſtere,

rectè creduntur; non ſolùm dominis, ſed & reipublicæ eas revindicandi & recuperandi jus competere: ſed & recuperatas, poteſtatique hoſtium ſubductas, prioribus dominis reſtituendas eſſe, indubio veritatis robore nititur.

SCHOLION. Nulla hic ex Jure Gentium diſtinctio inter res mobiles & immobiles, niſi quarum domini ignorantur, quæque ſervando ſervari nequeunt, quin nec præſcriptio, admittenda. Et fluctus in ſimpulo ciere mihi videntur, qui planas has æquitatis regulas ex principiis imaginariis ex jure peregrino accerſitis infringere conantur. Quodſi etiam quoad res mobiles inter populos quosdam aliud fortè obtineat, dominique earundem proprietatis jure excidiſſe credantur, id ad uſus, & conſuetudines peculiares: conſequenter ad Jus Gentium poſitivum (Lib. VI. Cap. III.), cum Jure Gentium naturali minimè confundendum, pertinet.

§. 8.

Atque inde, quod Cap. præced. jam demonſtravimus, de novo patet, à vindicandis rebus juribusque in populos neutros translatis, dominos ſeu proprietarios nequaquam excludi poſſe.

SCHO-

SCHOLION. Enimverò in rebus privatorum, mobilibus præſertim, id vel ideò non ita ſtrictè obſervatur, quod emptores in bona plerumque fide conſtituti ſine ſuâ culpâ damnum ſentirent; litigiisque infinitis ſic anſa daretur.

SCHOLION II. Sed & id æquum, ut rem ab hoſte recuperanti navatæ operæ præmium detur, & ſiquis fortè res, aliàs perituras, numeratâ peccuniâ ab hoſte redemit, ſolutum eidem pretium reſtituatur; integro interea redemptori retentionis jure.

# CAPUT XII.

## DE PACTIS QUIBUSDAM MEDIO BELLO INITIS.

### §. I.

BElligerantes non officia ſolùm humanitatis, quantùm ſtatus hoſtilis patitur, ſibi mutuò exhibere (Cap. IV. §. 11.), ſed & inter ipſa arma quæcunque pacis atque concordiæ reſtabiliendæ tentare, amplectique quàm promptiſſimè media obſtringuntur (ibid.); quum itaque neque unum, neque alterum abſque pactis effe-



Digitized by Google

ctui dari valeat (Lib. III. Cap. IV. §.3. ſeq.); pacta, flagrante etiam bello, cum hoſte iniire, neque Gentium neque belli juri refragari liquet.

COROLLARIUM. Quumque pactorum fides quibuscunque data ſanctè atque intemeratè cuſtodienda ſit, (Lib. III. Cap. V. §. 5. ſeq.), pacta cum hoſte durante bello inita, non minus illibatè ſervanda eſſe liquet.

SCHOLION. Pacta tamen, præſertim à privatis inita, ſalvâ Reipublicæ ſalute, ſalvoque armorum jure intellige; publicis ſiquidem juribus privatorum placita derogare nequeunt.

§. 2.

Objecta pactorum inter belligerantes initorum vel ipſum bellum, & ſtatum hoſtilem concernunt, vel de rebus & negotiis adiaphoris, pacis quoque tempore ſeſe exerentibus tractant; unde pacta inter Gentes armis diſceptantes inita, alia *bellica*, alia *adiaphora*, & *ad ſtatum magis pacificum pertinentia* eſſe liquet.

SCHOLION. Quæ nimirum ex officiis humanitatis mutuò præſtandis fluunt, pleraque ad claſſem poſteriorem, quæ verò ad armorum uſum, negotiumque

tiumque ſanciendæ pacis ſpectant, regulariter claſſi priori accenſenda veniunt.

§. 3.

Alia porro, ratione objecti, inter pacta medio bello inita ſeſe differentia exerit. Aut enim circa reipublicæ, atque ſummi Imperii jura verſantur; aut ad privatorum negotia pertinent; prioris generis *pacta publica*, poſterioris *privata* dicimus.

SCHOLION. Differentiæ ratio ex diverſitate negotiorum ac jurium ſatis perſpicua eſt; quæ verò præcisè pacta publicorum nomen mereantur, ex Jure Publico univerſali repetendum.

§. 4.

Publico civitatis nomine paciſci ad jura majeſtatis & ſummi Imperii pertinet, veluti ex ipſa negotiorum publicorum indole facilè colligitur, & in Jure Publico univerſali dilucidè demonſtratum ſiſtimus; Pacta igitur publica durante bello nonniſi à ſummo Magiſtratu, aut cui is hoc negotii mandato ſive expreſſo, ſive tacito concredidit, id eſt, à Belli ducibus ac Legatis; privata verò à ſubditis etiam & privatis rectè iniri conſtat.

CO-

COROLLARIUM. In rebus & negotiis publicis boni communis causâ expediendis, moram tamen haud ferentibus, Miniſtris atque officialibus eadem gerendi & ad effectum deducendi facultas data eſſe præſumitur; uti denuò ex fine civitatis communi quavis ratione promovendo eluceſcit (vid. cap. V. §. 5), necnon negotiorum ſub his anguſtiis natura innuit; Ducibus igitur, aliisque officialibus belli in caſu neceſſitatis, nec non, quando negotium moram haud patitur, publico ſummi Magiſtratûs nomine durante bello pacta concludendi facultatem competere, facilè intelligitur.

SCHOLION. Id quod potiſſimùm de iis intelligendum negotiis, queis ſine ſupremi belli duces, atque gubernatores provinciarum & urbium officiis ſuis pro condigno ſatisfacere nequeunt; quæque adeò citra ſpeciale mandatum optimo jure expediunt. Aſt quoniam tamen, utrùm, quod geſtum, negotium nullas tulerit moras; atque an caſus neceſſitatis ſubfuerit, quaſtiones fortè, & dubia moveri queunt: cautè faciunt, qui literis ſeu diplomatibus, queis in officiis conſtituuntur, cuncta inſeri, limitesque ſuæ poteſtatis curatè definiri, determinarique curant, quò nimirum caſibus evenientibus citra omne inculpationis periculum negotia publica tractent.

§. 5

Status belli non omnem commerciorum inter belligerantes uſum reſpuit; quin, ut commercia rerum quarundam continuentur, utriusque populi utilitatibus ſœpè congruit;

gruit; Si nimirum inhibita commerciorum florem aliò transportarent; ex quo fonte ſupra (Lib. II. Cap. IV. §. 16.) commercia durante etiam bello, ſi modò ratio mercium, & cauſa id belli ferat, continuanda eſſe demonſtravimus; ad pacta igitur, quæ durante bello circa negotia adiaphora, & pacifica ineuntur, conventiones haſce, atque tractatus populorum belligerantium circa commercia rectè referimus.

COROLLARIUM. Quænam declarato utrinque bello inter partes hoſtiles licita, & à ſubditis liberè exercenda aut intermittenda ſint, ſumma Reipublicæ poteſtas definit (Cap. IV. §. 10.); unde nec pacta ejusmodi circa commercia inter belligerantes exercenda absque ſummæ poteſtatis annutu erigi poterunt.

SCHOLION. At *literas* tamen *commeatûs* pro ſecuriore tranſitu, ex ratione (§. præcedenti. Coroll.) allegatâ, Belli duces, Præfectique provinciarum, & urbium indulgere haud prohibentur; utpote quæ moram haud patiuntur, & indultâ à ſummo Magiſtratu commerciorum libertate innoxiæ eſſe intelliguntur.

## §. 6.

Inter pacta, quæ circa belli negotia flagrantibus utrinque armis ineuntur, refero



Digitized by Google

*pacta neutralitatis*, queis belligerantes certas provincias ab hoſtilitatibus, & ſtatu hoſtili, conſenſu communi eximunt.

COROLLARIUM. Quoniam provinciam, terras, & urbes reipublicæ exarſo bello ab hoſtilitatibus immunes declarare, res ardua, & momentoſa eſt, ad jura ſummi Imperii eminentiora pertinens: talismodi neutralitates nonniſi ſummi Magiſtratûs authoritate rectè concludi, indubium eſt (§. 5.).

SCHOLION. Cauſas ſtipulatarum ejusmodi neutralitatum ſupra (Cap. IX. §. 11. Schol.) recenſuimus; ex quibus earundem & æquitas, & quandoque etiam neceſſitas ac utilitas eluceſcit.

§. 7.

Gentes moratiores captivorum, aut capiendorum bello ſalutem, atque redemptionem ex merito cordi habent (Cap. XI. §. 3.); unde Juri Gentium, atque humanitatis officiis inter populos etiam inimicos obſervandis apprimè conveniunt pacta, queis belligerantes de mutuò extradendis, redimendisque captivis inter ſe conveniunt; atque in inſtrumentis, *Chartels* vulgò nuncupatis, publicâque authoritate & reciproco conſenſu erectis,

erectis, conditiones, ſub quibus captivi extradendi ſint, definiunt; lytra pro conditione & ſtatu perſonarum determinant; nec non, quales perſonæ inter ſe ex æquo commutandæ, & quot inferioris conditionis capita ſuperiori cuidam atque in eminentiori dignitate conſtituto officiali æquivalere debeant, ſemotis omnibus ambiguitatibus clarè exprimunt.

SCHOLION. Unde de contentis hujus generis pactorum facilè judicare licet; ſubinde id quoque agitur, ut alimenta captivis conſueta, ſtatuique ipſorum congrua porrigantur, & ſalaria aliaque ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria iisdem ſubmittendi, facultas integra relinquatur.

§. 8.

Quumque populos moratos humanior quoque armorum in bello uſus deceat (Cap. IV. §. 11. Coroll.) barbara & immania nocendi inſtrumenta, nec non exlex in perſonas atque res hoſtium graſſandi licentia pactis quandoque inter hoſtes initis eliminantur; humanitatis legibus mutuâ conventione ita ſtabilitis, ne bella atque



Digitized by Google

hoſtilitates in crudelitatem, aut effrænem barbariem degenerent.

SCHOLION. Ejusmodi pacta ſunt: e. g. ne incendantur urbes, ſataque aut fruges depopulentur; ne in peregrinos in hoſtico conſtitutos exerceatur belli licentia; ne coloni, aliique officiales actu haud militantes captivi abducantur, & his ſimilia, quæ pro circumſtantiis juſtæ bella gerendi rationi conſentanea eſſe deprehenduntur.

§. 9.

Porro, quum antequam ad tractatus pacis ſolennes perveniatur, colloquiis inter ſupremos belli Duces inſtitutis præliminaria quædam concertari ſoleant, mutuaque conventione locus, tempusque inſtituendorum tractatuum definiatur; has quoque publico civitatis nomine erectas conventiones ad pacta medio bello inita (§. 1.) referimus.

COROLLARIUM. Colloquia ejusmodi de pace ſæpè moram haud ferunt, atque ut promptè inſtituantur, utilitas publica non rarò efflagitat; At verò talismodi negotia Belli duces quoque, atque Gubernatores provinciarum ac urbium jure ſuſcipiunt: quare pacta de inſtituendis Colloquiis pacis, atque deditionis faciendæ Belli duces jure quandoque inire, nemo dubitat.

SCHO-

SCHOLION. Niſi fortè inſtructionis literæ, mandataque Ducum expreſſa, aut circumſtantiæ aliud jubeant, (d. §. Schol.); In his nimirum, ſimilibusque negotiis in genere, & abſtrahendo à circumſtantiis, atque determinationibus individualibus certi nihil definire licet; quare, ut ſœpiùs monui, in rem præſentem veniendum, perpenſisque, tum Ducum poteſtate per legem publicam, univerſalem aut ſpecialem, definitâ, tum circumſtantiis loci, temporis, hoſtisque, pro caſu ſubſtrato ſanum judicium formandum erit.

§. 10.

Potiſſimùm vero huc pertinent *induciæ*, quæ, quatenus *pacta* innuunt, definiri poſſunt: quod ſint conventiones inter belligerantes initæ, vigore quarum actus hoſtiles manente apparatu actuali belli ad certum tempus ſuſpenduntur; quatenus verò *pro ſtatu* accipiuntur, ceſſationem hoſtilitatum inter belligerantes, quà tales ſunt, ad certum tempus reſtrictam ſignificant.

COROLLARIUM I. Quum igitur apparatus belli, belligerantesque, induciis non obſtantibus, hoſtes ut ante maneant, ſtatum induciarum ſtatum belli (Cap. III. §. 3.) haud immutare, conſequenter hunc nihilominus perdurare apparet.

COROLLARIUM II. Armiſtitium, uti Lib. ſequ. Cap. I. §. 1. oſtenſuri ſumus, apparatum belli tollit, eoque

que convento populi belligerantes in ſtatu hoſtili ampliùs haud manent; quare, cum in induciis hæc omnia ſecus ſe habeant, diverſitas induciarum ab armiſtitio obſcura eſſe nequit.

SCHOLION. Dilucidiora hæc evadent, ubi armiſtitii naturam Lib. ſequ. probè expenderimus; vulgò armiſtitia cum induciis eadem habent, atque ratione temporis ſolùm ea differre autumant; Enimverò realem inter pactum, conſequenter & ſtatum armiſtitii, atque induciarum ſubeſſe, ex collatâ utriusque definitione, indeque deductis conſectariis apparet.

§. II.

Convenit autem inter belligerantes vel, ut hoſtilitates in univerſo territorio hoſtili, terrâ, marique utrinque quieſcant: vel, ut in quâdam ſolùm ejusdem parte, u. c. in obſidione, aut in caſtris atque exercitibus juxta ſe conſtitutis ceſſent; priori caſu *inducias univerſales*: poſteriori *particulares* dicimus. Porro, aut inter partes compaciſcentes id agitur, ut omnes hoſtilitates, prælia, obſidiones, excurſiones pabulatoriæ, velitationes, extructiones fortalitiorum &c. conquieſcant interea; vel, ut quidam ſolùm actus hoſtiles, veluti exploſio tormentorum,

Digitized by Google

rum, velitationes, pugnæ aut ſimilia intermittantur; illo caſu *inducias illimitatas*, hoc vero *limitatas* dicere placet.

SCHOLION. Aliam addunt diviſionem à *temporis brevioris*, *longiorisque* determinatione deſumptam; quam tamen, utpote vagam nimis, modicique usûs, ſtudio prætermitimus.

§. 12.

Induciæ ſunt pacta, quæ jura belli, conſequenter majeſtatica concernunt, publica ergò eſſe negari nequit (§.3.); pacta publica non niſi ſummæ poteſtatis nomine atque authoritate ineuntur (§.4.); inducias igitur haud aliter, quàm ſummi Magiſtratûs authoritate, conventione definire, atque ſtatuminare integrum eſſe, facilè apparet.

COROLLARIUM. Induciæ univerſales plerumque moræ patientes ſunt, nec niſi ob cauſas graves, & ponderoſas inter partes belligerantes ineuntur; particulares verò ob cauſas plerumque ſubitò incidentes, nec moram ferentes u. c. occiſorum in prælio, obſidioneve ſepeliendorum, aut colloquii inſtituendi, capitulandive gratiâ pacto definiendæ veniunt; unde inducias univerſales reguláriter cum Principis ſummique Magiſtratûs præſcitu, accedenteque ejusdem conſenſu

ſenſu expreſſo; particulares verò ſolâ ſupremi belli Ducis, Gubernatoris, aut Præfecti urbi, vi officii ipſi competente, conceſsâque authoritate iniri conſtat.

SCHOLION. Regulariter hæc ita ſe habere, atque ex boni ſalutisque communis ratione ſic ſtatuenda eſſe, nemo abnuet; Aſt, quum à ſupremi Magiſtratûs arbitrio dependeat, qualem ſubordinatorum miniſtrorum atque officialium poteſtatem eſſe velit, mirum videri haud debet, ſi ad voluntatem Principis & Summi Imperantis, ceu cynoſuram tutiſſimam reſpiciendum eſſe inculcemus; reſtringitur quandoque usque adeò Ducum belli poteſtas, ut absque præſcitu ſuperioris nullas omnino inducias pangere iisdem liceat: ſed ampliari etiam eandem eousque videris, ut univerſales quoque, pacto cum hoſte inito, inducias ſtatuminandi plenâ facultate fruantur.

§. 13.

Induciæ ſunt pacta (§. 10.); enimverò pacta actu obligare incipiunt, ſeu, ut JCti Romani loquuntur, dies pactorum cedit, ex quo efficaciter eadem obligare volunt paciſcentes; obligationem itaque induciarum ab eo tempore initium ſumere apparet, ex quo ceſſare hoſtilitates paciſcentibus placuit.

COROLLARIUM I. Particulares proin inducias, ad certum locum reſtrictas (§. 11.), eoquod, quorum

rum intereſt, omnibus uno eodemque publicationis actu innoteſcere queant, à die, horâque, quâ publicatæ fuêre, effectum ſuum ſortiri, hoſtilitatesque ſiſtere, facilè apparet; niſi alium fortean terminum *à quo* in promulgationis actu placuiſſe appareat.

COROLLARIUM II. Idem ex paritate rationis de induciis univerſalibus dicendum: ſiquidem eodem publicationis inſtanti, aut intra præfixum terminum communem *à quo*, omnibus innoteſcere poſſint.

SCHOLION. Obligatio nimirum, ſicuti legum, ita & induciarum quoque, utpote quæ reſpectu ſubditorum, militumque veræ legis vicem obtinent, alia eſt *pura*, alia *ex die*, aut *horâ*, ex quâ iisdem teneri ſubditos populi paciſcentes volunt, declarantque; quapropter ad hanc paciſcentium expreſſam voluntatem ante omnia reſpiciendum eſſe liquet.

## §. 14.

Quodſi induciæ univerſales purê, & absque adjectione certi termini à quo publicentur, nec tamen eodem publicationis inſtanti ad ſingulas terrarum hoſtilium partes pertingere valeant, in locis remotioribus ab eo demum tempore obligatoriæ eſſe incipient, ex quo illuc perlatæ, atque ad notitiam belligerantium perductæ fuerint; id quod ex naturâ legum, pacto-



Digitized by Google

rumque perſpicuum eſt, quorum ſcilicet vis obligandi nulla concipitur, antequam iis, ad quos eorundem obligatio pertinet, legitimè innotuerint (Lib.I. Cap.II. §. 11.).

COROLLARIUM I. Cui conſequens fit, quod, quæ ante legalem inſinuationem exercitæ fuêre hoſtilitates, quæ captæ urbes, occupatæque terræ & provinciæ, eædem jure exercitæ, captæ, occupatæque eſſe intelligantur.

COROLLARIUM II. Quodſi tamen, publicatione purè factâ, id expreſsè inter paciſcentes actum fuiſſe appareat, ut ex ipſo illo inſtanti, cum ſublatione hoſtilitatum, earundem quoque effectus, atque occupationes bellicæ ultro citraque factæ, ſublatæ eſſe cenſeri debeant; hoſtes induciarum ignaros, non quidem ad reſarcitionem damnorum, u. c. militum in prælio aut velitatione occiſorum, benè tamen ad rerum, urbiumque interea captarum reſtitutionem obſtrictos eſſe pateſcit.

SCHOLION. Ex dictis apparet, quàm ſolicitè curatèque ſingula in pactis induciarum definire conveniat, ſiquidem belligerantes ambiguitates omnes, indeque ſuborituras lites rèſecare ſeriò cogitent.

§. 15.

Induciis inter belligerantes publicatis hoſtilitates ceſſant (§. 13. Coroll.); in induciis igitur

igitur univerſalibus atque illimitatis (§. 11.) omnis defenſio, aggreſſioque actualis conquieſcet: ſingulaque in eo ſtatu, quo tempore publicationis deprehenduntur, relinquenda; in particularibus verò & limitatis (§. eod.), iis ſolùm in locis, & quoad actus, de quibus conventum, ab hoſtilitatibus abſtinendum erit.

COROLLARIUM. Durantibus ergò induciis puris, abſolutis, atque illimitatis nec extruere, nec reparare fortalitia, moeniaque ictibus tormentorum bellicorum concuſſa; nec in urbes obſidione cinctas militares copias, annonamque immittere: nec exercitum in hoſtem movere: prædas in hoſtili ſolo agere: milites, civesve captivos abducere: ſimiliave nocendi media effectui dare, integrum erit.

SCHOLION. Quales in ſpecie hoſtilitates in induciis particularibus intermittendæ, quæque ex adverſo permiſſæ eſſe reputandæ ſint, ex pacti conventi indole, naturaque ſuſcipiendi actûs nec non ex mente paciſcentium decidendum venit.

§. 16.

Mortuos occiſosque poſt prælium inter hoſtes commiſſum, invaſamve aſſultu urbem, ſepeliri uti æquum, ita belligerantium utrinque ſœpè intereſt; quare, cum fieri id



Digitized by Google

commodè nequeat, niſi hoſtilitates in loco commiſſi prælii, obſidionisve ceſſent, ſepeliendorum mortuorum gratiâ inducias inter belligerantes ineundas eſſe, expeditum eſt; quumque id officium moram haud ferat, nec magni adeò momenti ſit; eas impertiendi, concludendique poteſtatem belli ducibus tacitè etiam datam cenſeri, facilè liquet (§. 4. Coroll.).

COROLLARIUM. Quoniam induciæ, ſepeliendorum mortuorum gratiâ factæ, particulares, imò limitatæ (§. 11.) plerumque ſunt: extra locum ſepulturæ ab hoſtilitatibus deſiſtitur neutiquam; quid, quod ab iis ſolùm actibus hoſtilibus quieſcendum eſſe appareat, qui ſepulturæ commodè faciendæ remoram fors injiciunt.

SCHOLION. Nil igitur obſtat, quominus durantibus ejusmodi induciis moenia & foſſæ reparentur, imò tormentis majoribus exploſis valla & muri concutiantur, cuniculi effodiantur, eaque de cœtero omnia fiant, quæ ſepelientes haud turbant.

§. 17.

Ex ſimili ferè humanitate belligerantes pactis induciis aut univerſalibus, aut particularibus ab hoſtilitatibus conquieſcunt, quò certa feſta colere, ſolenneſque ſacrorum ritus peragere

Digitized by Google

agere valeant; de quibus idem, quod §. præcedenti, tenendum erit.

SCHOLION. Aſt perpendendum tamen, an belligerantibus talismodi indulgere inducias expediat: easque prælii ſors committendi, obſidionisve finiendæ rationes ferant. Dierum feſtorum & ſacrorum celebrationibus hoſtes ſæpè ceu ſtratagematibus utuntur, quò ex improviſo in adverſarios irruere, eosdemque nil tale cogitantes, ſacrisque litantes proſternere, quin urbes planè hoc aſtu occupare valeant. Utrùm ex æquo; ex principiis fidei & religionis, tum etiam ex dictis Cap. VI. §. 19. ſeq. judicandum; inter Chriſtianos ſaltem populos ejusmodi ſtratagemata meritò improbantur.

§. 18.

Ad pacta induciarum ſpecialiſſima, & perſonalia pertinent *liber commeatus*, qui copiis hoſtilibus juſtis ſubinde ex cauſis indulgetur, aut perſonis etiam ſingulis conceditur: veluti, quando occupatâ, redditâque urbe præſidiarii milites ad usque deſtinatum locum, tempusque ab omni vi hoſtili eximuntur: Item, quando captis bello liber ad ſuos reditus conceditur.

COROLLARIUM. Pactis hanc ſtipulari immunitatem, literasque liberi, necnon ſecuri tranſitûs concedere,

dere, officia, poteſtatemque belli Ducum haud excedere ex dictis (§. 4. Coroll.) facilè conficimus.

SCHOLION. In hunc quoque cenſum referendæ *literæ Salvæ Guardiæ*; queis certis perſonis, rebusque immunitas, atque ſecuritas ab hoſtilitatibus conceditur; quarum obligationem pacto ſaltem tacito ſubniti, nemo dubitat. Cœterùm eas impertiendi facultatem regulariter Ducibus belli competere, non eſt, quod moneam.

## §. 19.

Quandoquidem porro vis & obligatio pactorum expirat, ſi compaciſcentium unus pacti fidem adimplere renuat (Lib. III. Cap. VI. §. 21.); ſi tempus, ad quod pactum initum, præterlapſum (Ibid. §. 22.), aut res in eodem ampliùs ſtatu haud exiſtant (Ibid. §. cit.), induciæ quoque expiràſſe dicendæ ſunt, ſiquando tempus, dies, horaque ad quam, ceu terminum ſuum, initæ fuêre, expiraverit; ſi actus, propter quem inductæ, plenè perfectus, atque conſummatus ſit; ſi belligerantium unus inducias infregerit, contraque pacta conventa medio tempore ad hoſtilitates proſiluerit; denique, ſi ex aliis quibuscunque cauſis earundem obligandi vim evaluiſſe, clarè perhiberi poſſit.

COROL-

COROLLARIUM. Conſequitur, quod, quum induciæ ſtatum hoſtilem haud immutent, apparatusque belli idem, qui ante, maneat (§. 10. Corol.), finitis effluxisque induciis ſtatim, citra novam indictionem ad hoſtilitates proſilire, cœptasque continuare liceat.

SCHOLION. Scilicet elapſis induciis ſtatum illum (§. 1.), quo hoſtilitates ceſſant, hoc ipſo evanuiſſe, & armorum vim actualem rediiſſe dicendum eſt. Quodſi tamen durantibus induciis paciſcentium unus hoſtilitates exercendo pactum induciarum violaverit; in læſi arbitrio erit, utrum ſalvis induciis damni dati ſarcitionem petere, an verò viciſſim à pacto reſilire cogitet.

§. 20.

Ad Conventiones præterea medio bello initas refero *deditiones* urbium *pactitias*, & *Capitulationes*, quæ inter obſeſſos, & obſidentes mutuo conſenſu eriguntur, queisque deditionis modus, aliaque, quæ ad ſecuritatem emigrantium pertinent, definire moris eſt.

COROLLARIUM. Pacta de dedendis urbibus in promptu plerumque, oblatâque occaſione favorabili citra moram, cunctationemque erigenda ſunt; de iisdem igitur perficiendis colloquia inſtituendi: eademque ad effectum perducendi facultatem, belli ducibus integram eſſe debere, facilè colligitur (§. 4. Coroll.).

SCHO-

SCHOLION. Pro re natâ tamen, &, ſi res ferant, citra ſummi magiſtratûs adſenſum, ab obſeſſis præcipuè, nil agendum, aut temerè ſuſcipiendum eſt; ſed impetratis fortè induciis concertatorum Capitulationis capitum confirmatio à ſuperiori poteſtate expectanda erit.

§. 21.

Quæ privati bello durante cum hoſte inire pacta ſolent, pleraque *redemptiones captivorum*, determinationesque *lytri*, ſeu pretii redemptionis reſpiciunt; aut circa taxationes hoſtium, ſtipulatasque pro *avertendis incendiis* & vaſtationibus pecuniæ ſummas, ut & *annonæ*, *frumentorum*, & *victualium* hoſti *ſuppeditandorum* quantitates, rationesque ritè definiendas verſantur; quæ, cum periculorum, totalisque excidii media ſint (Lib. III. Cap. IV. §. 2. ſeq.), utut inter hoſtes ineantur, ſervanda tamen eſſe, propriæ ſalutis ratio efflagitat (d. Lib. III. Cap. V. §. 6.).

COROLLARIUM. Quæ itaque interpoſitâ fide pactitiâ dimiſſi captivi libertatis Lytra ſpoſponderunt, ſolvenda, tributaque ac penſiones, ſub quarum promiſſione incendia, vaſtationesque averſæ fuêre, pendendas eſſe, liquidò patet: niſi ſubditi, ne

Digitized by Google

ne illas ſoluerent, penderentque auctoritate ſuperioris impediti, aut hoſtibus, ne eaſdem exigerent, vi belli juſtâ obſtacula obmota fuerint.

SCHOLION. Sicuti namque hoſtes jure talia ſe ab adverſariis exigere exiſtimant; ita non minus hi exactiones ejusmodi, ceu violentas, denegandi facultatem legitimam ex causâ belli juſtâ datam ſibi reputant. Caſum peculiarem de Civitate Imp. Lib. Memmingâ refert Celeberr. GLAFEYUS (a); convenerat illa unà cum Statibus & Civitatibus quibusdam vicinis de certa pecuniæ ſummâ pro redimendis incendiis, Gallis, tum temporis Imperii hoſtibus, ad certos terminos exſolvendâ; ante horum lapſum, conſequenter nondum ex toto perſoluto lytro hoſtis cladem in vicinia patitur: indeque Memmingam relinquere cogitur. Ante diſceſſum tamen, comminatus urbis incendium ac ruinam in vicem reſtantis ſummæ dimidiæ, tertiam ejus partem, ceſſis civitati adversùm ſocios actionibus extorquet. Quæritur: utrum ſocii correi ad ratam exſolutæ ſummæ civitati Memmingæ reſtituendam obligentur? Reſpondet GLAFEYUS affirmativè. Ego autem ex allatis Coroll. præced. rationibus ſecus ſentio; niſi fortè ſat temporis reliquum habuerit hoſtis, quò vaſtationes effectui dare potuit; id quod non videtur. Calamitas igitur fuit à ſolâ civitate ferenda. Verùm nos miſſis bellorum juribus ad pacem properamus.



(a) J. N. & G. Lib. III. Cap. V. §. 69.

Digitized by Google

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER V.
## DE PACE ET LEGATORUM JURIBUS.

## CAPUT I.
### DE ARMISTITIIS.

§. 1.

Armiſtitium dicimus conventionem, ſive pactum inter reſpublicas belligerantes initum, quo ſtatus hoſtilis, apparatusque belli, manentibus ejusdem cauſis, ad certum tempus tollitur; quumque hoc ipſo certus quidam inter populos armiſtitium concludentes ſtatus reſultet: hunc quoque *armiſtitii* nomine indigitare placet.

COROL-

COROLLARIUM. Pactis induciis in ſpecie ita dictis (Lib. IV. Cap. XII. §. 10.) neque ſtatus hoſtilis, neque apparatus belli ceſſat (ibid. Coroll.); alia igitur eſſe armiſtitia ab induciis, evidens eſt.

SCHOLION. Quandoque tamen in ipſis etiam armiſtitiorum Tabulis promiſcuè accipiuntur; veluti ex armiſtitii vicennalis 1684. inter Imperatorem & Regem Galliæ concluſi Inſtrumento eluceſcit (a); Aſt quum nomina diverſa, quibus res diverſas indigitemus, in promptu ſint, ad devitandas confuſiones, induciarum pactiones ad belli tempora, prouti Lib. præced. Cap. ult. factum, reſtringere, conſultius ducimus.

§. 2.

Quoniam Pax, uti ex Capite ſequenti planum fiet, non ſolum hoſtilitates, & apparatum actualem armorum, ſed & cauſas belli (Lib. IV. Cap. III. §. 12.) excludit, armiſtitia non minùs à pace propriè ita dictà diverſa eſſe concludimus.

COROLLARIUM. Ex eo tamen, quod armiſtitia ſtatum & actus hoſtiles amoveant, duranteque hoc intervallo inter paciſcentes inviolabilis amicitia ſtabiliatur, nec non commerciorum liberum & nonimpeditum exercitium reducatur, plenaque

LII 2

(a) FRITSH. Opuſcul. Tom. I. p. 586. ſub finem ingreſſûs.

que inter ſubditos civesque utrinque ſecuritas vigeat: ſtatum armiſtitiorum eatenus cum ſtatu pacis convenire liquet; eamque ob cauſam *pacis* etiam *temporariæ*, *minùs plenæ*, & *incompletæ* nomine eadem efferre licet.

SCHOLION. Inde eſt, quod armiſtitium vicennale an. 1718. Paſſarovici cum Portâ Ottomannicâ concluſum mox pacis, mox armiſtitii voce indigitetur (a); demonſtratam tamen à nobis diverſitatem armiſtitiorum tabulæ publicæ non minùs liquidò perhibent (b);

## §. 3.

Belli declarandi gerendique poteſtas ſummo Magiſtratui rectè vindicatur (Lib. IV. Cap. III. §. 8. Coroll.): idem igitur finiendi, conſequenter armiſtitii quoque concludendi facultatem (§. 1.) majeſtatis, ſupremæque poteſtatis juribus annumerandam eſſe, nemo dubitat.

COROLLARIUM. Licet adeò primas de armiſtitio propoſitiones audire, atque eam ob cauſam breves etiam inducias in locis particularibus indulgere ſupremi belli duces haud prohibeantur (Lib. IV. Cap. XII.

(a) Vid. Celeberr. Schmaus *Corp. Jur. Gentium Academ.* Tom. II. p. 1695. ſub fin. ingreſsûs: collato art. 20.
(b) Vid. Armiſtit. Vicenn. Gall. apud Fritsch. c. I. Art. XI.

Cap. XII. §. 4. Coroll.); cum pleno tamen effectu quidpiam concludendi facultas poteſtatis eorundem limites, niſi mandato expreſſo muniti fuerint, longè excedit.

SCHOLION. Modus tractandi, & concludendi armiſtitia à modo concludendi pacem vix differt; unde, quæ de tractatibus pacis Cap. ſequ. in medium proferemus, huc quoque trahenda ſunt. Ex eo tamen, quòd cauſæ belli principales ut plurimùm hìc indeciſæ relinquantur, nec controverſiæ, quæ bello anſam dedêre, transactione ſopiantur, brevius temporis ſpatium ad armiſtitium, quàm ad pacem concludendam requiri, nemo non videt.

§ 4.

Quum armiſtitia cauſas belli, conſequenter jura quoque & prætenſiones utriusque partis in ſalvo relinquant (§. 1.); patet, armiſtitia inter eos tantùm iniri ſolere populos; qui prætenſiones ac jura plenâ initâ pace remittere grave nimis reputant, ſed quorum tamen, ut è ſtatu hoſtili ad tempus ſaltem diſcedant, pacemque interea colant, evidens utilitas poſtulat.

COROLLARIUM. Jura & prætenſiones, quas Imperatores Romani adverſus Turcas formant, eximiæ prorſus, maximique momenti ſunt, uti in vulgus notum eſt; has adeò, uti Impp. perpetuâ ſtabilique transactione remittere, meritò renuunt,

ita, cur cum Portâ Ottomannicâ ſeu Turcis armiſtitia ſolùm concludere ſoleant, ratio apparet.

SCHOLION. Sed cave ſis idem de omnibus populis Chriſtianis aſſeras; in Polonorum certè, Venetorumque pactis Tabulis nil occurrit, quod armiſtitii pacisve temporariæ naturam ſapiat; hos proin tractatus pro plenis firmisque pacis conventionibus rectè habemus.

§. 5.

Gentes armiſtitiorum pacta ineuntes prætenſiones ac jura, ſi non omnia, præcipua ſaltem (§. 3. Schol.) ſarta retinent; cum adeò eatenus in contradictorio verſentur, atque inter ſe controvertantur (Lib. IV. Cap. I. §. 13.), armiſtitia controverſias inter Gentes non omnimodè excludere apparet.

SCHOLION. Id ſolùm convento armiſtitio peculiare eſt, quòd ad adſerenda, vindicandaque jura, aut res prætenſas, ad arma interea & vim hoſtilem proſilire haud liceat.

§. 6.

Uti igitur, ſublatis per armiſtitia armis, de pace firma ac perpetua, nec non de controverſiis ſopiendis, aptisque eum in finem arripiendis mediis cogitandi, ad officia Gentium, in

in ipſis quandoque armiſtitiorum Tabulis inculcata pertinet: ita iisdem durantibus omnia ea licitè fient, quæ aliàs pacis tempore fieri ſuevêre, quæque tum ſecuritatis & ſalutis publicæ, tum humanitatis rationes ſibi depoſcunt.

COROLLARIUM. Quælibet itaque paciſcentium pars jure reparabit munimenta, & mœnia: quin nova etiam fortalitia extruet, ubi id armiſtitii conventis conditionibus haud refragatur; copias militares, militemque ſelectum alet, eaque omnia ad effectum deducendi facultate pollet, quæ ad futuram defenſionem, ſecuritatemque ſpectare dignoſcentur.

SCHOLION. Ab hoſtilitatibus tamen omninò deſiſtendum; ſolicitèque cavendum, ne adverſus conventionis tenorem quidpiam admittatur; quam ob cauſam in armiſtitiorum quoque Tabulis Populi neutri, aut bello medii in Guarandos, atque aſſecuratores pacis nominari ſolent, eâ lege & conditione, ut tum conſilio, tum armis compactatas pacis, aut armiſtitii conditiones intemeratè ſervari curent. (Lib. III. Cap. VI. §. 5.).

## §. 7.

Quemadmodum porro Armiſtitia à die ratihabitarum Tabularum, aut publicationis utrin-

(a) Vid. Armiſtit. Vicennale Gallicum Art. XVI.

utrinque factæ initium ſumunt, ita elapſo termino, aliisque modis, quibus obligatio pactitia deſinit (Lib. III. Cap. VI. §. 19. ſeq.), expirare eadem planum eſt.

SCHOLION. Finiuntur quippe iisdem ferè modis quibus induciæ ceſſant Lib. IV. Cap. XII. §. 19.); unde plura hìc monere ſuperfluum meritò ducimus.

§. 8.

Aſt quoniam tamen inito armiſtitio ſtatus hoſtilis, cum apparatu belli ad actu nocendum deſtinato ſublatus fuit (§. 1.): effluxo armiſtitii termino non ſubitò ſtatum hoſtilem redire, ſed, quæ pacto coarctata interea fuerat, armis ſuum perſequendi, poteſtas, ſeu jus ſolùm belli renaſci planum eſt.

COROLLARIUM. Quodſi itaque controverſiæ interea ſopiri haud potuerint, elapſoque armiſtitio arma denuo arripere pars una alterave conſultum ducat; ea omnia, quæ in bello de novo auſpicando Gentium jura inculcant (Lib. IV. Cap. III. & IV. ſeq.), hìc quoque obſervanda, atque adeò, pro re natâ, bella novâ indictione ſolenniter declaranda eſſe (d. Lib. Cap. VI. §. 6. & 7.), nullo negotio conficimus.

SCHOLION. Unde inſignis denuò inter inducias & armiſtitia ſe ſe differentia manifeſtat: in illis ſtatus

tus hoſtilis & apparatus belli permanet; elapſo adeò induciarum termino prior hoſtilitatum ſtatus comparet. Aſt in armiſtitio bellum tollitur, verusque ſtatus pacificus, licet non plenæ pacis (§. 2. Coroll.) redit; arma movendi poteſtate interea planè præclusâ: ſed reviviſcente tamen poſt decurſum ceſſationis armorum terminum, ſiquidem populis, ut bello rursùm decertent, expedire viſum fuerit.

# CAPUT II.
## DE TRACTATIBUS PACIS, EAMQUE CONCLUDENDI, FIRMANDIQUE MODIS.

§. 1.

P*Acis* nomine intelligimus conventionem inter populos belligerantes duos pluresve initam, quâ cum bello cauſæ quoque ejusdem tolluntur; qui verò inter respublicas armis diſceptantes per talismodi conventionem ſtatus reducitur, *ſtatus pacificus*, *plena tranquillitatis*, & *quietis* nuncupatur.

COROLLARIUM. Induciæ neque bellum, neque cauſas belli (Lib. IV. Cap. XII. §. 10. ſeq.), armiſti-



tia

tia bellum quidem, aſt non ejuſdem cauſas è medio tollunt (Cap. I. §. 1.); pacem itaque tam ab induciis (d. Lib. IV. Cap. XII. §. 10. Coroll. II.), quàm ab armiſtitiis (d. Cap. I. §. 2.) diverſam: nec ſtatum armiſtitiorum, multòque minùs ſtatum induciarum cum ſtatu pacis eundem eſſe apparet.

SCHOLION. Quatenus ſtatus armiſtitii cum ſtatu pacis conveniat Cap. præced. (d. §. 2. Coroll) abundè oſtendimus; in pace plena & completâ, de quâ hic ſermo eſt, nullus futurorum armorum metus, cauſave relinquitur, ſecus in armiſtitio; quod ipſum in cauſâ eſt, quòd meticuloſiùs quoque inter ſe amicitiam commerciaque hìc colant populi, multaque in armiſtitiis intermittantur, quæ plenâ alioqui vigente quiete, in publici boni majus incrementum effectui darentur.

§. 2.

Partium Belligerantium quælibet juſtam ſe fovere cauſam ex animi ſui opinione perſuaſa eſt (Lib. IV. Cap. III. §. 22.); quidquid igitur tam una, quàm altera, ob incertam, ſiniſtramve armorum aleam pace initâ (§. 1.) de prætenſis ſuis juribus rebusque cedit, ac relinquit, id amore quietis, aut neceſſitate compulſam relinquere ſe, atque cedere reputat: & ita viciſſim: planè ut ex belligerantium hac opinione dato utrin-

Digitized by Google

utrinque aliquo, ceſſo, ac retento, id eſt transactione (Lib. IV. Cap. II. §. 10.), controverſiæ, quæ bello anſam dederant, aut medio tempore incidêre, ſopiri credantur; unde pacem reſpectu belligerantium, multòque magis intuitu populorum neutrorum (Lib. IV. Cap. III. §. 23.) regulariter transactionis naturam, formamque præſeferre, facilè eſt ad colligendum.

SCHOLION. I. Univerſaliter tamen id adſeri nequit; quidſi enim populus victor plenam ſibi (Lib. IV. Cap. X §. 19. ſeq.), tam ratione prætenſarum à victo ditionum terrarumque, quàm ratione ſumptuum & damnorum datorum, ſatisfactionem procuret? hoc ſanè caſu transactum fuiſſe dici nequit: præſertim, ſi in victoris, effectus victoriæ ultra proſequendi, poteſtate fuerit; conſequenter incerta eundem belli alea ad pacem ineundam haud compulerit. Atque ob hanc cauſam pacem per *conventionem* potiùs, quàm per transactionem definire placuit (§. 1.)

SCHOLION II. Sed & id quoque advertendum, pacis propriè nomen haud mereri, quando ex jure belli aſſecuratorii (Lib. IV. Cap. VII.) devicti populi ac provinciæ penitus ſubjugantur (d. l. §. 15.), victorisque acceſſio fiunt; ſtatus enim ſic tranquillus quidem reducitur, ſed non inter diverſas respubl., utpote victis cum victoribus in unum jam populum coalitis.



Digitized by Google

§. 3.

Pax præter apparatum armorum actualem cauſas quoque belli è medio tollit (§. I.); nullæ itaque inter populos belligerantes, niſi fortè levioris momenti controverſiæ ad bellum haud quaquam ſufficientes (Lib. IV. Cap. III. §. 13.) remanent; quapropter, cum, cur rebus ita ſtantibus pax ceſſare unquam debeat, ratio nulla proſtet, pro eo, quo tempore pacis conditæ res ſunt loco, pacem omnem ſuâ naturâ perpetuam eſſe liquet.

COROLLARIUM. Inter quos aut nullæ planè, aut nonniſi levioris momenti controverſiæ vigent, inter eos quominùs vera ſinceraque effloreſcat, perduretque amicitia, nil obſtat; pacem adeò amicitiam ſinceram ac ſtabilem inter belligerantes reducere evidens eſt.

SCHOLION. Inde eſt, quod partes paciſcentes in inſtrumentis pacis ad culturam hancce ſinceræ, atque infucatæ amicitiæ efficaciter ſe ſe adſtringere ſoleant; quumque amicitiæ inconcuſſæ ſtatus Chriſtianos ante alios deceat, ratio apparet, cur, quæ Chriſtiani populi inter ſe ſanciunt pacis fœdera, *pacis* plerumque *Chriſtianæ* nomine efferantur.

§. 4.

§. 4.

*Amneſtia* ſive *oblivio injuriarum læſionumque moralis* nobis hic eſt actus, quo, qui armis diſceptaverant populi, injurias læſionesque tam ante, quàm durante bello illatas eo effectu mutuò ſibi condonant, remittuntque, ne aut turbandæ impoſterum amicitiæ (§. 3. Coroll.) motiva ampliùs evadant, neve læſionibus, injuriis, damnisque de novo referendis anſam ſubminiſtrare apta maneant.

COROLLARIUM. Ex qua Amneſtiæ notione pronè conſequitur, non ita oblivioni tradi injurias damnaque, ut nulla eorundem recordatio aut memoria ſuperſtes maneat; hoc enim ne naturaliter quidem fieri poſſe intelligitur; ſed morales ſolummodo eorundem effectus quieſcere, neve armorum capeſſendorum cauſa exiſtant, pactâ utrinque perpetuâ amicitiâ juberi apparet.

SCHOLION. Sunt & aliæ *amneſtiarum* ſpecies, u. c. quando Princeps, ſeu ſupremus Magiſtratus publico programmate, aut edicto criminum à ſubditis perpetratorum eo effectu obliviſcitur, aut potiùs ea condonat ac remittit, ne pœnas ex merito aliàs in deprehenſos ſtatuendas, metuendas habeant; proin criminum reipublicâ hâc indultâ veniâ ſecurè redire, adque ſuos revertere valeant.

leant. Quales amneſtiæ in gratiam transfugarum durante bello, deſertorum in pace, quin & in favorem etiam, veniamque rebellium ſœpiùs promulgari ſolent: ſed de iis, earumque effectibus plura addere haud vacat.

§. 5.

In omni bello duæ læſionum, prætenſionum, ac gravaminum claſſes occurrunt; *Prima* eorum, quæ bello anſam dédêre; *Altera*, quæ in ipſo bello, atque armorum decurſu per occupationes damnaque hinc inde data de novo ſuccreverunt. Utraque pacis ineundæ objectum conſtituere, dubio caret. Enimverò, ſopitis per transactionem utrinque conventam controverſiis, quæ bellum anteceſſerant, quæque *gravamina* in ſpecie dicuntur, injuriæ, læſionesque inter ipſa arma emergentes à paciſcentibus ita ſœpè tolluntur, ac ſi nunquam extitiſſent, aut datæ fuiſſent, id eſt, perpetuâ oblivione atque amneſtiâ ſepeliuntur: quantùm per belli rationes licet (Lib. IV. Cap. X §. 21.), omnibus in eum, quo initio belli fuêre, ſtatum reponendis; qualem hoſtilitatum, injuriarumque in bello illatarum remiſſionem

nem, annihilationemque *Amneſtiam belli* in ſpecie ſalutant, à generali amneſtiâ, quam §. præced. definivimus, diverſam.

COROLLARIUM. Atque inde reſtitutionum poſt pacem faciendarum duos veluti fontes, ſeu potiùs terminos nanciſcimur: *Ex capite ſcilicet gravaminum*, ſeu controverſiarum bellum prægreſſarum; dein *ex capite Amneſtiæ*, ſeu annullatione omnium eorum, quæ durante bello hoſtiliter acta, occupataque fuère, & conventioni gravaminum in ſpecie repugnare deprehenduntur.

SCHOLION. Aſt talis amneſtia nomine magis, quam re inſtrumentis pacis inſeritur; aut tot plerumque exceptionibus ſtipatur, ut regulæ ac normæ reſtitutionum faciendarum nomen ferè amittat; præſertim, cum ſumptuum bello datorum, victoriæ, & ſecuritatis etiam futuræ rationes exactam adeò reſtitutionem, reductionemque ad initium belli vix ferant; ſecuriſſimam omnium itaque normam in ipſis pacis tabulis quærendam eſſe apparet; uti Cap. ſequ. pluribus oſtenſuri ſumus.

## §. 6.

Pactâ pace cauſæ belli ad unum omnes præciſæ eſſe intelliguntur (§. 1.); Quidquid igitur ante bellum, quidquid eodem durante utrinque injuriarum damnorumque

que datum eſt, id moraliter eum ampliùs effectum haud habet, ut propterea ad hoſtilitates denuò provoletur; injurias adeò, damnaque ante concluſionem pacis data illataque, quoad hunc ſaltem effectum, ſepulta eſſe apparet; qui cum in amneſtia generali (§. 4.) in conſiderationem tantùm veniat; in omni pace amneſtiam ſive expreſsè, ſive tacitè comprehendi liquet.

COROLLARIUM. Aſt, quum occupationes durante bello factæ, damnaque data non ſemper reſtituantur, aut etiam remittantur, ſed transactione ſæpè, perinde ut cauſæ bellum antegreſſæ, componi ſoleant: ac proin non in omni pace initium belli pro termino reſtitutionum rerum interea occupatarum haberi queat; nec *amneſtiæ* quoque in ſpecie ita dictæ (§. 5.) in omni pace locum eſſe, facilè eſt ad colligendum.

SCHOLION. Capita, effectusque amneſtiæ intrincata ſpecialiorem diſcuſſionem ſibi depoſcerent; ſi modò elementa hæc fuſiorem tractationem ferrent; hæc interim, quæ principiorum velut loco poſuimus, decidendis pleriſque hìc movendis controverſiis ſufficiunt.

§. 7.

In pacis ſanctione, ex mente & opinione belligerantium alienantur urbes, relinquuntur

Digitized by Google

quuntur provinciæ, renuntiaturque prætenſionibus & juribus, iisque vi armorum proſequendis in omne ævum nuntius mittitur; Enimverò alienationes ejusmodi renuntiationesque rerum civitatis ad Jura ſummi Imperii, & Majeſtatis pertinent (Lib. III. Cap. III. §. 8.); pacem igitur non niſi Principes, ſummique Magiſtratus, aut quibus ea facultas à republica mandato expreſſo data eſt, jure ineunt.

SCHOLION. Quorum in hiſce negotiis opera utuntur Principes, Miniſtri Legati, atque Plenipotentiarii audiunt, de quibus Cap. IV. & V. uberiùs agetur.

§. 8.

In rebus moram haud ferentibus, pro communi tamen bono neceſſariò ſuſcipiendis Belli duces, Gubernatoresque provinciarum mandato tacito inſtructi eſſe præſumuntur (Lib. IV. Cap. XII. §. 4. Coroll.), colloquia igitur de pace inſtituere, propoſitionesque eâ de cauſa ab hoſte factas audire, quin & inducias breviores in eum ef-

fectum indulgere, poteſtatem belli Ducum haud egredi, facilè cognoſcitur.

SCHOLION. Idque potiſſimùm, ſi de fide, prudentiâ, & in rebus agendis dexteritate ſat luculenta belli ducis ſpecimina atque documenta proſtent; quo caſu amplior quoque, ipſas nimirum pacis conditiones ſecretò concertandi facultas, eidem quandoque data cenſetur.

§. 9.

*Sponſio pacis* eſt promiſſio de pace, cum, vel ſine adjectis conditionibus, procurandâ, facta ab iis, qui eam concludendi, dandique poteſtatem haud habent; quique inde *ſponſores pacis* vocantur.

COROLLARIUM I. Cum ſponſor pacem concludendi facultate careat, qui promiſſionem ab eo factam acceptat, ad aliud ſponſorem obligare nequit, quàm ut operam induſtriamque omnem adhibeat, quò Superiorem ad amplectendas pacis conditiones permoveat; veluti ex ſponſionis natura planum eſt.

COROLLARIUM II. Sin callido conſilio, ſpemque pacis indubiam promittens, paciſcentem alterum eluſerit; ſicque damni inſignioris cauſa fuerit, civitas quidem, promiſſo ſponſoris haud ſatisfaciens, jura hoſtis, fidemque pacti nullatenùs lædit, aſt deprehenſus tamen bellidux, aut quicunque alius

Digitized by Google

alius ſponſor pacis extitit, ad meritas tum doli, tum perfidiæ, & culpæ pœnas trahi poterit.

SCHOLION. Sponſores pacis de quibus hìc loquimur, à ſponſoribus ſecuritatis pacis datæ, qui aſſecuratorum magis nomen merentur, diverſos eſſe notes velim (§. 23.).

## §. 10.

In extremis anguſtiis, ubi absque internecione exercitûs interituque reipublicæ evadere Bellidux nequit, de iis, quæ ad conſervationem reipublicæ, exercitûsque pertinent, paciſcendi facultate, citra prævium etiam mandatum expreſſum inſtructus cenſetur (Lib. IV. Cap. XII. §. 4. Coroll. Item ſupra §. 8.); quare, ſi nonniſi pace datâ aut promiſſâ periculum evadere valeat, hanc quoque quominùs hoſti jure impertiatur, eoque nomine non ſe ipſum ſolùm, ſed & rempublicam efficaciter obliget, dubio caret.

SCHOLION. Hoc ſcilicet caſu non tam ſponſores quàm veros pacis ſancitores agunt, qui ſub talibus anguſtiis & ſe, & rempublicam ab interitu, ingentive damno liberant; Unde, quid de ſponſionis Caudinæ & Numantinæ neglecta fide ſentiendum ſit, facilè liquet. Sola periculi levitas, damnique ex internecione furcis illis Caudinis

 con-

Digitized by Google

concluſarum Legionum metuendi modicitas juſtam Romanis non implendæ acceptandæque pactæ pacis exceptionem ſubminiſtrare poterat; At verò, an non deletis duobus exercitibus conſularibus graviſſima reipublicæ damna, datâ pace longe majora, obventura fuiſſent, alii judicent; Ego ſanè, quâ ratione Romani à fractæ turpiter fidei notâ liberari valeant, haud video. Si ipſe Senatus, ſi univerſus populus præſens tum Spectator fuiſſet, an non Samnitibus daturos eos fuiſſe pacem exiſtimas? Puto omnino, ſiquidem ſibi, ſuisque benè voluêre. Fateamur igitur humanitùs aliquid paſſos fuiſſe Quirites; pactoque, ſuo ex debito robore illibatè ſervando ad deludendum Samnites turpiter uſos fuiſſe; id quod Samnites apud Livium (a) Romanis egregiè, nervoſisque verbis exprobrant; mirari ut ſubeat, quomodo Romanorum partes JCti haud incelebres, interque eos ipſe H. GROTIUS (b), tuendas defendendasque ſuſcipere potuerint: rectiùs Trib. plebis. L. Livius & Q. Melius judicârunt: aut pacem dandam: aut exercitus in eas, ubi hæſerant anguſtias, reſtituendas eſſe.

§. II.

*Pax univerſalis* dicitur, quâ omnes bello implicitæ partes comprehenduntur, *particularis* verò, ſive *ſeparata* audit, quàm populorum belligerantium quidam ſaltem, cum excluſione reliquorum concludunt.

SCHO-

(a) Hiſtor. Lib. 9. 11.
(b) J. B. & P. Lib. II. Cap. XV. §. 16. n. 1.

Digitized by Google

SCHOLION I. Ad ipſas igitur partes ſive populos, qui pacem ineunt, non ad objecta ſive gravamina hanc diſtinctionem trahendam eſſe liquet. Hæc namque, uti conditâ pace tolluntur, aut amneſtiâ minimùm (§. 4.) ſepeliuntur omnia, ita eorum intuitu pacem omnem meritò univerſalem nuncupamus; neque pacis firmæ, ſolidæ, perpetuæ ac ſtabilis, id eſt, pacis verè talis (§. 1.) nomen retinet, in quâ controverſiæ aut gravamina, bello de novo ad nutum anſam ſuppeditatura indeciſa relinquuntur.

SCHOLION II. Quumque de populis liberis ſermo nobis ſit; nec huc propriè paces illæ particulares pertinere dignoſcuntur, quæ cum ſubditis rebellibus, excluſis ſeditionum auctoribus, ac præcipuis ſeditioſorum conductoribus ineuntur: quasque modificatas, & reſtrictas ad certas perſonas pœnarum atque criminum remiſſiones potiori jure dixeris; ſed vide tamen, quæ ſupra (Lib. IV. Cap. III. §. 10.) de bello inter ſummum Magiſtratum & ſubditos in medium protulimus.

§. 12.

Fœderati ad auxilia pro ratione initi fœderis mutuò ſibi præſtanda obſtricti ſunt (Lib. IV. Cap. VIII. §. 12.); ſalvâ igitur fide & obligatione fœderis neuter fœderatorum alterum in bello deſerere valet: potiſſimùm, ubi mutua belli ſocietas contra-



Digitized by Google

cta (Ibid. §. 1.), & confœderati omnes bello impliciti ſunt; Quapropter, quum pace particulari ac ſeparatâ ab uno fœderatorum cum hoſte communi conclusâ idem fieri nemo non videat, fœderatos ſtante nexu & obligatione fœderis pacem particularem ſive ſeparatam excluſis confœderatis reliquis jure concludere haud poſſe evidens eſt.

COROLLARIUM. Atque inde confœderatorum, non niſi pacem univerſalem ineundi, omnesque partes intereſſatas eâdem comprehendendi obligatio prono conſecutionis filo deducitur.

§. 13.

Quandoquidem verò fœderis obligatio ceſſat, ſi tempus ad quod initum præterlapſum fuerit; Si fœderati ipſi urgenti neceſſitatè premantur (Lib. IV. Cap. VIII. §. 13.), aliæve, cur à fœdere diſcedendum ſit, rationes prægnantes ſuadeant; fœderatos pacem ſeparatam jure inire facilè conſtat: ſiquidem terminus fœderis expiraverit; ſi clade perpeſſâ absque ruinâ aut inſigni ſuo damno oblatas pacis conditiones recu-

recuſare nequeant; ſi æquilibrii conſervandi ratio (Lib. IV. Cap. VII. §. 10.), ſimilesve cauſæ momentoſæ bellum cum pace commutare ſuadeant.

SCHOLION. Sed in his quoque caſibus humanitatis ratio jubet, ut fœderatus ad pacem, concordiamque unitis viribus erigendam, ac ſtabiliendam invitetur; quod ubi factum, juſtas conquerendi cauſas haud habet, ſi ſocii peculiari pace ſibi proſpexerint.

§. 14.

Subinde etiam æquilibrii atque ſecuritatis communis ratio, ut victoriæ progreſſibus remora injiciatur, parteſque belligerantes ad pacem reducantur, exigit (Lib. IV. Cap. X. §. 25.); quod quando adhibitâ armorum vi effectui datur, atque reluctantes ad honeſtas pacis conditiones acceptandas bello compelluntur, *pacem coactam* dicimus; quam, ſicubi juſta æquilibrii conſervandi ſecuritatiſque procurandæ cauſa ſubeſt, nec æquitatis nec juſtitiæ regulis refragari, neque minùs ſanctè cuſtodiendam eſſe, facilè intelligitur (Lib. III. Cap. V. §. 14.).

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Perinde verò eſt, ſive fœdere cum parte debiliori icto, fortioris vires frangantur, ſive directa in eundem arma moveantur, quò cum adverſario in pacis conditionis oblatas, aut in congreſſu determinandas conſentiat.

§. 15.

Modum ineundi pacem quod attinet, conſideranda primò veniunt *præliminaria pacis*, ab ipſa pace diverſa; utpote quæ nihil aliud ſunt, quàm conventio inter belligerantes de pace cogitantes inita, quâ puncta quædam, pacis negotium promotura prævià deciſione terminant.

COROLLARIUM I. Abſque determinatione loci, & temporis inſtituendi congreſsûs (Lib. IV. Cap. II. §. 5.) pacis negotium initium ſumere nequit; & ſiquidem ordo ſedendi inter Legatos indefinitus relinquatur, plurima inde ipſis pacis tractatibus ſubnaſci obſtacula experientiæ fide edocemur; tam igitur locum, quàm tempus congreſsûs, ut & ſedendi, eundique ordinem inter Legatos, aliaque, quæ ad politiam loci pertinent prævià conventione definienda eſſe liquet.

COROLLARIUM II. Idem de Mediatoribus, eorumque officiis dicito; ſiquidem tales admittere, atque ſub eorundem mediatione pacis negotium perficere implicitis bello populis placuit.

SCHO-

SCHOLION. Loquor de pace ſolenni, & univerſali (§.11); quando enim in ipſis principum aulis per Legatos utrinque miſſos pax erigitur, neque congreſſu ſolenni, neque reliquis præliminaribus opus eſſe, per ſe liquet. Inducias quoque ſubin ad præliminaria pacis pertinere, ex dictis (Lib. IV. Cap. XII. §. 9.) colligimus.

§. 16.

Conventis utrinque præliminaribus (§. 15.) ad ipſos *pacis tractatus* pergitur: atque propoſitis tam ex unâ, quàm ex altera parte gravaminibus, tum bellum prægreſſis, tum eo durante ſubortis, ad eum ferè modum, quo ſupra (Lib. IV. Cap. II. §. 5. ſeq.) innuimus, proceditur, usquedum inter partes diſceptantes utrinque conveniat, ipſaque *pacis concluſio* conſequatur.

SCHOLION. Idem nimirum hic, quod in amicâ controverſiarum inter Gentes compoſitione, obtinet; excepto, quòd in tractatibus pacis de iis quoque, quæ medio bello occupata, aut illata fuêre damna, tranſigendum ſit (Lib. IV. Cap. II. §. 10. Schol.).

§. 17.

Quæ durantibus pacis tractatibus ſucceſſivè definita ac deciſa fuêre gravamina,

conventæque hinc inde reſtitutiones, ceſſiones, atque alienationes, ea omnia *inſtrumento pacis*, ſecundùm ordinem ac formam communi conſenſu approbatam, uſuve receptam concertato inſeruntur; ut proin *inſtrumentum pacis* definire liceat, quod ſit ſcriptum, pacis inter partes belligerantes conventæ capita comprehendens.

SCHOLION. Quantâ curâ ac ſolicitudine inſtrumenta pacis concipienda, quantoque ſtudio ambiguæ, & obſcuræ orationis contextus omnes devitandæ ſint, tum ex ipſa negotii gravitate, tum ex funeſtis falſa interpretamenta conſecuturis effectibus nullo negotio concipere licet. (Lib. III. Cap. IV. §. 11.). Vide tamen in Schol. ibid.

§. 18.

*Ratihabitio* in genere eſt actus, quo quis, quæ ab alio ejus nomine geſta fuêre, voluntatis ſuæ factâ declaratione approbat; Etſi igitur Legati Reipublicæ nomine pacem concludentes (§. 6.) absque mandato ſpeciali nihil agant, agereve præſumantur: conſequenter oſtenſis ſeu exhibitis *plena potentia literis* paciſcentes utrinque ſat ſecuri eſſe

eſſe videantur; ad uberiorem tamen utrorumque ſecuritatem, præcidendaque ſubterfugia conſultum utique eſt, ne ſummi Magiſtratus inſtrumentis pacis plenam obligandi vim impertiantur, niſi ſpeciali voluntatis declaratione approbata fuerint; Inſtrumenta igitur pacis *ratihabenda eſſe*, nec ante ſolennes *ratihabitionum tabulas* utrinque commutatas plenæ & perfectæ pacis nomen eadem ſortiri, expeditum eſt.

SCHOLION. Idque uſu inter Gentes ferè univerſali obſervatur; planè ut ratihabitio ad ſubſtantiam pacis haud immeritò referatur; uti ex ratihabitionum, ut & Inſtrumentorum pacis formulis ubivis obviis luculenter apparet.

§. 19.

Coronidem toti negotio imponit ſolennis *pacis publicatio*: quæ eſt actus, quo ſubditis, finem bello impoſitum, concordiamque ſtabilem, ac plenam commerciorum libertatem, nec non ſecuritatem reductam eſſe ſignificatur; & quandoque etiam, ſi quæ ad eorundem notitiam pertinent, conventionis capita promulgantur.



Digitized by Google

SCHOLION. Solennitates in actu publicationis obſervari ſolitæ ad Jus Gentium ceremoniale ſpectant (Lib. VI. Cap. III.).

§. 20.

Pax eſt conventio ſive pactum (§. 1.); firmatur igitur roboraturque iisdem prorſus modis, quo conventiones roborari, paciſcentesque de pactorum fide ſecuros præſtari ſupra (Lib. III. Cap. VI.) oſtendimus.

COROLLARIUM. Quò proin pacem firmiùs ſtabiliant populi, & quantùm licet, omni ejus infringendæ metu ſeſe mutuò liberent, juramentis eandem rectè firmant; nec minùs, ut ſecundum fidei ſuæ formulas paciſcentium quilibet juret, ex æquo poſtulant (d. §. 15.).

SCHOLION. Juramenta plerumque per Legatos, mandato ſpeciali ad id inſtructos, nomine Reipublicæ, & in animas principalium concepta jurari ſolent; licet & corporali quoque, ut ajunt, jurejurando pacis fœdera roborare, majoremque inde iisdem ſanctitatem conciliare expediat.

§. 21.

*Guarandus*, ſive *aſſecurator pacis* audit, qui, conventa in pace capita ad effectum deductum, nec non ſanctè & illibatè cuſtoditum iri, conſilio & auxilio ſeſe procuratuum

Digitized by Google

turum ſpondet; quale pactum *Guarantiæ pacis* nomine venire notum eſt.

COROLLARIUM. Guarandorum inde officia prona ſunt: Tenentur ii omnem eò navare operam, ut pactis conventis ſatisfiat, neve ab iis ullâ ex parte recedatur: reluctante, atque fidem datam exſolvere recuſante uno, ad petitionem alterius, in re præſertim gravioris momenti, præſtò eſſe auxiliis, ac primò amicis, iisque nil proficientibus, violentis mediis, conjunctisque cum parte læsâ armis executionem, ac cuſtodiam ejusdem urgere, tuerique fidem obſtricti ſunt.

SCHOLION. Unde egregius Guarantiæ uſus ac utilitas clarè elucet; adeò ut vix pacem erigi videris, quæ Guarantiæ pacto ſtipata, atque aſſecurata haud ſit; quot numero Guarandos eligere velint contrahentes, id ex circumſtantiis, neceſſitate, ac ſufficientiâ mediorum pacem erectam ſervandi definire ſolent.

§. 22.

Quâ ratione à Guarandis (§. 21.) differant *fidejuſſores* propriè tales, ex collatis utriusque definitionibus (Lib. III. Cap. VI. §. 4.) haud difficulter comparet; Fidejuſſores nimirum in caſu recuſatæ præſtationis, aut non ſecuti implementi totam obligationem in ſe ſuſcipiunt (cit. l.), ſeque ceu ſubſidiarios debitores ſiſtunt; quod de Guarandis,



Digitized by Google

ſeu aſſecuratoribus, quales hìc (§. 20.) intelligimus, ſecus eſt; utpote quos ultra præſtationes auxilii, ſtipulatasque adversùs refractarios pacis violatores ſuppetias ferendas haud obligari liquet.

SCHOLION. Ab utrisque differre videntur *Sponſores pacis*, qui ad nuda tantùm humanitatis officia tum in procurandâ, tum in exequendâ, cuſtodiendâque & ſervandà pace ſe ſe adſtringunt, auxilia realia haud promittentes.

§. 23.

Denique *obſidibus* etiam ac *pignoribus* firmari pacem pernotum eſt (d. Lib. III. Cap. VI. §. 7.); quare, quæ de pacto *obſtagii* c. l. demonſtrata dedimus, huc quoque trahenda erunt.

SCHOLION. Perrarò hodie pacis firmandæ ergò obſides dantur; eos tamen in fidei ſecuritatem hoſtes accipere ſolent, quando cum ſubditis inimicis de lytro redemptionis, aut incendii paciſcuntur, ſimilesve conventiones ineunt; qua ratione Galli effecêre, ut Auguſta Vindelicorum fugatis etiam poſt cladem Hoechſtadianam inimicis pactas Lytri incendiarii ſummas ſolvere neceſſum haberet.

CA-

Digitized by Google

# CAPUT III.

## DE EFFECTIBUS PACIS, ET RESTITUTIONIBUS HINC INDE FACIENDIS.

§. 1.

COncluſæ, ratificatæ, atque publicatæ pacis (Cap. II. §. 6.) effectus omnium primus eſt, quod hoſtilitates ſiſtat, & cum ſtatu plenæ tranquillitatis (ibid. §. 1.), priſtinum quoque commerciorum florem, diſpulſo omni diſcordiarum fomite, reducat.

COROLLARIUM. Cui conſequens eſt, quod, quæ inter tempus concluſæ & ratificatæ, atque publicatæ pacis utrinque occupantur, indiſtinctim reſtituenda veniant: absque reſarcitione tamen damnorum, quæ pacem concluſam ignorantes interea temporis absque ſuâ culpâ hinc inde dederant.

SCHOLION. Niſi pactis in ipſis præliminaribus pacis (Cap. II. §. 15. Schol.) induciis jam ante concluſionem, atque ſubſignationem tabularum pacis hoſtilitates quieſcere juſſæ fuerint (Lib. IV. Cap. XII. §. 10.).

§. 2.

§. 2.

Tandem ipſa ſubſequitur *pacis executio*, ſeu actualis præſtatio eorum, quæ in pacificationis tabulis conventa fuêre; quam ſincerè, citraque cavillationem perficiendam eſſe, fides pactitia (Lib. III. Cap. V. §. 4. ſeq.), pacemque intemeratè ſervandi neceſſitas abundè perhibet.

SCHOLION. Intra quod tempus facienda executio in inſtrumentis pacis tam in genere, quàm intuitu certorum locorum definire paciſcentes ſolent; Hi igitur termini curatè cuſtodiendi erunt. Sin reſtitutionibus faciendis nullum planè terminum præfixum fuiſſe compareat, executionem, reſtitutionesque, quàm poteſt promptiſſimè, effectui dandas eſſe apparet.

§. 3.

Norma reſtitutionum utrinque faciendarum ſunt ipſæ pacis tabulæ, & conventionis deciſa capita (Cap. II. §. 17.); ad pacis igitur tabulas ceu cynoſuram, in iis præcipuè, quæ ad compoſitionem gravaminum pertinere dignoſcuntur, reſpiciendum eſſe, nemo non videt.

COROLLARIUM. Ad præſcriptum adeò Inſtrumenti pacis, intraque definitos, aut ex mente paciſcentium definiendos terminos abducendæ ſunt copiæ hoſtiles,

les, evacuandæ urbes & provinciæ, fortalitia & munimenta extradenda, aut ſolo æquanda; remittenda ex una, & recipienda ex altera parte homagia; exſolvendæ condictæ ſummæ; liberandi, commutandi, dimittendique captivi, reliquaque omnia ad effectum deducenda, quæ pacis tenor præcipit.

SCHOLION. Quæ in extraditione urbium, & provinciarum, nec non in remiſſione, & receptione homagii aliisque reſtitutionibus uſu obſervari ſolent, conventioneve determinantur ſolennitates, eæ ad Jus Gentium ceremoniale quum pertineant, ab hoc loco, alibique attingendas alienas eſſe patet (Lib. VI. Cap. III.).

§ 4.

Reſtitutiones porro tot ſæpè ſunt numero, tamque intricatæ, ut citra cauſæ diſcuſſionem effectui dari nequeant: Unde executionis perficiendæ causâ quandoque conventus inſtituuntur, in iisque tum quæ ad reſtitutiones ad effectum deducendas, nec non facilitandas, tum & ipſas perſonas reſtituendas pertinent, amicâ conventione ſub *Receſsûs Executionis* nomine decidi ſolent.

COROLLARIUM. Quoniam reſtitutiones vigore pacis faciendæ ſunt, Receſſus executionis partem

Ppp pacis,

Digitized by Google

pacis, ejusque velut declarationem eſſe, facilè apparet.

SCHOLION. Quando Inſtrumenta pacis ad pacificationem aliam præviam ſeſe referunt, & juxta eandem reſtitutiones fieri volunt, ad hanc quoque reſpiciendum, ejusdemque tum contenta, tum pacificatorum mentem probè rimanda ſcrutandaque eſſe, non eſt quod moneam.

## §. 5.

Quodſi conventio pacis medio belli tempore hoſtiliter acta, factasque occupationes bellicas omnes annullet, & pro non factis habeat, conſequenter amneſtiam ſpecialem (Cap. II. §. 4.) ſtabiliat: cuncta in eum, quo initio belli fuerant, ſtatum reponenda, eumque reſtitutionum ex capite amneſtiæ faciendarum terminum conſtituere liquet.

COROLLARIUM I. Quum tamen bona mobilia ab hoſtibus plerumque conſumpta, alienataque, & poſſeſſores præſentes incerti ſint: reſtitutionem ex Capite amneſtiæ ad bona mobilia regulariter trahendam haud eſſe, tum pacis, & juxta eam terminandarum quoque litium ratio ſuadet.

COROLLARIUM II. Harum proin rerum in pace poſtliminium nullum eſſe, pronè inde colligimus.

SCHOLION. Excipe tamen, ſi mobilia extantiora, aut rei immobilis reſtitutæ acceſſoria ſint; ſic e.g.

Digitized by Google

e. g. Archivia ex capite Amneſtiæ utique reſtituenda erunt; & qui bello occupatam urbem concluſâ pace reſtituere obſtrictus eſt, eam utique cum tormentis bellicis cum eâdem occupatis reddere obligabitur: niſi inter partes aliud actum fuiſſe appareat.

§. 6.

Reſtitutio itaque ex Capite amneſtiæ bona ſolùm immobilia complectitur (§. 5. Coroll.); quæ proin tam reipublicæ, quàm privatis durante bello ablata fuêre, in eo quo initio belli fuerant, ſtatu dominis reſtituenda eſſe, ipſa hujus reſtitutionis natura loquitur.

COROLLARIUM I. Quâcunque adeò ratione hoſtes bona illa aliis conceſſerint, donaverint, vendiderint, infeudaverintve; conceſſiones haſce, donationes, infeudationes, venditionesque omnes nullas irritasque eſſe conſtat.

COROLLARIUM II. Nec minus inde *poſtliminium* quoddam in *ipſa pace* concipimus: vi cujus privati æquè ac reſpublica in priſtina ſua, bello ablata bona ac jura reſtituuntur, eademque revindicandi facultatem indipiſcuntur: aut potiùs, quam habuêre belli tempore (L. IV. C. IV. §. 13.), retinent.

SCHOLION. Damna nihilominus in ipſis bonis data cauſataque in reſtitutionem haud venire, amneſtiæ indoles (Cap. II. §. 4.) clarè loquitur; neque etiam infinitæ alioquin ſuboriturae lites eorundem ſarcitionem fieri patiuntur. Sed ne-

que id obſcurum eſt, quod, qui bona jure belli occupata ab hoſte acquiſivêre, evictionis nomine auctores ſuos convenire valeant.

§. 7.

Quumque ex capite amneſtiæ ii ſolùm reſtituantur, quibus occaſione motuum bellicorum aliquid ademptum ſurreptumque fuit: eam reſtitutionem ad ſententias resque judicatas legitimo juris tramite finitas deciſasque haud pertinere, extra omnem controverſiam eſt.

SCHOLION. Niſi fors læſum ſe conquerens partialitatem judicis, iniquitatemque ſententiæ durante, & anſam dante bello contra ipſum pronuntiatæ docere valeat.

§. 8.

Pax à Summo Imperante quà tali, & nomine Reipublicæ initur (Cap. II.); ad pacta igitur realia pertinet (Lib. III. Cap. IV. §. 16.); quæ cum ad heredes, regnorumque ac Principatuum ſucceſſores tranſeant: pacem heredes quoque & ſucceſſores regni obligare, nec cum Principis paciſcentis morte expirare, evidens eſt.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. An etiam, quam tutores, & vicarii regnorum adminiſtratores, aut uſurpatores planè ineunt? In regulâ omnino affirmandum: quum nonniſi graviſſimis ex cauſis pax poſt bellum ſancita rumpenda ſit; enimverò, quandoquidem pupillorum, atque Reipublicæ capite legitimo deſtitutæ favor intervenit, læſione liquidò commonſtratâ, quidni reſciſsâ quoque, ſicubi opus, pace ejusdem ſarcitio petatur? nihil hic à Principe vel republicâ læsâ ſuſcipitur, quod cum pactorum juribus ex aſſe haud conveniat.

§. 9.

Rumpitur pax iisdem modis, quibus armiſtitiorum (Cap. I. §. 7.), pactorumque reliquorum obligatio deſinit (Lib. III. Cap. VI. §. 19.); niſi quod perpetuitas pacis (Cap. II. §. 3.) lapſu temporis expirare eandem haud ſinat.

COROLLARIUM. Quumque exceptioni metûs inter Gentes locus ſit quàm rariſſimè (Lib. III. Cap. V. §. 18.); potiſſimùm verò in compoſitione pacis, ubi uterque tranſigentium juſtam ſeſe fovere cauſam credit, ea admittenda haud ſit: nec pacem ordine & tramite legitimo inter volentes concluſam (Cap. II. §. 2.); aut Jure victoriæ (Lib. IV. Cap. X. §. 19.), aliisve juſtis de cauſis extortam, obtentu metûs reſcindi poſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Admiſſo principio contrario inter gentes liberas, nullum ſupra ſe judicem agnoſcentes, omnis pacis ſecuritas, ſtabilitasque

corrueret; Unde principium: *pacem obtento metû rumpi poſſe*, inter profligata, atque exitioſa Juris Gentium dogmata jure merito referimus.

# CAPUT IV.
## DE LEGATIS, & VARIO EORUNDEM ORDINE.

§. 1.

POſt bellorum motus pacem firmam ſtatuminare (Cap. II.), armiſtitia (Cap. I.), atque fœdera pangere (Lib. IV. Cap. VIII.), enatas ex variis cauſis controverſias ac lites mediis & viis amicabilibus componere (Lib. IV. Cap. II. §. 2. ſeq.), commerciorum florem mutuâ ope promovere (Lib. II. Cap. IV.), officia humanitatis in officia neceſſitatis convertere, atque de eorundem præſtatione in futura etiam tempora ſecuras ſeſe reddere (Lib. III. Cap. IV. §. 3.), amicitiam denique ſtabilem colere, & ſocialitatis (Lib. I. Cap. II. §. 12. ſeq.) legibus ex condigno ſatisfacere Gentes nequeunt, niſi inter ſe intimiùs conveniant, de rebus ad utilitatem cujusvis

ſpe-

Digitized by Google

ſpectantibus colloquantur, ſemotisque ambiguitatibus tractatus & pacta coram concertata ineant, aliaque plura, quæ ad teſtificationem culturamque amicitiæ ſinceræ pertinent, exequantur; Enimverò, ut Gentes, eorumque Rectores, Reges, & Principes immediatè ſemper conveniant, neque corporis moralis compoſiti indoles, neque internum reipublicæ regimen, & longior ſœpè mora, quam tractanda inter populos diverſos negotia ſibi depoſcunt, patitur; alios igitur à ſumma Reipublicæ poteſtate conſtitutos *Mandatarios* atque *Internuntios* adhibendos eſſe liquet, quorum operâ negotia extera cum populis ſive vicinis, ſive longiùs etiam diſſitis ſuſcipienda, gerendaque perficiantur.

COROLLARIUM. Unde Mandatariorum ac Internuntiorum, qui nomine reipublicæ ſummique Imperantis ad populos exteros ſeſe conferant, aut inter ſe tractandorum negotiorum causâ in congreſſibus publicis conveniant, neceſſitas obſcura eſſe nequit.

SCHOLION. Quâ ratione Mandatarii ab Internuntiis differant, ex Jure Naturali, doctrinâ ſcil. de pactis, repetendum: illi nimirum negotium ſibi commiſſum juxta mandati formulam in ſua perſona

ſona expediunt, contractusque & pacta ipſi celebrant; hi, internuntii ſcilicet, inſtrumenta potiùs, atque in perficiendo negotio alienæ voluntatis interpretes agunt; licet in hoc ipſo mandatum quoque intervenire concipiatur: quare mandatariorum nomine promiſcuè utemur.

§. 2.

Negotia Rêipublicæ atque Summorum Imperantium apud exteros gerenda vel *publica* ſunt, & *majeſtatica*: vel *privata*, *domeſtica*, & *vulgaria*. Unde mandatariorum Principis & Reipublicæ apud exteros duas claſſes nanciſcimur; ad primam qui pertinent, id eſt, qui publica & majeſtatica negotia Principis ac reipublicæ nomine apud exteros gerunt, generali nomine *Legati*; qui verò claſſi ſecundæ adſcripti privata ſolùm atque vulgaria Principis & Reipublicæ negotia procurant, nec immediate cum Principe aut Republica extera, ſed mediatè ſolùm per ſubordinata tribunalia, aut cum privatis etiam tractant, *Agentes*, *Conſules* (Lib. II. Cap. IV. §. 12.), *Procuratores*, & *Commiſſarii* dicuntur.

SCHOLION. Agentes, Conſules, Procuratores, Commiſſarii, rerumque privatarum Adminiſtratores

tores qualesnam ſint, ex dictis abundè colligitur. Omnis eorundem differentia in diverſitate negotiorum privatorum, nec non modo, quo eadem gerunt, procurantque, quærenda eſt; hæc, prout aut nobilia magis, aut ignobilia ſunt, majorem adminiſtranti ſplendorem conciliant. Plerumque axiomate conſiliariorum à Principalibus ſuis, ſeu committentibus ornantur; niſi planè ejusmodi ſint negotia, quæ à vilioris quoque notæ hominibus, imò à judæis adminiſtrari, gerique valeant. Plura de iisdem addere opus haud eſt, utpote privato magis, quàm publico jure æſtimandis.

§. 3.

Qui nomine & vice ſummi Magiſtratûs ſive in- ſive extra rempublicam jura majeſtatis atque ſummi Imperii adminiſtrant, exercentque, ii pro concreditâ ſibi ſpartâ *ſummam reipublicæ poteſtatem repræſentant*; quatenusque officiis, dignitatibus, ac honorum titulis coruſcant, ex quibus repræſentatio illa majeſtatis & ſummi Imperii velut in ſpeculo, ſeu typo comparet, eatenus charactere ſeu ſymbolo majeſtatis repræſentatitio præfulgere dicuntur; ut proin *character repræſentatitius in genere* definiri poſſit; quod ſit ſignum, ſive nota, unde

repræſentatitio ſummi Magiſtratûs atque Principis in functione juris alicujus majeſtatici colligitur.

COROLLARIUM I. Legati jura Reipublicæ ſive Principis quà talis apud populos exteros procurant (§. 2.); charactere itaque repræſentatitio inſtructi ſunt.

COROLLARIUM II. Ex adverſo Agentes, Conſules, Procuratores, aliique qui Principis & Reipublicæ negotia ſolùm privata, domeſtica, & vulgaria apud exteros (§. 2.) eo, quo diximus, modo curant, charactere repræſentatitio deſtitutos eſſe liquet.

SCHOLION. Atque Character hicce repræſentatitius generalis non communis ſolùm eſt Legatis, ſed & Officialibus, Conſiliariis, & Miniſtris Principis ac Reipublicæ quibuscunque aliis, in functionibus & dignitatibus publicis conſtitutis; quâ ratione etiam Majeſtatem & Jura Reipublicæ in eorundem perſonis lædi dicimus.

## §. 4.

Enimverò negotii, quod Legato apud exteros gerendum concreditur, gravitas, Principis, ac Reipublicæ tum mittentis, tum ejus, ad quam Legatus mittitur, Majeſtas, ſplendor, & dignitas, aliæque rationes plures

Digitized by Google

plures peculiari ſœpè id ſibi ratione depoſcunt: ut reſpublica, ejusque Caput majeſtaticum apud exteros intimiùs repræſentetur, atque in perſonâ Ablegati ſui non ſolùm quoad negotium gerendum, ſed quoad majeſtaticos inſuper honores ac ſummitatem reipublicæ veluti præſens ſiſtatur. Unde tum per mandati credentiales literas, tum per externam pompam & ſplendorem, quo Legatum ſuum ſtipant, ſe, & rempublicam in ejusdem perſonâ veluti præſentes haberi, iisdemque honoribus ornari velle, quandoque ſignificant; qualem declarationem vel verbis expreſſis, vel peculiari titulo honoris, pompâve exteriore factam *characterem repræſentatitium in ſpecie ita dictum* ſalutamus; unde, qui eo præfulgent, *Legati in ſignificatu excellentiori*, ſive, ſi ita loqui liceat, *Ambaſſiadores*: qui verò charactere repræſentatitio communi & generali (§. 3.) inſtructi ſunt *Legati in ſignificatu minùs excellenti*: & quidem, ſi ad brevius ſaltem tempus apud Principem & rempublicam exteram commorantur, *envoyés*, *Ablegati*: ſin ad tempus

longius, & veluti ſtatarii jurium reipublicæ publicorum procuratores ibidem ſubſiſtant, *Reſidentes* vocantur.

SCHOLION. Atque inde patet, quâ ratione *Ablegati*, *Envoyés*, & *Reſidentes* charactere repræſentatitio gaudeant: quatenusque negari is iisdem debeat. Licet multa ex uſibus & obſervantiis populorum dijudicanda veniant; Legatos ſanè, quos *Envoyés* nuncupant, ſubinde Charactere repræſentatitio ſpeciali, perinde, ut Ambaſſiadores, gaudere, ſæpius videmus.

§. 5.

Qui cum Charactere repræſentatitio ſpeciali (§. 4.) mittuntur, *Legati primi Ordinis*: qui verò cùm charactere repræſentatitio communi & generali (§. 3.), *Legati ſecundi ordinis* audiunt. Porro, tam primi, quàm ſecundi ordinis Legati vel ad unicum ſolùm alterumve negotium brevi tempore expediendum, vel ad plura, eaque indefinita pro ratione temporis & loci ſeſe exerentia, longiusque ſpatium ſibi depoſcentia mittuntur; prioris generis Legatos, ſive primi, ſive ſecundi ordinis, *extraordinarios*: in ſpecie *Ambaſſadeurs extraordinaires*: & *Envoyés*

Digitized by Google

*voyés extraordinaires*; poſterioris generis Legatos *ordinarios*, *Ambaſſadeurs ordinaires*, & *Reſidentes* nuncupamus.

COROLLARIUM Ambaſſiadores tam ordinarios, quàm extraordinarios ad Legatos primi: Ablegatos verò, ſive ita dictos *Envoyés*, & *Reſidentes*, ad Legatos ſecundi ordinis referendos eſſe, pronè inde conſequitur.

§. 6.

Quodſi primi ordinis Legatis extraordinariis ſolennitates tantùm & humanitatis officia apud Regem & populum exterum in perſonâ & nomine Principis ſeu Reipubl. mittentis peragendæ committantur, Legationes extraordinarias *honorificas*: ſin tractatus gravioris momenti, veluti ſponſalia nomine ſui Principalis contrahenda, pax concludenda, & ſimilia cum plenâ tractandi & contrahendi potentiâ concredantur, *Legationes* extraordinarias *cum plenâ potentiâ* dicere lubet; Unde *Legatorum Honorificorum*, & *Plenipotentiariorum* notiones indipiſcimur.

SCHOLION I. Legationibus extraordinariis honorificis in defungendis plerumque actibus ſolenni-

bus, qui Regum ac Principum perſonam Majeſtaticam propiùs contingunt, quosque in ſua perſona cum inſigni ſplendore & pompâ peragi, Majeſtatis dignitas poſtulat, locum eſſe deprehendimus; veluti: dum nomine principis Matrimonium per procurationem ineundum, gratulationes pro felici auſpicio regni, ſimiliaque peragenda ſunt; Unde nonniſi natalium ſplendore conſpicuis, primæque claſſis ſtatûs Adminiſtris talismodi Legationes demandari ſuêvere. Quidquod in ipſo quoque Charactere repræſentatitio, quo Legati primi ordinis coruſcare dignoſcuntur, (§. 5.), nonnulla etiam ſeſe differentia manifeſtet, propiusque extraordinarii, quàm ordinarii, perſonam ſui Principis & faciem Reipublicæ referant; quod mirum videri haud debet, quum à ſummæ poteſtatis arbitrio dependeat, in quantum ſe ac majeſtatem ſuam apud gentem exteram repræſentari velit.

SCHOLION II. Alias Legatorum diviſiones, ut & diverſa illa nomina, quibus apud quamlibet gentem efferuntur, commemorari prætereo. In Hierarchico ſummi Pontificis regimine id ſpeciale eſt, quod, qui Religionis & ſacrorum jura apud reges & populos exteros in perſona & nomine ſupremi Capitis Hierarchici procurant, *Nuntii*, iique vel *à Latere*, vel *Apoſtolici*, vel *Nati* vocentur; de quorum dignitate, officiisque videndi Canonum Doctores; & qui de ſummi Pontificis in ſacris poteſtate commentati ſunt.

§. 7.

§. 7.

Legati Majeſtatica ſummi Imperii jura Principis & Reipubl. nomine apud exteros procurant (§. 2.); quum itaque ſubditi nec majeſtate, nec ſummæ poteſtatis juribus polleant: jus mittendi Legatos Principibus tantùm & Rebuspublicis independentibus, neutiquam verò ſubditis competere apparet.

COROLLARIUM. Quum tamen Respublicas majori civitatis cujusdam ſyſtemati ſubordinatas analogâ ſummi Imperii poteſtate, præſertim, quod jura majeſtatis tranſeuntia attinet, inſtructas eſſe haud implicet: vel Statibus Imperii R. G. teſtibus; hâc rerum facie Principes & Status Imperii, regnive alterius cujuscunque ſubordinatos, jure mittendi Legatos gaudere, nemo abnuet.

SCHOLION. Quando itaque Romani civitatibus municipalibus & Coloniis jura mittendi legatos tribuunt, Legatorum tum nomine aliam eos miſſorum ſpeciem, quàm in Jure Gentium hìc intelligimus, *deputatos* ſcilicet, innuere apparet. Quales quoque eſſe conſtat, quos Nobilitas Imp. Immediata ad Imperatorem dirigit. Quodſi tamen bello civico impliciti ſubditi jura ſummitatis conſenſu & agnitione populorum vicinorum indipiſcantur (Lib. III. Cap. III. §. 22.), jus quoque mittendorum Legatorum eosdem inſimul nanciſci, evidens eſt.

§. 9.

§. 8.

Cum ſubditis porro nulla Majeſtatis communio eſt; ac proin legationis à ſuprema republicâ vicinâ ad eosdem dirigendæ objectum habile nullum proſtat; quapropter nec ad alterius reipublicæ ſubditos Legatos mitti poſſe, evidens eſt.

SCHOLION. Qui à ſuperiori ad inferiorem mittuntur, *commiſſarii*, item *delegati* dicuntur; Principum verò, & Rerumpublicarum negotia cum ſubditis exteris, Agentes, & nationum Conſules curare ſolent (§. 2.).

§. 9.

Quæ tum vicinorum, tum longiùs etiam diſſitorum populorum ope, mutuoque auxilio & amicitiâ haud egeat, cuique plura cum principibus & civitatibus exteris negotia tractare neceſſe non ſit, respublica vix extitura eſt; Quum itaque rerumpublicarum inter ſe negotia publica & majeſtatica per Legatos, (§. 2.) privata & domeſtica, ſingulosque magis reſpicientia, per Agentes, Conſules &c. gerenda, atque adminiſtranda ſint, (ibid.); jus & obligatio mittendi Legatos, nec non conſti-

Digitized by Google

conſtituendi Agentes & Conſules ex una parte, ſicut ex altera parte obligatio eosdem recipiendi & tolerandi, pronè conſequitur.

COROLLARIUM I. Receptio igitur Legatorum ſocialitati, atque adeò primo & fundamentali Juris Gentium principio (Lib. I. Cap. II. §. 12. ſeq.) conſona eſſe deprehenditur.

COROLLARIUM II. Ex eo tamen, quòd, utrùm contrahere, tractareque cum populis exteris respublica velit, liberi ſit arbitrii, neque extra caſus neceſſitatis (Lib. II. Cap. VIII.) ad officia humanitatis quispiam adigi valeat: receptionem Legatorum non neceſſitatis, ſed humanitatis ſolùm eſſe colligimus.

COROLLARIUM III. Enimverò, qui humanitatis officia, vulgaria præſertim, & innoxiæ utilitatis (Lib. II. Cap. VII. §. 1.), quale regulariter quoque receptio Legatorum eſſe dignoſcitur, alteri negat, is inhumanus, barbarus, & inhoſpitalis ſalutatur: receptionem itaque Legatorum qui citra gravem & juſtam cauſam recuſat, inhumanitatis ac barbariei, vel inimicitiæ ſaltem implacabilis, ac crudelitatis notam defugere vix poterit.

SCHOLION. Quod autem juſtæ recuſationis cauſæ quandoque ſubeſſe poſſint, dubio caret; Sic populus Legationes aſſiduas jure reſpuit, ſi plus ſibi inde accerſſitum iri damni, quàm emolumenti pervideat; ſi Reſidentes, Legatique exploratores ſolùm agant, imminuereque commerciorum florem vafrè laborent. Jure non admittuntur

tur, quos inimico eſſe animo, atque amicitiam ſolùm mentiri conſtat; quò populum adversùs ſuperiorem ſuum concitent, aut ſeditiones foveant. Qui ob crimina ac ſcelera olim republicâ pulſi, conſequenter quibuscum velut de pari tractare, probroſum, infraque Reipublicæ dignitatem eſt; & quæ ſunt mille rationes aliæ, quas ipſa rerum argumenta ſuppeditant.

§. 10.

Qui Reipublicæ, penes quam Principis & Reipublicæ alterius negotia majeſtatica procurare debet, ſubjectitio nexu devinctus vivit, eum ex una parte multis modis à recta negotiorum ſibi concreditorum adminiſtratione impediri poſſe, penſitanti obvium eſſe debet; ex altera autem parte inconcinnum videtur, faciem reipublicæ & majeſtatem principis per alterius reipubl. civem ac ſubditum repræſentari: ſicuti ex adverſo cum eâ, quæ eſt inter ſuperiorem & inferiorem, relatione pugnat, in ſubdito reipublicæ alterius repræſentantem, conſequenter ſuo modo parem, agnoſcere; Unde facilè patet reipublicæ, ad quam legatio deſtinatur, ſubdito munus Legati, cum charactere præ-

Digitized by Google

præſertim repræſentatitio ſpeciali deferendum haud eſſe; & ſi deferatur, Superiori receptionem legati recuſandi (§. 9 Coroll. II. & Schol.) juſtam cauſam competere.

COROLLARIUM I. Agentes, Conſules &c. Charactere repræſentatitio carent (§. 3.): eos igitur Reipublicæ exteræ, ubi Principis & Reipublicæ alterius negotia procurant, lites & proceſſus reſpiciunt, commerciorumque utilitates ac florem promovent, bona & jura privata adminiſtrant &c, ſubditos eſſe, nequaquam implicat.

COROLLARIUM II Quin, cum Reſidentibus ſtatariis levioris ſolùm momenti jura publica, officiali ferè titulo, & absque Charactere repræſentatitio ſpeciali (§. 4.) procuranda incumbant; nec in his omnis à regulâ modo ſtabilitâ exceptio abſurdum involvit.

SCHOLION. De ſubditis veri nominis, id eſt qui in loco legationis defungendæ domicilium habent, non verò, qui per abuſum, & quoad quosdam ſaltem effectus (Lib. II. Cap. V. §. 16. Schol.) tales audiunt, id eſt, qui bona immobilia eò loci poſſident, ſermonem nobis eſſe per ſe liquet.

§. 11.

Legati rempublicam vel in functione ſolùm publicorum ſibi commiſſorum jurium, & ſine charactere repræſentatitio ſpeciali

 (§. 4.),

(§ 4.) repræſentant; vel totius reipublicæ, ſummique Imperantis Majeſtatem, ſummitatem ac dignitatem cum charactere repræſentatitio peculiari (d §.), velut in typo & ſimulacro referunt; In receptione itaque Legatorum tum ad qualitatem hanc repræſentatitiam, tum ipſius reipublicæ, Principisque Majeſtatem, prærogativas ac dignitatem reſpiciendum, indeque receptionum ſolemnia determinanda eſſe, nullo negotio conſtat.

SCHOLION I. Modica vel nulla ferè eſſe ſolent, quæ in receptione Legatorum ſecundi ordinis (§. 5.) obſervantur, ſolemnia; Aſt extantiora quæ in Legatis primi ordinis (ibid.), omnium vero extantiſſima, quæ Legatis extraordinariis honorificis, & Plenipotentiariis exhibentur. Quorum rationes in gradu qualitatis repræſentatitiæ majori quærendam eſſe, indubiè liquet. Ipſæ ſolemnium formulæ, receptionumque modi cuivis Reipublicæ propriæ, ad Jus Gentium ceremoniarium pertinent.

SCHOLION II. Cæterùm uti Agentes Conſules &c. publica negotia ſub Legatorum qualitate haud procurant, ita in eorundem receptione ſolemnia omnia exulare exploratum eſt.

§. 12.

Digitized by Google

§. 12.

*Credentiales literas* vocamus, queis negotiorum cum Principe, aut alienâ republicâ tractandorum, nec non characteris repræſentatitii modum Princeps atque respublica mittens ſignificat, ſimulque, ut Legato ſuo plena in commiſſis ſibi negotiis fides habeatur, cum reciprocæ humanitatis conteſtatione rogat.

COROLLARIUM I. Quoniam neque ſecurè cum Legato tractare, neque characteri repræſentatitio debitum honorem, cum receptionis & admiſſionis ſolemnibus præſtare licet, niſi Mandati formulam, id eſt, Credentiales literas in originali exhibuerit: literas Credentiales Legato conſignandas, ab eodemque Principi ſeu Reipublicæ, ad quam mittitur, exhibendas eſſe, exploratæ eſt veritatis.

COROLLARIUM II. Agentes, Conſules, Commiſſarii &c. (§. 2.) non immediatè cum Principe ejusque ſtatûs adminiſtris, ſed aut cum ſubordinatis officialibus, aut planè cum privatis, nec publica propriè, ſed privata & vulgaria negotia tractant; Credentialibus igitur literis ad Principem aut Rempublicam exteram immediatè directis opus haud habent: atque vel ex hoc etiam Capite à Legatis differunt.

SCHOLION I. Literis tamen recommendatitiis inſtrui ſolent; quò feliciùs, promptiùsque concredita ſibi negotia ad exitum perducant.



Digitized by Google

SCHOLION II. Præter Credentiales literas ſeparatæ quoque *inſtructiones* Legatis conſignari ſolent: in quibus mandati limites curatiùs definiuntur, & agendi tractandique modus penitiùs præſcribitur; quæ, uti in privatos Legati uſus conſignantur, exhibendas haud eſſe, citra difficultatem intelligimus. Cœterùm ad inſtructionum literas, ceu cynoſuram ſtellamque polarem, in dubiis Legati meritò reſpiciunt, indeque, quid ad poteſtatem eorundem pertineat, dijudicant.

# CAPUT V.

## DE SANCTITATE, INVIOLABILITATE, RELIQUISQUE LEGATORUM JURIBUS.

§. I.

LEgatorum officia inter Gentes, & populos diverſos tum pacis ac concordiæ mutuò firmandæ & conſervandæ, tum ſalutis communis promovendæ ergò indiſpenſabilis ſunt neceſſitatis (Cap. IV. §. I.), utilitatisque maximæ; quumque præterea in demandatis ſibi functionibus publicis rempublicam & ſummum

mum Magiſtratum repræſentent (Ib. §.3.), præcipuè verò, qui Charactere repræſentatitio ſpeciali (Cap.IV. §.4.) gaudent, perſonas ſuorum Principalium, nec non reipublicæ, unde mittuntur, Majeſtatem dignitatemque intimiùs referant; In Legatis, quod inter res humanas veneratione ſummâ dignum meritò habetur, id eſt, Summum Imperium, & reipublicæ majeſtatem velut in typo contuemur; neque eosdem citra commune populorum diſpendium, & ſocialitatis neglectum lædi poſſe concipimus; Enimverò, quod propter eximiam dignitatem ac præcellentiam peculiari veneratione dignum eſt, neque citra detrimentum damnumque maximum in genus humanum redundans lædi à quopiam poteſt, id *Sanctum* dicimus (Lib.III. Cap.V. §.4.); *Legatos* igitur indiſtinctè, peculiari verò ratione eos, qui charactere repræſentatitio gaudent, *Sanctos* eſſe apparet.

COROLLARIUM I. A ſanctitate inviolabilitas ſeparari neſcia eſt, per modò dicta: *Legatos* igitur non minus *inviolabiles*, id eſt peculiari ratione adversùs læſiones quorumcunque munitos eſſe conſtat.

COROL-

COROLLARIUM II. Nec minùs ex notione ſanctitatis Legatos in genere, ſpeciatim verò charactere repræſentatitio inſignitos, ſummè venerandos, atque honoribus maximis mactandos eſſe prono conſecutionis filo deducimus.

SCHOLION. Sanctitatis quippe notio duo involvit: *inviolabilitatem*, ex inſigni læſiones conſecuturo detrimento: dein *Venerationem* ac *honorem*, ex dignitate & qualitate repræſentatitiâ conceptibilem; ex quibus fontibus omnia ferè Legatorum jura pronè derivare licet.

§. 2.

Legatos itaque veluti Principum ſuorum vivas imagines, atque rempublicam in compendio repræſentantes, dum per territoria aliena tranſeunt, atque ad deſtinatæ legationis locum pergunt, exhibitis *liberi commeatûs* literis, queis, ut ſuppono, character inſimul, qualitasque repræſentatitia inſerta legitur, honorificè ubique recipiendos, atque ab omni violentiâ læſioneque tutos præſtandos eſſe liquet (§. 1. Coroll.).

COROLLARIUM. Id quòd à potiori intra fines territorii Reipublicæ, ad quam Legati mittuntur, curatè obſervandum, &, ſicubi opus, itineris comites, corporisque cuſtodes addendos eſſe, nemo dubitat.

SCHO-

Digitized by Google

SCHOLION. Tranſitum denegandi, aut Legatos aliò pergentes planè detinendi, quænam cauſæ juſtæ eſſe poſſint, tum ex dictis Cap. præced. (§. 9. ſchol.) tum ex Lib. II. Cap. VII. (§. 7.) colligere licet. Id facilè patet, Legatos populorum neutrorum & amicorum, etiamſi ad hoſtes pergant, detineri, aut à tranſitu prohiberi haud poſſe; id quod tum adhuc humanitatis regulis congruere mihi videtur, ſi Legati hoſtium innoxium tranſitum petentes ad populum, communem amicum, contendant.

§. 3.

Qui in rempublicam ejusque Majeſtatem injurii ſunt, eos *criminis læſæ majeſtatis reos* dicimus; quum itaque Legati imago ſint reipublicæ, præcipuè verò, qui charactere repræſentatitio ſpeciali (Cap. IV. §. 4.) reſplendent, majeſtatem ejusdem, & perſonam ſupremi Magiſtratûs referant; in Legatis ipſam Reipublicæ, Principisque, unde mittuntur, Majeſtatem lædi, indubium eſt.

COROLLARIUM. Quoniam igitur pro enormitate criminis pœnas quoque exacerbare convenit, potiſſimùm verò in eos, qui res ſanctas (§. 1.) lædunt, omnium graviſſimæ ſtatuendæ veniunt, veluti ex Jure Publico univerſali, & generali doctrinâ pœnarum notum eſt: qui Legatos læ-



Digitized by Google

dunt, injuriisque proſcindunt, pœnis graviſſimis plectendos eſſe evidens eſt.

SCHOLION. Idque non minùs de ſubditis loci, ubi commorantur Legati, quàm de proprii territorii civibus dicendum; cum ſanctè coli Majeſtatem, & ab omni violentiâ immunem ſervari utriusque reipubl. peræquè interſit; adeò ut Reipub. mittenti injuriam faciat Princeps ſive civitas, quæ Legatorum violatores pro condigno haud coercet. Poenarum modum quod attinet, is Legislatoribus definiendus relinquitur.

§. 4.

Ex eo porro, quod Majeſtatem ac faciem Reipublicæ Legati, primi præcipuè ordinis (Cap. IV. §. 5.) exhibeant; Majeſtatis verò præcellentiam pompâ quoque, & externis magnificentiæ ſymbolis contuendam præberi, multis de cauſis interſit, veluti ex J. Publ. univerſali liquet: Legatos, interque eos, qui primi ſunt ordinis (d. l.), nonniſi condignâ, ac majeſtatem decenti pompâ ad rempublicam exteram ablegandos eſſe, facilè concipimus: Perſonas, quæ tum Legationis ritè obeundæ, tum pompæ & majeſtatici ſplendoris ergò Legatis adduntur, *comitatum Legatorum*, ſive *Legationis* dicimus,

mus: Legatos igitur abſque comitatu haud ablegandos, eumque Legationis & Legatorum veluti partem, atque acceſſorium eſſe, indubiè liquet.

COROLLARIUM. Inde verò concipimus, cur comitatus Legatorum primi ordinis ad normam ferè Palatii Principalis & pompæ aulicæ inſtituatur; Cur iisdem viri natalium ſplendore inluſtres adjungantur, qui officia palatina referant; Cur Secretariis Legationum, veluti Conſiliariis, nec non ſcribis Authoritate publicâ provideantur; Cur Epheborum nobilium, dignitati ac Charactéri eorundem convenientem numerum, & majorem longè famulorum, atque domeſticorum inferioris ordinis catervam; quidquod & corporis cuſtodes ſecum ducant, reliquaque ita ordinent, dirigantque, ut Principalis aulæ ſplendorem, ceu in typo conſpicuam præbeant.

SCHOLION. Sed cave ſis Comitatum & pompam omnium Legatorum eandem reputes. Ab arbitrio Principis quum dependeat, quatenus ſe & rempublicam per Legatos ſuos repræſentari velit (Cap.IV. §.6.ſchol.I.), inde quoque, qualis eisdem comitatus adjungi debeat, deciſionem expectandam eſſe, patet; Unde mirum haud eſt, ſi in extraordinariis Legationibus omnium ſplendidiſſimus; ex adverſo Ablegatorum, Envoyés, nec non Reſidentium comitatus valdè tenuis ſubin compareat.



Digitized by Google

§. 5.

Comitatus Legationis pars, & acceſſorium eſt (§. 4.); quare, ſicuti Legati (§. 1.), ita eorum quoque comitatum ſanctum & inviolabilem eſſe liquet.

SCHOLION. Ad ſimilitudinem ſcilicet Aulæ Principis, quam ſanctam & inviolabilem eſſe, in vulgus notum eſt.

§. 6.

Ex eodem prorſus fonte, quod Legati Rempublicam, Principisque, unde ablegantur, perſonam & majeſtatem repræſentent (Cap. IV. §. 3. & 4.), iidem in territorio alieno, potiſſimùm in republicâ, ad quam ablegantur, conſiſtentes, Principis & Reipublicæ mittentis loco jure haberi poſſe, deberique, nullo negotio intelligimus; quum igitur Princeps & Respublica mittens perſonæ moralis liberæ atque independentis vices actu ſuſtineat (Lib. I. Cap. I. §. 5.): Legatos quoque in republicâ exterâ conſtitutos, cum eorundem comitatu, pro perſonis liberis, & independentibus, in ſtatu naturali viventibus, reputandos

Digitized by Google

tandos eſſe, indubio veritatis robore nititur.

COROLLARIUM I. In loco proin Legationis eo propemodùm loco habendi, ac ſi Respublica mittens, ejusque Caput majeſtaticum ipſum præſens foret; id eſt: Legati, & Respublica, ad quam miſſi fuêre, veluti duæ perſonæ in ſtatu naturali æqualitatis juxta ſe viventes contemplandæ veniunt (Lib. II. Cap. I. §. 19. & 20.).

COROLLARIUM II. Indeque citra pulveris jactum rationem reddideris: cur Legati non niſi cum ſolenni pompâ ad audientiam deducantur: cur in præſentiâ Principis & ſummi Magiſtratûs ſedentes, tectoque capite loquantur: cur domi ſuæ Uraniſco utantur, & ſi majoris ordinis ſint, ſubinde cuſtodibus corporis ſtipati incedant, & quæ ſunt alia plura, quæ ex ipſis rerum momentis propiùs hauriuntur.

COROLLARIUM III. Nec minus inde eluceſcit: cur Legatis idem locus, eademque ſeſſionis prærogativa, quæ Principalibus ſuis, debeatur: adeò, ut citra injuriam inferiori loco haberi nequeant.

SCHOLION I. Summa eſſe ſolet Legatorum ſolicitudo in hiſce dignitatis, præeminentiæque prærogativis exactè cuſtodiendis; cum non tam de ipſorum, quàm Reipublicæ, unde mittuntur, juribus agatur. Quapropter usque adeò ſœpe Legatorum, prærogativas ſuorum Principalium tuendi ſtudium incaluit, ut ad cædes, quin & bel-

la deventum eſſe, exemplo non uno apud Wicquefortium edoceamur.

SCHOLION II. Independentes verò, & in ſtatu velut naturali conſtitutos, dum Legatos dicimus; id de loco Legationis, non intuitu Rerumpublicarum mittentium, utpote quarum adminiſtri ſubditique eſſe intelliguntur, capiendum eſſe, per ſe liquet.

## §. 7.

Verùm enimverò, cum mutuatitiâ tantùm Principis & Reipublicæ, unde mittuntur, majeſtate dignitateque Legati præfulgeant; propriâ eosdem deſtitutos eſſe neceſſe eſt; Quapropter nec majeſtatis encomia, ipſisque Principibus in perſona tribui ſoliti honorum ac præeminentiarum tituli Legatis conveniunt.

COROLLARIUM I. Atque inde concipimus: cur extra audientias & cerimonias ſolennes, Principis & Reipublicæ, ad quam mittuntur, Majeſtatem comiter venerari ſoleant.

COROLLARIUM II. Hinc & illud quoque inter populos ferè obtinet: ut Principes ſupremi præſentes, dignitate ac prærogativâ licet inferiores, aliorum Principum Legatos antecedant; & ſi quæ ſunt alia plura, quorum inde ratio repetenda eſt.

SCHOLION. Sed ad uſus tamen & obſervantias hìc attendendum; præſertim, quod eundi ſedendique

que ordinem attinet, hunc namque, quominùs Legati Charactere repræſentatitio inſtructi adversùs quoscunque, etiam Reges Principésque in perſonâ, tueantur, manuteneantque Juri Gentium, atque ex eodem ſtabilitis hucusque principiis nequaquam repugnat.

§. 8.

Legati porro unà cum comitatu ſuo (§. 4.) veluti respublica alia, à republica, ad quam mittuntur, diverſa, & ab eâdem prorſus independens conſiderandi ſunt (§. 6.); quà Legati igitur pro ſubditis reipublicæ ubi commorantur, nullo reſpectu reputari queunt.

SCHOLION I. Idque vel inde etiam pro parte liquet, quod in loco commorationis pro peregrinis, neutiquam verò pro incolis, domicilium ibi cum deſtinatione perpetuâ habentibus cenſeri poſſint (Lib. II. Cap. V. §. 16.).

SCHOLION II. Quoniam Legati bona immobilia in loco Legationis poſſidere haud prohibentur, horum intuitu eosdem Reipublicæ, in quâ commorantur, ſubjectionis, ut ut valdè impropriè talis (Lib. II. Cap. V. §. 16. ſchol.), vinculo illigatos eſſe nil obſtat.

§. 9.

Digitized by Google

§. 9.

Ab omni igitur ſubjectionis nexu cum Legati immunes pronuntiandi (§. 8.), & aliena veluti respublica, ejusque Caput Majeſtaticum conſiderandi ſint (§. 6.): in alienam verò rempublicam Reipublicæ alteri nulla jurisdictio competat (Lib. I. Cap. I. §. 5.): nec Principi quoque, aut Reipublicæ, ubi Legati commorantur, ullam in hoſce, *quà tales*, jurisdictionem adſcribi poſſe, evidens eſt.

COROLLARIUM. Quumque, qui à jurisdictione alterius immunis eſt, aliud tamen, cui ſubjaceat, forum agnoſcit, illam excipiendo declinare, & ad hoc ſuum forum revocare, id eſt, ut ibi conveniatur, petere queat; Legatos quoque à jurisdictione, civitatis, ubi commorantur, exemptos (§. 6.), ſuæ tamen Reipublicæ forum agnoſcentes (§. eod. ſchol. II.) priorem *excipiendo declinandi*, & ad *ſuum* forum, id eſt, *domum revocandi* jure gaudere, expeditum eſt.

SCHOLION. Firmo igitur ſtat talo Legatorum à jurisdictione loci, ubi commorantur, exemptio, atque domum revocandi facultas, quam fruſtra & inani conatu quidam, quos nominare honoris gratiâ prætereo, impugnatum iverunt.

§. 10.

Digitized by Google

§. 10.

Quod igitur negotia civilia, contractus, teſtamenta, hisque ſimilia attinet, horum intuitu Legatus alibi, quàm coram ſuo Principali, id eſt, Republicâ mittente, ſalvo Jure Gentium, & charactere repræſentatitio efficaciter conveniri nequit (§. 9.): nullâ differentiâ, utrùm ante ſuſceptam Legationem in loco domicilii, an verò durante Legatione actus illi geſti, debitaque contracta fuerint, locum inveniente.

COROLLARIUM. Quoniam verò Legatos, *quà tales* ſolùm, exceptione fori, & exemptione à jurisdictione loci ubi commorantur, gaudere diximus (§. 9.); patet, hanc exceptionem eisdem haud profuturam, ſi ratione bonorum, in loco aut territorio Legationis ſitorum, conveniantur; ſi, quod in Legatis ſecundi ordinis, imò, primi etiam ordinis quandoque contuemur, negotiatores agant, & ratione negotiationis conveniantur.

SCHOLION. Verùm, inquies, eventurum ita eſſe quàm ſœpiſſimè, ut ſubditi creditores creditis fraudentur: utpote quos ad fora domicilii Legatorum longè diſſita ablegare, & actiones planè negare, perinde ferè videatur. At enim, non tanti hæc ſunt ponderis, ut immota Juris Gentium principia evertere poſſint, utque, cur à demonſtratis Legatorum juribus exceptionem admittamus, inducere nos debeant;

præcipuè, cum caſus, ubi Legati eam nomini ac dignitati ſuæ maculam adſperſuri, atque debita contrahendo actiones forenſes adversùs ſe ſuſcitaturi ſint, raros ego futuros opiner; & ſi contigerint fortè, in promptu ſunt ſuperiori remedia, queis ſubditorum prætenſiones ad felicem exitum promoveat, interceſſionalibus ſcilicet ad Legati Principalem datis, atque ita, ut Creditoribus ſatisfaciat, efficiendo; Quodſi ne ſic quidem quidpiam proficiatur, ipſeque Principalis juſtitiam impertiri, honoremque tum Majeſtatis ac dignitatis propriæ, tum Legati ſui in ſalvo collocare detrectet; Repreſſaliarum jura in promptu ſunt (Lib. IV. Cap. II. §. 13.); Ad quæ tamen extrema haud facilè provolandum, ſicuti nec temerè quidpiam admittendum, quod in Characteris repræſentatitii, & ſanctitatis Legatorum jura impingat. Omnium verò minimè tale quid in Legatos primi ordinis ſtatuendum erit.

§. 11.

In cauſis criminalibus idem ex eadem ratione (§. 9.) dicendum; ita ut, qualiacunque crimina Legati admiſerint, de iis non Judex loci, ſed Princeps & Reſpublica mittens, cognoſcendi, Legatosque puniendi facultate polleat: Charactere repræſentatitio (§. 6.), ſanctitate & inviolabilitate (§. 1.) omnem in Legatos quacunque ratione exercendam vim reſpuente.

COROL-

Digitized by Google

COROLLARIUM I. Quando proin ſupra (Lib. II. Cap. V. §. 30.) peregrinos in alieno ſolo commorantes in criminalibus legibus loci, ubi delinquunt, teneri demonſtravimus, id ad Legatos vel ideo trahi haud poſſe conſtat, quòd veluti ipſa respublica extera præſens conſtituta, atque, quoad locum legationis ceu in ſtatu naturali independentiæ viventes (§. 6.), conſiderandi veniant.

COROLLARIUM II. Reges & Principes ſuperiorem ſupra ſe haud agnoſcentes, ſi in alieno territorio ſine animo ſua ibidem regna Principatusque repræſentandi conſiſtentes, vel tranſeuntes, delinquant, aliasve obligationes contrahant, utut propter Majeſtatem perſonæ, quam ſecum vehunt, humaniùs eosdem haberi conveniat: quoad ea tamen, quæ ſecuritatem publicam attinent, Legibus loci ſubſunt (cit. Lib. II. Cap. V. §. 16. & 30.); quod cum de Legatis ſecus ſit (Coroll. præced.); Legatos in loco Legationis conſiſtentes quoad exemptionem fori tam in civilibus (§. 10.), quàm in criminalibus, per modò demonſtrata, majoribus prærogativis, quàm ipſi Principales ſine animo, ſua Regna & Respublicas repræſentandi, ibidem conſiſtentes gaudere, extra controverſiam eſt.

SCHOLION. Sed neque mirum videri id debet; Legatus ſuæ reipublicæ, unde mittitur ſubditus eſt, nec ejus intuitu pro independenti haberi valet: puniri itaque à ſuperiori ſuo poteſt, eique coercendus tradi, quod in Regibus & Principibus ſupremis ſecus eſt; Quapropter Majeſtas Principes à privatis quidem criminum pœnis, & coercendi

 mediis

mediis vulgaribus haud immeritò eximit, aſt planè impunè in alieno eos territorio ſecuritatem publicam læſuros, ego non dixerim. Secus tamen, ſi in congreſſu, aut negotiorum publicorum causâ in territorio alieno conſiſtant; eo enim caſu veluti respublicæ planè independentes, atque Reges, nec non Principes, in ſuis veluti regnis conſtituti, conſiderandi ſunt.

§. 12.

Quodſi itaque Legati in loco Legationis delinquant, & quacumque ratione ſecuritatem publicam lædant, coram Principibus ac ſuperioribus Magiſtratibus ſuis,* id eſt, rebuspublicis mittentibus accuſandi, &, ut promeritis pœnis, non ex legibus loci, ubi deliquerunt, ſed domicilii & reipubl. mittentis æſtimandis (§. 6.), afficiantur, atque pro re natâ etiam avocentur, petendum erit.

COROLLARIUM I. Nec diſtinctio admittenda: utrùm in ipſam rempublicam & Principem, an in privatos delictum admiſſum fuerit; niſi, quod in criminibus læſæ Majeſtatis enormioribus primam apprehenſionem Superior loci ſibi vindicare queat, ſicubi fugæ, aut evaſionis ſuſpicio ſit: reo ipſo ſuæ Reipublicæ ad puniendum tradendo.

COROLLARIUM II. Præterquam, ſi ipſe mittens criminis conſcius, ipſoque volente Legatus talia patrâ-

patrârit: aut ſi impunem dimiſſum iri, prævie exploratum ſit; his namque caſibus Reſpublica, in quam crimen admiſſum, jurisdictionem, coercitionemque Legati meritò ſibi vindicat.

SCHOLION. Quoad crimen læſæ Reipublicæ & Majeſtatis alios aliter ſentire, ac Reipublicæ læſæ indiſtinctè jurisdictionem in Legatum delinquentem adſcribere, me non latet; Enimverò, cur ab inviolabilitate & ſanctitate Legatorum exceptioni locum demus, ſicubi per legitimum ſuperiorem condigna impetrari ſatisfactio poſſit? cur in perſonâ Legati Reipublicæ mittentis Majeſtas dignitasque proſtitui debeat, ſicubi hæc innocens, & ad puniendum Miniſtrum ſuum paratam ſe exhibet, non video; plura pro firmandâ ſententiâ adverſâ allegari tum argumenta, tum exempla haud ignoro; at at, uti illa ex ſtabilitis hìc principiis facilè reſolvuntur, ita poſteriora pleraque facti ſunt, ad exempla genuina Juris Gentium haud trahenda.

§. 13.

Quum executio, in cauſis etiam, in quibus ex aliis rationibus Legatus jurisdictionem loci agnoſcere tenetur (§.10. Coroll.), in perſona, rebusque Legati, uſui quotidiano, ſplendorique Characteris repræſentatitii inſervientibus citra violationem ſanctitatis Legati, læſionemque Majeſtatis reipub.



Digitized by Google

mittentis fieri haud poſſit: nec executionem in perſonam, & ſupellectilem Legati citra violationem Juris Gentium ullâ in cauſa fieri poſſe intelligitur.

SCHOLION. Idem adeò hoc caſu agendum, quod in cauſis criminalibus faciendum eſſe innuimus. Bona tamen Jurisdictioni loci ſubjecta, nec non merces, quibuscum Legati negotiantur, executioni ſubjacere, indubium eſt.

## §. 14.

Legatus, cum ſuo comitatu perinde, ac respublica mittens, ceu ab omni jurisdictione loci immunis conſiderandus (§. 9.); non magis igitur in comitatum ullam Magiſtratui loci Jurisdictionem, ſive in civilibus, ſive in criminalibus adſcribi poſſe, evidens eſt.

COROLLARIUM I. Ex eo tamen, quod Legatorum comites, ac famulitia per ſe independentiæ jure haud gaudeant, ſed Legatis Rempublicam repræſentantibus, ceu ſuperioribus ſuis ſubſint; Comitatus, ac famulitia Legatorum jure revocandi domum (§. 9. Coroll.) nullátenus gaudere, ſed ipſius Legati ceu ſuperioris ſui jurisdictionem in omnibus agnoſcere obſtrictos eſſe, liquidò patet.

COROLLARIUM II. Coram Legatis igitur conveniendi, quicunque in comitatu ipſorum deprehendun-

henduntur; & ſi inter ſe agant, legibus Reipublicæ ſuæ, ſin cum ſubditis loci Legationis lites intercedant, juxta hujus leges judicandi ſunt; id quod, cœteris paribus, in criminibus quoque obtinet.

COROLLARIUM III. Veruntamen, cum Legatos exequendi mediis plerumque deſtitui pateat, in criminibus, præſertim atrocioribus, rei aut magiſtratui loci puniendi tradendi, aut, ut Magiſtratus ſententias resque judicatas executioni mandet, literis requiſitorialibus impetrandum erit.

SCHOLION. Conflictus quandoque oriuntur, ſi, qui in comitatu Legatorum degunt, ſubditi loci ſint, ibique domicilium habeant; unde haud facilè indigenæ in Legationis Comites, famulosque admittendi.

§. 15.

Ulteriùs ex ſtabilitis hucusque principiis, atque ex eo, quod Legati cum comitatu ſuo veluti respublica extera in alienum ſolum transportata, ſummitate & independentia ſuâ nativâ gaudens haberi debeat, inferimus: quod ædes, locaque habitationis Legatorum, utpote, quæ interea temporis ceu territorium alienæ reipublicæ conſiderari, ſanctitas & inviolabilitas (§. 2.) Legatorum poſtulat, neque vi invadi, neque eò confugientes manu

manu armatâ extrahi, ſimilesque violentiæ in eadem exerceri valeant; his omnibus in imminutionem characteris repræſentatitii, læſionesque dignitatis Legatorum deſinentibus.

COROLLARIUM I. Loca, quæ neque vi invadi, & in quæ ſe recipientes, confugientesque vi extrahi nequeunt, *Jure Aſyli* gaudere dicimus: ædes igitur Legatorum jure Aſyli & immunitatis omnimodæ gaudere, expeditum eſt.

COROLLARIUM II. Quare ſi ſubditus loci, cujuscunque ordinis in ædes Legati cujusdam confugerit, extrahi manu violentâ haud poteſt: ſed requirendus Legatus, ut reum extradat, id quod citra gravem cauſam recuſare nequit.

SCHOLION. Sed ultra ædes, ad integras plateas extendere hanc immunitatis prærogativam, abſonum videtur. Quare, quæ haud ita pridem à Legatis quibusdam prætenſa fuit enormis adeò immunitatis extenſio, ea ſeſe nobis probat neutiquam.

§. 16.

Denique ex eodem fonte *Libertatem ſacrorum domeſticorum* Legatis adſcribendam venire, nullus dubitat; Eſt enim is Reipublicæ mittentis loco, in ſtatu independentiæ, & veluti domi collocatus; Quapropter

pter ſicut ibidem jure ſacrorum receptorum absque omni dubitatione gaudet, ita eadem ipſi ſub Legati nomine, & cum Charactere repræſentatitio alibi commoranti, negari nequit.

COROLLARIUM I. Ex eo tamen, quod Legati ſolùm, eorumque comitatus jure ſacrorum gaudeant, aliis, niſi fortè tranſeuntibus, ad eadem acceſſum haud patere, facilè patet.

COROLLARIUM II. Quum porro Legati intra ædes actus ſuæ Religionis omnes rectè exerceant, atque Sacerdotes æquè ac concionatores jure ſecum habeant; ſacra Legatorum plus aliquid, quàm devotionem domeſticam involvere, ad publica tamen ſacra referri haud poſſe, liquet.

COROLLARIUM III. Cumque Legati tam primi, quàm ſecundi ordinis Rempublicam repræſentent (Cap. IV. §. 4.); tam Ambaſſiadores, quàm Ablegatos, Envoyés & Reſidentes jure ſacrorum in ædibus ſuis gaudere apparet.

SCHOLION. Agentes verò, Conſules, ſimilesque inferioris ordinis adminiſtri apud exteros ab hoc jure regulariter excluſi ſunt, niſi fortè, quod in Conſulibus præcipuè fieri videmus, utilitatis communis causâ & his ſacrorum privatorum libertas ex jure humano indulgeatur.



Digitized by Google

§. 28.

Perdurat officium Legati, ejusque character repræſentatiſius, usquedum territorii fines egreſſus ad ſuos reverſus fuerit (§. 2.); eousque adeò ſanctitatis quoque & inviolabilitatis jura protendenda eſſe liquet.

COROLLARIUM I. Quumque, qui ut amicus acceſſit, receptusque fuit Legatus, neque interea ſuo, aut reipublicæ ſuæ nomine hoſtile quidpiam machinatus eſt, pro hoſte haberi nequeat; ſed neque æquitati, humanitatique conveniat, ut peccantis, bellumque declarantis, vel actu planè intentantis, reipublicæ ſuæ ipſe pœnas luat: Legatum, utut ante diſceſſum belli flammæ eruperint, inviolatum tamen ſecurumque ſub his circumſtantiis dimittendum eſſe, nullo negotio conficimus.

COROLLARIUM II. Secus ſi hoſtilem ipſe animum commonſtrârit: aut ſi inimici planè exercitûs ductorem egerit.

SCHOLION. Reliqua Legatorum jura prærogativas ac immunitates, titulos Excellentiæ u. c. jus primæ viſitationis à præſentibus recipiendæ, aliasque cerimonias uberiori tractationi reſervamus; hæc interim delibâſſe ſufficiat.

ELE-

# ELEMENTORUM JURIS GENTIUM LIBER VI.

## DE JURE GENTIUM POSITIVO.

## CAPUT I.

### DE JURE GENTIUM POSITIVO PACTITIO.

§. 1.

POſteaquam de juribus, quæ naturalis ratio inter Gentes, atque populos conſtituit, actum hactenus fuit, paucis nunc *jura & leges Gentium inter ſe poſitivas* (Lib. I. Cap. II. §. 3.), id eſt, conventiones & pacta mutuo conſenſu inita, necnon uſus & obſervantias tacitè receptas, actionumque inter populos diverſos normas legales, attingere, & vel ſummis ſaltem

 labiis

labiis delibare lubet; quumque Jus Gentium poſitivum in genere aliud ſit *pactitium*, aliud *conſuetudinarium* (cit. l. §. 4.); impræſens de pactitio agere animus eſt.

SCHOLION. Jus Gentium Cerimoniarum, prout aut pactis ſtabilitum, aut obſervantia introductum fuit, ad utrumque pertinet; quumque peculiares ſuos fontes agnoſcat, de eo ſpeciatim Capite III. acturi ſumus.

## §. 2.

Pacta, quæ & generali *fœderum*, atque *tractatuum* inter populos nomine efferuntur, jure à Gentibus erigi, imò abſque iisdem ſalutem, ac felicitatem rerumpublicarum haud conſiſtere, ſupra (Lib. III. Cap. IV.) oſtendimus; jura itaque, legesque Gentium pactitias, mutuo conſenſu ſtabilitas in Jure Gentium naturali fundamentum ſuum agnoſcere, indubium eſt.

SCHOLION. Perinde nimirum, uti in Jure Publico univerſali leges civiles in ipſis æternis naturæ legibus fundari docemus, ita ſimiliter de pactis Gentium dicendum: addunt illæ, detrahuntve aliquid Juri Naturali, & ſic jus civitatis proprium efficiunt; id quod identidem pacta inter diverſos popu-

populos præſtant; ſiquidem & hæc obligationes Gentium naturales non minùs ſubin augere, atque minuere dignoſcuntur; ut adeò, quod ad obligationem legalem Juris Civilis, & pactitiam Juris Gentium pactitii attinet, aliud haud intereſſe videatur, quàm quod Legislatori legum civilium cuſtodiam urgendi efficaciora, quàm Gentibus pactorum illibatam obſervantiam tuendi, media in promptu ſint; his ſcilicet in ſolâ armorum vi, & incertâ belli aleâ, mediisque violentis refugium ultimum collocare coactis.

§. 3.

Pacta, tractatus atque fœdera (§. 1.) inter Gentes alia ſunt *perpetua*, ſine ullâ temporis determinatione inita, alia *temporaria*, ad certum tempus contracta; quare *Leges* quoque *Gentium pactitias* (§. 2.), alias *perpetuas*, alias *temporarias* eſſe liquet.

SCHOLION. Ad Leges Gentium poſitivas pactitias temporarias armiſtitia, (Lib. V. C. I.), item induciæ (Lib. IV. Cap. XII. §. 10.) pertinent; ſed & fœdera in ſpecie ita dicta, aliique tractatus non infrequenter ad tempus ſaltem ineuntur.

§. 4.

Objecta Juris Gentium pactitii quænam ſint, ex elucidatis hactenus populorum di-



Digitized by Google

verſorum inter ſe officiis ac juribus facilè determinare licet; unde potiſſimas ſaltem conventionum ac tractatuum claſſes veluti per indicem adumbrare placet.

§. 5.

Huc igitur pertinent 1. *paces Religioſæ*, ſeu pacta, quibus controverſiæ fidei & ſacrorum inter diverſos populos definiuntur. 2. *Pacta tolerantiæ*, quibus libertatem ſacrorum aut mutuam, aut ex una ſaltem paciſcentium parte Gentes ſtabiliunt; quorſum libertas ſacrorum in emporiis, ac univerſitatibus ſtudiorum communis utilitatis causâ indulta referenda. *Concordata Nationum*, in regimine potiſſimûm hierarchico Sanctæ Sedis obvia; queis jura & privilegia nationum in collationibus beneficiorum, & electionibus, nec non prærogativæ, & exemptiones varii generis aliæ continentur.

SCHOLION. Scientiarum atque artium conjunctis viribus promovendarum (Lib. II. Cap. IV.) gratiâ tractatus inter diverſos populos auctoritate publicâ initos hucusque fuiſſe, haud recordor; quodſi tamen, uti in tantâ luce ſperare licet, erigi tales contigerit,

gerit, iisdem quoque in Jure Gentium pactitio ſub nomine *tractatuum*, ſeu *fœderum ſcientiarum & Artium, traités de ſciences* locum adſignandum eſſe liquet.

§. 6.

In jure porro Gentium pactitio locum inveniunt 1. *Tractatus Commerciorum, traités de commerces*, quibus, quæ ad libertatem commerciorum ſive ampliandam, ſive reſtringendam, & modificandam pertinent, communi paciſcentium conſenſu ad tempus, ſive in perpetuum definiuntur; quæ ex peculiari objecto ſpecialia ſubinde nomina indipiſcuntur, veluti *tractatus de Aſſiento* Gallos inter & Hiſpanos, nec non inter hos atque Anglos ratione commercii, præcipuè facultatis emendi & transportandi ita dictos *Negros* in colonias Americanas, liberumque cum iis commercium exercendi, initi. 2. *Tractatus Navigationis*; quibus, quæ ad commercia maritima, liberamque navigationem pertinent, conventionibus utrinque initis determinantur. 3. *Tractatus rei maritimæ, Traités de marine*; qui latiùs patere videntur, & non ſolùm circa navi-

navigationes, commercii causâ inſtitutas verſantur, ſed & ea, quæ ad navigiorum bellicorum, claſſiumque excurſiones, & appulſus ad oras atque litora, ſimiliaque ſpectant, pactionibus conventis in aprico collocant.

SCHOLION. Tractatus commerciorum, navigationis, reique maritimæ conjungi ſœpè ſolent, ſicubi nationis contrahentis commercia non terra tantùm ſeſe contineant. Cœterùm, quum commerciorum florem integrum ſervari, promoverique maximè interſit, tractatus ejusmodi, recentioribus præſertim temporibus frequentiſſimi ſunt, veluti ex Dumontii *Corpore diplomatico*, aliisque tractatuum publicorum Collectoribus videre licet.

§. 7.

Potiſſimam verò Juris Gentium pactitii partem efficiunt, *inſtrumenta & tractatus pacis* (Lib. V. Cap. II. §. 17.); *armiſtitiorum* (ibid. Cap. I. §. 1. ſeq.), *fœderum* (Lib. IV. Cap. VIII.), præcipuè, quæ ad tempus perpetuum ineuntur, quibusque Gentes *uniones virium*, tam defenſivas, quàm offenſivas in omnes occaſiones ſibi ſtipulantur; unde *confœderationum* & *unionum perpetuarum* nomina ſœpè indipiſcuntur.

SCHO-

SCHOLION. Quodſi *Garantia* & *aſſecurationes pacis* (Lib. IV. Cap II. §. 21.) peculiaribus pactis ſuſcipiant populi; & his quoque ſeparatus in Jure Gentium pactitio locus adſignandus veniet.

§. 8.

Affines memoratis modò (§. 7.) pactis, & pacis veluti fructus ſunt *tractatus limitum, traités de Barriere*, quibus tum de iis, quæ ad legitimos territoriorum fines (Lib. III. Cap. I. §. 9.) curatè determinandos, tum quæ ad eorundem ſecuritatem pertinent, inter duos pluresve populos conveniri ſolet.

COROLLARIUM. Unde, ſi populorum vicinorum, limites in ſtatu præſenti conſervari, vel maximè interſit, ut præter fœdus mutui auxilii, perpetuum quoque jus præſidii in locis & fortalitiis finitimis ſibi ſtipulentur, conſultum eſſe, nemo dubitat.

SCHOLION. Atque hoc fundamento celebratiſſimus ille tractatus limitum Imperatorem inter & provincias uniti Belgii a. 1715. initus, aut confirmatus potiùs, ſubnititur.

§. 9.

Porro huc trahendi 1. Tractatus omnes, quibus ſub *transactionum* atque *Compoſitionum*



Digitized by Google

*num amicabilium* nominibus vigentes inter populos plures controverſiæ ſopiuntur: quique proin jurium inter Gentes normas, & decidendi fontes indubios ſubminiſtrant; 2. *Pacta ſucceſſoria*, queis jura ſuccedendi inter ipſos paciſcentes in jura & ditiones tertii definiuntur: 3. *Tractatus partitionis ſucceſſionum & hæreditatum, Traités de partages*, quibus populi de hæreditate haud participantes vel ut mediatores, vel ex jure & neceſſitate æquilibrii conſervandi (Lib. IV. Cap. VII. §. 9.), quâ ratione in regna ditionesque tertii ſuccedi debeat, inter ſe conveniunt. 4. *Guarantiæ*, & *aſſecurationes Sanctionum pragmaticarum quibus ſuccedendi ordo ſtabilitur*, quales SereniſſimamDomum Auſtriacam cum plerisque Potentiis Europæ iniiſſe, iisque mediantibus *ſanctionem pragmaticam* roboraſſe conſtat. 5. *Tractatus & pacta ſucceſſionum, nec non hæreditatum renuntiativa*, & ſimilia, quæ paſſim obvia contueri licet.

§. 10.

Quin nec ea quoque pacta extra cenſum juris

Juris Gentium pactitii relinquenda, quibus Gentes 1. *armorum uſum* tempore belli definiunt (Lib. IV. Cap. IV.); aut 2. *Neutralitates* vel de novo concedunt, vel confirmant (ibid. Cap. IX.); 3. quibus denique *immunitates* & ſecuritates, nec non inducias largiuntur.

SCHOLION. Hæc tamen pacta ut plurimùm temporaria ſunt, atque cum ipſo bello expirant; unde in Jure Gentium non adeò magnum ea momentum habitura eſſe conſtat.

§. 11.

Agmen claudunt, *Tractatus amicitiæ ſpecialis, traités d' amitiè*, quibus enixior tum humanitatis, tum ſocialitatis, & hoſpitalitatis, ſimiliumque officiorum cultura inter paciſcentes pacto promittitur; quorum proin finis eò plerumque tendit, nequa fortè, bello adversùs alium ſuſcepto, alterâ ex parte armorum vis metuenda ſit; aut, ut commercia eò liberiùs, ſecuriùsque mutuò exerceantur.

§. 12.

*Jus Gentium pactitium ſpeciale eſt*, quod cuivis Genti proprium eſt; cum igitur qui-

libet regulariter populus nexu pactitio peculiari cum vicinis illigatus ſit, patet, aliud eſſe *Jus Gentium pactitium Imperii*: aliud *Jus Gentium pactitium Galliæ*, aliud *Angliæ*, & ita porro.

SCHOLION I. Atque peculiaria hæc Gentium jura ex pactis & tractatibus publicis jam nunc ſpeciatim determinanda forent, niſi prolixitatem illam præſens inſtitutum reſpueret.

SCHOLION II. Quoniam Jus Gentium pactitium conventionibus & pactis ſubnititur, quæ ad ejusdem interpretationem, modosque, queis expirat, pertinent, ex doctrinâ generali pactorum repetenda ſunt.

# CAPUT II.

## DE JURE GENTIUM POSITIVO CONSUETUDINARIO.

### §. 1.

OBſervantiam, *uſum*, ac *conſuetudinem* inter Gentes dicimus, normam actionum inter populos, cujus ratio in uniformitate actuum antecedaneorum

rum quærenda eſt; complexus plurium obſervantiarum *juris obſervantialis*, ſeu *conſuetudinarii* nomine venit.

COROLLARIUM. Quoniam conſuetudo ſeu obſervantia non in ratione ſolùm intrinſecâ, ſed in actibus antecedaneis fundatur, præter Jus Gentium naturale aliquid inducat neceſſe eſt: h. e. ut Juri G. naturali vel aliquid addat, vel detrahat (Cap. I. §. 2. Schol.) oportet; Jus igitur Gentium conſuetudinarium ad J. G. poſitivum pertinet (ibid. §. 1.).

SCHOLION. Queis diviſiones Juris vulgares in *ſcriptum* & *non ſcriptum* huc trahere volupe eſt, ii Jus Gentium conſuetudinarium pro jure non ſcripto habeant neceſſe eſt.

§. 2.

Conſtituit autem obſervantia normam vel Gentibus pluribus communem, vel ad unicum ſaltem populum reſtrictam; priori caſu *obſervantia communis*, poſteriori *propria* ſalutatur; quæ *duplicis* rurſum *generis* eſt: prout vel jus aliquod contra Jus Genti alteri, pacto aut longo uſu quæſitum inducit, vel jus nulli adhuc proprium ſtabilit.

SCHOLION. Id quod in ipſa etiam obſervantiâ Imperii probè obſervandum, ſiquidem obſervantiæ Imperialis effectus ritè determinare cogites.

§. 3.

Obſervantia, quæ communem normam conſtituit, ab omnibus, qui eandem ceu regulam actionum directricem ſequuntur, approbatur; rectè igitur ceu placitum commune, quale in pactis obvium eſt, & in quod paciſcentes conſentiunt (Lib. III. Cap. IV. §. 1.), conſideratur; ac proin obſervantias Gentium pacto tacito inniti, atque conſenſum pactitium in ſe comprehendere, haud inconcinnè dicitur.

COROLLARIUM. *Inter ipſos ergò populos, inter quos receptæ ſunt, probatione easdem haud egere, evidens eſt.*

§. 4.

Qui obſervantiam juris tertio quæſiti extinctivam (§ 2.) pro ſe allegat populus, is in effectu jus, quod alterius fuerat, ſibi adſerit; quum itaque jus alteri quæſitum invito ipſi eripi nequeat, niſi aut jure belli (Lib. IV. Cap. X. §. 9.), aut legitimâ præſcriptione (Lib. III. Cap. III. §. 17. ſeq.) acquiratur; neque hoc quoque caſu obſervantia populi firma ſtabit talo, niſi aut unâ, aut alte-

alterâ viâ jus prætenſum legitimè acquiſitum fuiſſe, doceatur.

COROLLARIUM. Cumque obſervantiam allegans populus in factis ſeſe antecedaneis fundet, facta illa juris acquiſitiva, id eſt, legitima & uniformia, fuiſſe, demonſtrandum, ac probandum eſſe patet.

SCHOLION. De tempore præſcriptionis inter populos vide (cit. Lib. III. Cap. III. §. 17.); id expeditum, tempora juris poſitivi hic haud attendi, & breviori ſœpiùs intervallo talismodi præſcriptiones abſolvi, ſiquidem, qui contradicere potuit, præſensve præjudicari ſibi paſſus eſt, populus tacuit.

§. 5.

Quodſi obſervantia novi quidem juris inductiva, aſt juris tamen tertio quæſiti extinctiva haud eſſe compareat, pauciores, imò unicus actus ad inducendam obſervantiam ſufficit; quum nullus ſit, qui contradicendi cauſam habeat.

SCHOLION. Ut tamen legalem quoque effectum ad extra habeat, agnitione populorum vicinorum opus eſt; quæ, ita comparatâ obſervantiâ, haud facilè neganda eſt.

§. 6.

Obſervantia normam actionum inter Gentes aut communem (§. 2.) aut propriam ponit

ponit (§. 2.), ac proin jus conſtituit (§. 1.); irrationabilem ergò, illegalem, & injuſtam eſſe haud poſſe, pateſcit.

COROLLARIUM I. Actionum inter populos normæ illegales, & rectæ rationi adverſæ tacito uſu introductæ *corruptelæ* audiunt; corruptelæ igitur ad obſervantias Gentium veri nominis, & Jus populorum conſuetudinarium perperam referuntur.

COROLLARIUM II. Eliminandæ proin è Jure Gentium veniunt uſus, ac conſuetudines omnes, quæ barbariem, crudelitatem, atque citra neceſſitatem nocendi pruritum, vindictæ cupidinem, ſimiliaque Gentibus humanis atque juxta rectæ rationis dictamina viventibus populis exoſa meritò vitia arguunt.

COROLLARIUM III. Quoniam itaque corruptelæ ac pravæ, ejusmodi conſuetudines apud veteres militares præſertim populos, diſciplinæ moralis ignaros, affectuumque impetu gubernatos, quàm plures irrepſerunt, ſtabulum hoc Augiæ expurgandum potiùs, contraque declamandum, quàm in Jure Gentium hiſce abuſibus ſub Juris G. titulo, locus aliquis dandus fuerat.

SCHOLION. Si exempla ejusmodi abuſuum quæras, adi Hugonis Grotii Lib. III. de J. B. & P. priora capita, eaque cum iis, quæ ſupra (Lib. IV. Cap IV. §. 4. ſequ.) de juſtis in bello nocendi modis docui, conferas.

§. 7.

§. 7.

Uſus atque obſervantiæ inter Gentes ſunt ſpecies juris poſitivi (§. 1. Coroll.), & quidem pacto tacito ſubnixi; perinde igitur, ſicut Jura Gentium pactitia, plenam obligandi vim producunt, atque jus ſuum mediis violentis extorquendi facultatem tribuunt (Lib. II. Cap. I. §. 2.).

§. 8.

Quænam in ſpecie ſint objecta obſervantiarum inter populos, curatè determinare oppidò quàm difficile eſt: humanitatis eædem plerùmque officia, & agendi modos concernunt, quæque citra obſervantiæ fulcimentum imperfecta erant jura, eadem in perfecta convertunt.

COROLLARIUM. Unde dantur obſervantiæ circa ſacra (Lib. II. Cap. II.) religionemque inter diverſos populos; Unde commercia (ibid. Cap. IV.) uſibus magnam partem, & obſervantiis reguntur; Unde quid in colliſione jurium inter diverſas Reſpublicas, circaque agnitionem actuum in alieno territorio geſtorum juris ſit (d. l. Cap. V.), omnium optimè ex uſibus ac conſuetudinibus receptis perhibetur; Unde præcedentiæ inter Reges, Principes & populos, aliæque eo-

 rundem

rundem prærogativæ (ibid. Cap. VI.) unicum ferè, ac tutiſſimum in obſervantiis fundamentum inveniunt (a); Inde denique tot alia belli non minùs, quàm pacis jura ſolo obſervantiæ uſûsque antiqui robore conſiſtere contuemur.

SCHOLION. Singula exemplis illuſtrare haud vacat; Vid. interim *Illuſtr. D.* de GOEBEL Diſſertat. *de obſervantiâ Gentium & Imperii* Cap. I.

§. 9.

Tolluntur Obſervantiæ inter Gentes, ſicuti conſuetudines & uſus alii; uſu ſcilicet, & receptione obſervantiæ contrariâ; &, ſiquidem contra Jura Gentium aliarum introducantur, præſcriptione, qualis inter Gentes recepta eſſe dignoſcitur (Lib. III. Cap. III. §. 17. ſeq.).

SCHOLION. Cœterùm, cum conſuetudines & obſervantiæ Gentium in factis fundentur (§. 1.); ad earundem notitiam peniriorem hauriendam egregiè conducunt hiſtoriæ politicæ, præſertim queis negotia cum populis exteris pertractata curatè conſignata leguntur.

CA-

(a) LUNIG. *Theatr. Ceremon.* Tom. I. Cap. II.

# CAPUT III.

## DE JURE GENTIUM POSITIVO CEREMONIARIO.

§. 1.

C*Eremonias*, ſeu *ſolennitates* in Jure Gentium dicimus: actiones, aliaque ſigna externa, quibus Gentes mutuos ſibi debitos honores, amicitiam, prærogativas, jura & obligationes demonſtrant.

SCHOLION. De ceremoniis igitur Juris Gentium, id eſt, quas populi inter ſe obſervant, non de iis, quæ in ipſa Republica variis in occurrentiis obſervari ſolent, quarumque immenſus ferè numerus eſt, ſermonem nobis eſſe apparet.

§. 2.

Ceremoniæ quatenus teſtificandi ſtatûs animi interni, honoris, prærogativarum, atque obligationum externè agnoſcendarum gratiâ exhibendæ veniunt, *Jus Gentium ceremoniarium* vocantur; quum verò aliæ jure ſolùm imperfecto nitantur, at-



Digitized by Google

que ex jure tantùm humanitatis debeantur: aliæ ex adverſo jure perfecto præſtandæ ſint, *Jus Gentium ceremonarium* aliud *imperfectum* ſive *humanum*; aliud *Jus Gentium ceremoniarum perfectum*, ſive *neceſſitatis* eſſe liquet.

SCHOLION. Non omnia cerimoniarum ſolemnia jure deberi perfecto expeditum eſt; & vel ex ſolis Regum atque Principum receptionibus, quæ nunc magis nunc minùs ſplendidè fieri ſolent, diſcere licet.

§. 3.

Porrò Jus Gentium ceremoniarium perfectum aut ſolâ nititur obſervantiâ (Cap. II. §. 1.), uſuque inter Gentes recepto; vel pactis atque tractatibus mutuis determinatum eſt; poſterius *Jus Gentium ceremoniarium pactitium*; illud verò Jus Gentium *ceremoniarium uſuale* vel *conſuetudinarium* vocare lubet.

COROLLARIUM. Quum de Jure Gentium pactitio (Cap. I.) æquè ac conſuetudinario (Cap. II.) actum jam fuerit; generales quoque utriusque regulas ad Jus Gentium cerimoniarium tum pactitium, tum uſuale applicandas venire, per ſe liquet.

SCHO-

SCHOLION. Obſervantiis plurimùm hìc deberi pervulgatum eſt; quum verò probatio obſervantiæ, utpote in factis antecedaneis non contradictis ſe ſe fundantis, difficillima ſit, mirum haud eſt, ſi tot inter Gentes ratione cerimoniarum controverſiæ vigeant, turbasque cieant quotidianas.

§. 4.

Conſiſtunt autem ceremoniarum præcipua capita, ſeu objecta in *receptionibus Regum ac Principum* in territoriis, atque Aulis Principum aut rerumpublicarum exterarum; 2. in *receptionibus Legatorum*, eorumque deductionibus ſolennibus ad audientias, viſitationibus, & ſimilibus honoribus exhibendis; 3. In *ſolennitatibus*, quas in *Congreſſibus publicis Reges* Principes atque Legati eorundem obſervare ſolent; 4. in *cerimoniis* in *declarationibus belli ſolennibus*, & *clarigationibus*, in Internuntiis & Fecialibus hinc inde mittendis, in deditionibus fortalitiorum, provinciarum & urbium uſu receptis; 5. in *ſolemnibus* queis tractatus *pacis*, eorundemque *ſubſignationes*, & *commutationes tabularum ratihabitionis*, nec non pacis *publicationes* & *executiones* ſti-

pari ſolent. 6. Denique in variis *ceremoniis maritimis*, quas navigia tum oneraria, tum majora bellica mari obvia ſibi facta, aut oras, fortalitiaque prætervehuntia in ſignum tum ſubjectionis, tum recognitionis dominii, aut alterius prærogativæ; vel denique in conteſtationem declarationemque amicitiæ mutuò ſibi exhibent; quorſum e. g. *demiſſio*, atque *expanſio apluſtrium* das Seegel-Streichen, und Flaggen wehen laſſen, pertinent.

SCHOLION. Quoniam ceremoniæ inter Gentes pactis & obſervantiis nituntur, quâ ratione eas alteri præſtandi obligatio deſinat, facilè eſt ad judicandum. Cæterum, ne quid circa ceremoniarum ſolemnia ſive in exceſſu, ſive in defectu peccetur, in pleriſque Regum ac Principum aulis *Magiſtri Ceremoniarum*, *Maitres des cerimonies*, ad id conſtituti eſſe dignoſcuntur, ut in receptionibus legatorum, aliisque actibus publicis obſervari ſuetas ceremoniarum formulas, rituſque exactè cuſtodiri curent. Horum ſpecies veluti ſunt *Introductores Legatorum*, *Introducteurs des Ambaſſadeurs*; de quibus ut & Magiſtris ceremoniarum vide LUNIGII *Theatr. Ceremon.* Tom. II. Cap. XXXII p. 1317. ſeq. Curatiorem porro, ac ſpecialiorem ceremoniarum inter Gentes Europæas adumbrationem amplius ſibi depoſcere otium, nemo non videt: unde ſit

FINIS.

ILLU-

# ILLUSTRISSIMO
ATQUE
# GENEROSISSIMO
# DOMINO COMITI
# DEFENDENTI
S. P. D.
JOANNES ADAMUS ICKSTATT P. P. & O.

QUando navatæ tuæ apud nos induſtriæ, atque edecumatæ, quam exquiſitiſſimis animi dotibus juxta ac ſolertiæ indefeſſæ in acceptis fers, in utroque jure ſcientiæ ſpecimen aliquod in publico edere, viriumque tuarum in cathedrâ juridicâ periculum facere ante ſemeſtre, & quod excurrit, ſpatium decreveras, comitem me tibi ILLUSTRISSIME DOMINE COMES, addere, & ceu fœdere inæquali junctus in campum unà progredi conſtitueram; Verùm mutavi protinus conſilium, ex quo in exercitationibus domeſticis, quas, me ſtudiorum tuorum in Jure Naturali, & Gentium, Publico, & Privato, duce ac moderatore, inſtituiſti quàm frequentiſſimas, quid humeri valeant, experiri coram, & cum viris ſpectatiſſi-

mis,

Digitized by Google

mis, atque omnigenæ doctrinæ laude conſpicuis mirari licuit. Solum nimirum Te reſolvendis dubiis, extricandisque quibuscunque difficultatum nodis plus quàm ſufficientem deprehendi, meâ nec ope, nec auxilio indigum. Solus itaque COMES ſine comite theatrum gloriæ tuæ ſcande: Solus victricem palmam decerpito, triumphalesque laborum tuorum fructus ſolus legito; Ego ſpectator interea, virtutisque tuæ admirator ero, concordibus ampliſſimi Conſeſsûs plauſibus ſincera mea vota jungens, ut Deus ter Optimus Maximus ſtudia tua obſecundare porro, Teque Illuſtriſſimi COLLOREDANI Nominis hæredem digniſſimum; MATRIS Excellentiſſimæ, illuſtriſſimâ KINSKYORUM proſapiâ oriundæ delicias: Univerſitatis denique noſtræ decus ac ornamentum immortale, ad ampliſſimas evectum dignitates, in Patriæ emolumentum certiſſimum ad ſeram usque ætatem ſervare velit incolumem; Cœterùm diſceſſum dum hinc paras, ego eundem tibi auguror auſpicatiſſimum, rogoque ut propenſione jam nunc ac favore, olim verò gratiâ etiam ac patrocinio me fovere velis; Vale dabam Wirceburgi VIII. Calend. Sept. 1740.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX.

## Numerus primus paginam ſequens §vum Libri & Capitis deſignat.

### A.


*Ablegati.* def. 491. §. 4. qua ratione Charactere repræſentatitio gaudeant 492. Schol.
ad Legatos ſecundi ordinis referendi ſunt. 493. Coroll.
jure ſacrorum in ædibus ſuis gaudent. 521. Coroll. III.
*Academiæ Scientiarum atque artium.* def. 66. §. 3. in iisdem erigendis atque ſtabiliendis quid curandum ſit. 69. §. 7.
*Acceſſiones territorii* limites arcifinios non perimunt. 180. Coroll. vid. quoque §. præced. quando aliter ſtatuendum ſit. ibid. §. 19.
*Actio bona Gentium.* def. 21. §. 16. mala. ibid. honeſta. 41. §. 13. inhoneſta. ibid. Coroll II. decora 43. §. 15.
*Acta publica.* eorum uſus. 26. Schol. §. 9.
*Adminiſtris Status Secretioribus* Rationes ſtatus arcanæ perviæ ſunt. 29. §. 14. adminiſtri limatiſſima rationum ſtatus Notitia carere non poſſunt. ibid. §. 15. per adminiſtros ſtat. ablegatos congreſſus inſtituuntur. 279. §. 5.
*Æqualitas.* def 45. §. 17. ejus ſignificatus diverſi. ibid Schol.
*Æquilibrium inter Gentes.* def. 359. §. 6. in quo conſiſtat. ibid. Coroll. quando tollatur 360. §. 7. quomodo conſervetur. ibid. Ejus cuſtodia. def. ibid. ad introducendum cuſtodiendumque æquilibrium Gentes obſtrictas eſſe. 361. §. 8. & Schol. Ejus conſervatio quando bello aſſecuratorio anſam ſubminiſtret. 364. Coroll. I.
*Æquitas* quid Leibnizio. 35. Sch.
*Agentes*, ad ſecundam claſſem Mandatariorum Reip. pertinent. 488. §. 2.
privata ſolum ejus negotia procurant. ibid.
Charactere repræſentatitio deſtituti ſunt. 490. Coroll. II.
Principum negotia cum ſubditis exteris curant. 496. Schol.


a Jus

Jus & obligatio conſtituendi Agentes ex una parte. ibid. §. 9. obligatio eos recipiendi & tolerandi ex altera parte. ibid.
Agentes reip. exteræ ſubditi eſſe poſſunt. 499. Coroll. I.
in eorundem receptione omnia ſolemnia exulant. 500. Sch. II.
Literis credentialibus opus non habent. 501. Coroll. II.
literis recommendatitiis ſolùm inſtrui ſolent. ibid. Schol. I.
à jure ſacrorum in ædibus ſuis regulariter excluſi ſunt. 521. Schol.

*Aggreſſio*. def. 344. §. 1.

*Aggreſſor*. def. 334. §. 1. quousque aggreſſori nocendum ſit. 341. §. 9. qua ratione aggreſſor invaſo ſecuritatem procuret. 342. Schol.

*Aggreſſus*. def. 334. §. 1. aggreſſi jus defenſionis infinitum eſſe 339. §. 6.

*Albinagii Jus*. def. 112. §. 29. cum Jure Gentium haud conſiſtit. ibid. conf. Coroll. limitatur ſæpe pactis mutuis. 113. Schol. Ejus æquitas ex Jure Romano demonſtrari nequit. ibid.

*Alea*. def. 285. §. 11. per eam controverſiæ deciduntur. ibid. hæc deciſio ad compoſitionem amicabilem referenda eſt. ibid. Schol. II.

*Alienatio* integrarum Provinciarum ac Civitatum 203 §. 9 majeſtaticorum atque Summi Imperii jurium. 204. §. 10. Regalium. 205. §. 11. Dominiorum. ibid. §. 12.

*Amare*. def. 117. §. 1. amare ſeſe mutuò Gentes obligantur. ibid. hoſtem amare obſtringitur, licet quis in eundem arma moveat. 321. §. 11.

*Ambaſſades* d' honneur, de Rejouiſſance, de Condoleance, 120. Schol. §. 4.

*Ambaſſadeurs* extraordinaires & ordinaires. def. 492. §. 5.

*Ambaſſiadores* tam ordinarios quàm extraordinarios ad Legatos primi ordinis referendos eſſe. 493. Coroll. jure ſacrorum in ædibus ſuis gaudent. 521. Cor. III.

*Amneſtia*. def. 461. §. 4. ex ejus notione quid conſequatur. ibid. Coroll.
Amneſtiarum ſpecies. ibid. Sch.
Amneſtia belli. def. 462. §. 5.
Amneſtiam in omni pace ſive expreſsè, ſive tacitè comprehendi. 463. §. 6.

*Amor ſocialis* def. 118 §. 2. de illo ut populi invicem perſuaſi ſint, ad exactam ſocialitatis cuſtodiam

Digitized by Google

diam refert. ibid. Re ipſa conteſtandus eſt. ibid. ſignis externis ſignificandus eſt. ibid. Amor erga benefactores ab ipſa natura implantatus homini. 146. §. 15. Amor Juſtitiæ compoſitiones litium amicabiles inter Gentes promovet. 277. §. 3. de Amore inimicorum agitur. 321. §. 11. & Scholio.

*Applicatio legis*, def. 24. §. 2. mediante ratiocinio fit. ibid. Schol. §. 1. Applicare Jus Gentium quid. ibid. §. 4. Ejus requiſita; qui legem ad facta inter Gentes obvia applicare cupit. ibid. §. 5. & Schol. ſeq. Applicatio dextra quæ ſit. 25. Schol. I. & Schol. II.

*Aptitudinum* nomine quid Grotius ſignificet. 33. §. 2. Schol.

*Arbitri*, def 280. §. 6. eos ab omni partium ſtudio debere eſſe alienos. 281. Schol. coram iis quomodo cauſæ diſceptatio peragatur. ibid.

*Arbitrio libero* populorum præſtatio officiorum hum. relinquenda eſt. 36. §. 7.

*Arcana rationes ſtatus*, quid potiſſimum pro fonte agnoſcant. 29. §. 14. Sch. à Gentibus moratioribus quando aſpernandæ ibid.

*Arma* injuſta adverſus alium movens populus jura aggreſſi perfecta lædit. 311. §. 20. ab armis injuſtis abſtinendum eſſe. ibid. armorum uſus officiis erga Deum adverſus Juri Gentium contrariatur. 322. §. 12. conf. Coroll. & Schol. Armis adverſus hoſtem venenatis uti, ad juſtas belli gerendi rationes referri haud poſſe. 328. Coroll. Armorum defenſivorum jus infinitum eſſe 339. § 6. Arma, quæ obtenta ſecuritate ulterius in hoſtem moventur, injuſta eſſe. 342. §. 10. ſub quibus circumſtantiis arma abſque indictione prævia in adverſarium movere liceat. 349. §. 8. ab Armis ulterius movendis quo caſu deſiſtendum ſit. 351. §. 10. Armorum ſocietatem cum infidelibus inire Juri Gent. non refragatur. 381. §. 10.

*Armiſtitium*. def. 450. §. 1. ejus ab induciis differentia. 451. Coroll. 1. conf 456. Schol. §. 8. ejus à pace diverſitas. ibid. §. 2. Armiſtitiorum ſtatus cum ſtatu pacis convenit. ibid. Coroll. Armiſtitii concludendi facultatem majeſtatis juribus annumerandam eſſe. 452. §. 3. Armiſtitia concludendi modus à modo concludendi pacem vix dif-



Digitized by Google

differt 453. Schol. inter quos populos iniri ſoleant armiſtitia. ibid. §. 4.
controverſias inter Gentes armiſtiria non omnimode excludere. 454. §. 5. iisdem durantibus quid licitè fiat ibid. §. 6. conf. Coroll. & Schol.
quo tempore initium ſumant. 455 §. 7. quo tempore expirent. ibid. & Schol.
effluxo ejus termino ſtatum hoſtilem non ſubitò redire. 456. §. 8.
Armiſtitiis finitis bella nova indictione ſolenniter declaranda ſunt. 456. Coroll. armiſtitia ad LL. Gentium poſitivas pactitias temporarias pertinent 525. Schol.
*Artes*. def. 64. §. 1. ſunt vel liberales vel illiberales 65. §. 2. earum ſcientia poſſibilis eſt. ibid. Schol.
conjunctis Gentium viribus ad majorem perfectionis gradum evehendæ ſunt. 77. §. 18.
*Aſſaſſinium* moratioribus Gentibus in bello ſemper diſplicuit. 333. §. 24.
*Aſſecuratores* def. 346. §. 5. aſſecurator pacis. def. 476. §. 21.
*Aſſecuratorium bellum.* Vid. Bellum aſſecurat.
*Aſſeverationes*. def. 249. §. 8. aſſeverationibus major promiſſis firmitudo conciliatur. ibid.
*Aſtutia bellica*. vid. Prudentia bellica.
*Atheiſmum* Gentes profligare oportet. 59. §. 15.
*Auxilia mutua* Gentes ſibi præſtare debent. 18. §. 10.

## B.

*Barbari Populi*. def. 40. §. 11.
*Barbaries* Gentibus devitanda eſt. 41. §. 12.
*Belligerantes*. vide Hoſtes.
*Bellum*. def. 299. §. 2. belli ſtatus def. ibid. Bellum in publicum & privatum dividitur. ibid. §. 3.
Bellum licitum eſſe. 301. §. 5.
Bellum ſtolidum def. 302. §. 6.
Bellum ob rem levem haud ſuſcipiendum eſſe 302. §. 7.
Belli publici gerendi Jus ad majeſtatica ſummi Imperii jura pertinet. 304. Coroll.
Bella civica, interna & privata def 305. §. 10. ea à rebellionibus diſcernuntur ibid.
Belli jus quibusdam in caſibus ſubditis adſcribendum eſſe. ibid. Coroll.
Bella ſolemnia & minus ſolemnia def. 306. §. 11.

Bellum

Digitized by Google

Bellum juſtum & injuſtum def. 307. §. 14.
Bellum ferum, brutum atque barbarum def. ibid.
Bellorum prætextus. 309. §. 16.
Bellum ob cauſas ſuaſorias injuſtas illicitè geritur. 310. §. 17.
à Bello injuſto abſtinendum eſſe. 311. §. 20.
Bella diſtinguuntur in defenſiva, & offenſiva ſive recuperatoria, & punitiva ſive aſſecuratoria. 314. §. 24.
Bellorum omnium intentio. 316. §. 4.
in Bello hoſti nocetur. ibid. Coroll.
Bellum defenſivum licitum eſſe. 335. Coroll. Ejus def. ibid. Regulariter absque declaratione ſuſcipitur. 337. §. 4. bella defenſ. ut plurimum minus ſolemnia ſunt. ibid. quando non ſint ſuſcipienda 340. §. 7. quomodo bellum antea offenſivum injuſtum jam in defenſivum juſtum, & bell. antea defenſivum juſtum, jam in offenſivum injuſtum degeneret. 343. Coroll. quomodo bellum ex purè defenſivo in defenſivo punitivum abeat ibid. §. 11.
Bellum offenſivum def. 344. §. 1. juſtum & injuſtum def. 345. §. 2.
Bellum aſſecuratorium def. 346. Schol. 353. §. 1.
Bellum offenſiv. non facile adversùs potentiorem neque ob rem injuriamque levem decernendum eſſe. 346. §. 4.
Bella offenſiva regulariter ſolemnia eſſe. 349. Coroll.
Bellum punitivum def. 353. §. 1. bell. punitiv. Juri Gent. conſentaneum eſſe 355. Coroll.
Bello punitivo aggredi populos haud alia ratione coerceri aptos, inflictisque pœnis ſibi ſecuritatem ab iisdem procurare integrum eſt. 367. §. 13.
neque in bello punitivo populo lædenti mala acerbiora graviaresque pœnæ infligendæ ſunt, quam quæ coercendæ ejusdem malitiæ, ſecuritatique conſequendæ pares ſunt. 369. §. 14.
Bellidux ad quod ſe ipſum atque rempub. obliget, ſi nonniſi pace datâ aut promiſsâ periculum evadere valeat. 467. §. 10.
*Beneficæ gentes.* 40. Coroll. I.
*Beneficentia.* def. 40. §. 10. ad eam gentes obligatæ ſunt. ibid. Coroll. II.
*Beneficia.* 39. §. 10.
*Bona.* Quomodo de bonis alicubi ſitis teſtari liceat. III. §. 27.
*Bonæ fidei Poſſeſſor.* def. 199. Cor.



Digitized by Google

## C.

*Capitulationes*. def. 447. §. 20. earum Confirmatio à ſuperiore poteſtate expectanda eſt. 448. Schol.

*Caſus fœderis*. def. 383. §. 12.

*Caſus neceſſitatis*. def. 150. §. 5. extremæ & ſimplicis. def. Schol. ſeq.

- - in Caſus neceſſ. gentes non rarò incidunt. ibid. §. 5.

- - in Caſu neceſſ. officia human. vi extorqueri poſſunt. 151. §. 7. quando non. 153. §. 8.

- - in Caſu neceſſitatis quid deſpiciendum ſit. 155. §. 10.

- - in Caſibus neceſſ. cum qua circumſpectione verſandum ſit. 161. §. 18.

- - in Caſu neceſſitatis Ducibus facultas competit publico ſummi Magiſt. nomine durante bello pacta concludendi 432. Coroll.

*Cauſa belli*. def. 306. §. 12. juſta & injuſta def. 307. §. 13. juſta quoque dicitur ſufficiens, injuſta verò inſufficiens. ibid. Coroll.

*Cauſa* ſuaſoriæ def. 309. §. 16.

*Cauſa* juſtificæ. ibid.

- - ob cauſas ſuaſorias juſtas bellum licitè geritur. 310 §. 17.

*Cauſa* ſuaſoriæ injuſtæ ennarrantur. ibid. Schol. §. 10.

*Cauſam* bello juſtam quibus ſub circumſtantiis æquilibri ſublatio præbeat. 363. §. 10.

*Cauſa* deditionis. 403. Schol.

*Cauſa* ob quas fœderati pacem particul. jure ineunt. 470. §. 13.

*Cauſa* ob quas populus legationes aſſiduas jure reſpuit. 497. Schol.

*Cerimonia* inter gentes. def. 539. §. 1. de quibus Ceremoniis ſermo ſit. ibid. Schol.

- - aliæ jure perfecto nituntur, aliæ ex jure tantum human. debentur. ibid. §. 2. conf. 540. Schol.

cur ratione Cerimoniarum inter gentes tot controverſiæ vigeant. 541. Schol.

*Cerimoniarum* præcipua objecta in quo conſiſtant. ibid. §. 4.

- - eas alteri præſtandi obligatio, qua ratione deſinat. 542. Scholio.

*Cerimoniarum* Magiſtri. def. ibid. Schol. eorundem officium. ibid.

*Cerimoniarium Jus Gentium*. def. 539 §. 2. aliud imperfectum ſ. humanum; aliud perfectum ſ. neceſſitatis eſt. ibid.

*Cerimoniarium*. Jus Gent. pactitium

tium & conſuetudinarium. def. 540. §. 3.

*Certamina* ſingularia def. 296. §. 25. quibus caſibus juſta pronuncianda ſint. ibid. Coroll. ea in controverſiis illuſtribus populis non probantur. ibid. Sch. ad antiquitatis magis delicias pertinent. ibid.

*Certatio per vim.* def. 299. Schol.

*Certitudo.* def. 243. §. 1. de certitudine præſtationis nec non ſecuturi pactorum implementi populos ſolicitos eſſe debere. ib. certitudo major inſecuturi pactorum implementi ſubeſt, ubi plures ad rem vel factum quoddam obſtrictos habemus. 246. §. 4.

*Character repræſentatitius.* def. 489. §. 3.

*Character* repræſentatitius non ſolùm legatis communis eſt, ſed & officialibus Conſiliariis & Miniſtris principis ac Reip. quibuscunque aliis in functionibus & dignitatibus publicis conſtitutis. ibid. Schol.

*Character* repræſentatitius in ſpecie ita dictus. def. 491. §. 4.

- - qui eo præfulgent, Legati in ſignificatu excellentiori ſ. Ambaſſiadores vocantur. ibid.

- - qui Charactere repræſent. communi inſtructi ſunt, Envoyés, Ablegati appellantur. ibid.

*Charactere* repræſentat. ſpeciali ſœpius etiam Ablegati gaudent. 492. Schol.

*Charitas.* quid Leibnizio. 35. Sch.

*Chartels.* def. 434. §. 7. eorum utilitas. ibid.

*Chriſtiani* populi licitè fœdera cum Turcarum imperatore ineunt. 381. Coroll. Neceſſitas ejusmodi fœderum. 382. Schol. quid cavendum ſit. vid. ibid. conf. quoque §. 11. & Schol.

*Chriſtianos* ſtatus amicitiæ in concuſſæ præ aliis decet. 460. Scholion.

*Cives* ejusdem Reip. in alieno territorio commorantes contractus juxta LL. ſuæ civitatis de jure celebrare tenentur. 106. §. 20.

*Cives* exteri ſi cum ſubditis loci, ubi degunt, contrahunt, legibus loci alligati ſunt 107. §. 21.

*Cives* diverſarum Rerump. legibus loci, ubi commorantur, ſeſe ſubjicere, & ſecundum illas contrahere quando teneantur. 108. §. 22. conf. Schol.

*Cives* ejusdem Reip. in alieno ſolo nuptias celebrantes legibus domi-

domicilii ſeſe conformare tenentur. 109. §. 23.
*Cives* exteri circa res & merces vetitas in- aut exportandas contrahere non poſſunt. 110 §. 25. quid in diſpoſitionibus ultimarum voluntat. obſervare teneantur. ibid. §. 26. conf. Coroll. & Schol.
*Civitas* qualibet perſonæ moralis rationem habet. 4. §. 4. & Schol.
*Clades* vide Strages.
*Clarigatio fecialium* ad ſolemnitates pertinet, quæ bellum præcedunt. 306. §. 11. ejus def. 348. §. 6. eam bello offenſivo præmittendam eſſe. 349. §. 7.
*Clauſula*, quam omnia Pacta imbibitam habeant. 384. §. 13.
*Coactiva media.* def. 32. §. 1. Schol.
*Collegium Romanum* de propaganda fide laudatur. 57. Schol.
*Colloquia inter gentes.* 279. §. 5. per ablegatos ſtatus Adminiſtros inſtituuntur. ibid.
- - de inſtituendis Colloquiis pacis pacta. 436. §. 9.
*Commerciorum* neceſſitas. 78. §. 1. & 80. Sch. eorum def. 79. §. 3.
- - ad Commercia inſtituenda Gentes obſtrictæ ſunt. ibid.
- - eorum libertas. def. 81. §. 6. ea inter Gentes illibata relinquenda eſt. ibid.
- - eorum commoditas promovenda eſt. 82. §. 7.
- - eorum flos quid poſtulet. 85. §. 11.
- - quando commercia non inhibenda aut ſuſpendenda ſint. 89. §. 16. & Schol.
*Commercantium* ſecuritati, commoditatique quomodo proſpiciendum ſit. 90. §. 17. & Coroll. conf. quoque §. 18.
*Commerciorum* cauſa qui ſeſe ad exteras Gentes transferunt, ſubditi ſuæ Reipubl. manent. 103. §. 15. iidem juſſibus ſupremi magiſtratus parere obſtricti ſunt. ibid. Coroll.
*Commercia* absque commutantium reciprocè facta declaratione fieri vix poſſunt &c. 217. §. 3.
*Commercia* inter gentes celebranda pactorum inſtitutum efflagitant.
*Commercia* cum Republica hoſtili rectè interdicuntur. 320. §. 10.
*Comitatus Legatorum.* def. 506. §. 4.
- - absque Comitatu Legatos haud ablegandos eſſe. ibid.
*Comitatum* eſſe partem atque acceſſorium Legationis. ibid.
- - cur comitatus Legatorum primi ordinis ad normam ferè Palatii Principalis & pompæ aulicæ inſtituantur. 507. Coroll.

- - qua

Digitized by Google

qualis comitatus Legatis adjungi debeat, ab arbitrio principis dependet. ibid. Schol.
- - in extraordinariis Legationibus ſplendidiſſimus: Ex adverſo Ablegatorum & Reſidentium valde tenuis comparet. ibid.
ComitatumLegatorum ſanctum & inviolabilem eſſe. 508. §. 5.
- - in Comitatum Legatorum magiſtratui loci nulla jurisdictio adſcribi poteſt. 518. §. 14.
Comitatus jurisdictionem ipſius Legati agnoſcere obſtrictus eſt. ibid. Coroll. I. & II.
*Comitatus* Legatorum jure ſacrorum gaudet. 521. Coroll. I.
*Compoſitio amicabilis.* def. 277. §. 2. in quibus compoſitionibus amicab. nullum prævium bellum præſupponatur. 284 Schol.
*Compromiſſum.* def. 280. §. 6. compromiſſa ſpecies ſunt compoſitionis amicabilis. 281. Coroll.
*ConcordataNationum.* def. 526. §. 5.
*Condolere alteri.* def. 120. Coroll. quando gentes amicæ populo vicino condolere debeant. ibid.
*Congreſſus* def. 279. §. 5.
*Conſenſus præſumptus.* 147. Schol.
*Conſenſus* pactitius legitimus. def. 222. §. 9. illegitimus. ibid. illegitimus Legibus refragatur. 223. §. 10. neque jus, neque obligationem pactitiam producit. ibid.
*Conſuetudo inter gentes.* def. 532. §. 1.
*Conſuetudinarium jus def.* ibid.
- - ad jus gent. poſitivum pertinet. ibid.
*Conſules.* def. 86. §. 12. eorum neceſſitas atque utilitas. ibid. eos recipiendos eſſe. 87. §. 13. eorum receptio tamen humanitatis eſt. ibid. Coroll. à populo, de cujus juribus atque Privilegiis tuendis agitur, conſtituendi ſunt. ibid. §. 14. ſub protectione illius populi vivunt. 88. Coroll. Charactere repræſentatitio non gaudent. ibid. Schol. I. ad Claſſem ſecundam Mandatariorum Reip. pertinent 488. §. 2. privata principis aut Reip. negotia procurant. ibid. Conſules conſtituendi eosdemque recipiendi jus & obligatio. 496. §. 9. Conſules reip. exteræ ſubditi eſſe poſſunt. 499. Coroll. I.
- - in eorundem receptione omnia ſolemnia exulant. 500. Schol. II.
Conſules literis credentialibus

opus non habent. 501. Coroll. II.
- - ſed recommendatitiis ſolùm inſtrui ſolent ibid. Schol. I.
- - jure ſacrorum regulariter non gaudent. 521. Schol.
- - Exceptio. ibid.
*Contractus*, quos ſubditi juxta LL. loci ſeu Reip. ritè celebrârunt, apud exteros quoque populos conſiſtunt. 96. §. 8.
*Controverſia* circa dominium maris, quomodo judicium de illa ferri poſſit. 194. Schol. Controverſiæ inter gentes, quantum poteſt, componendæ & ſopiendæ ſunt. 276. §. 1. Controverſias amicabiliter componere. def. 277. §. 2.
Controverſiæ inter populos facto compromiſſo in arbitros laudo finiuntur. 280. §. 6.
*Contumelia*. def. 264. §. 3.
*Conventiones inter populos initæ*, pro veris gentium LL. actionumque earundem normis directricibus habendæ ſunt. 15. Schol. Conventionum Claſſes. vid. 526. §. 4. 526 §. 5. 527. §. 6. 528 §. 7. 529. §. 8. ib. d. §. 9. 530. §. 10. 531. §. 11.
*Corruptela*. def. 536. Coroll. I. ad obſervantias gent. veri nominis perperam referuntur. ibid. & Coroll. III.
*Crimen læſæ Majeſtatis*. def. 264. §. 3.
*Crudelitas*. def. 323. §. 13. à crudelitate hoſtes alienos eſſe debere ibid Coroll.
barbariem pro fonte habet. ibid. Schol.
crudelitatis fœdiſſimo crimine qui populi ſeſe conſpurcent. 323. §. 14.
crudelitatem cum impietate qui conjungant. 324. Coroll. ne bella atque hoſtilitates in crudelitatem degenerent, pactis quandoque inter hoſtes initis efficitur. 435. §. 8.
*Culpa*. def. 263. §. 2.
*Cultura* ſcientiarum atque artium Gentes moratas à barbaris & incultis ſeparat 67. §. 4.
*Cultum divinum* Gentes promovere oportet 50. §. 1. Cultus Numinis verus. def. 51. §. 3. non niſi unus eſſe poteſt. 52. §. 4. Cultus uniformis def. 52. §. 5. idololatricus falſus eſt. 58. §. 14. quando cultus verus mediis violentis Gentibus exteris obtrudi poſſit. 156. §. 11. & Schol.

## D.

*Damnum* def. 263. Coroll. quænam damna dolo & culpa dentur. ibid. §. 2.

Dam-

Digitized by Google

Damnum præſens & futurum ſeu imminens. 265. §. 4.
Damna nemini Gentium dolo culpave inferenda eſſe. 266. §. 5.
Damnum reparabile vel irreparab. def. 267. §. 7.
Damni reſarcitio def. ibid.
Damna data reſarcienda eſſe 268. § 8.
Damna vel mediate vel immediate dantur. 279. §. 17.
Damna in ipſis bonis cauſata in reſtitutionem non veniunt. 483. Schol.
*Declaratio belli publica* bellum præcedere debet. 306. §. 11. ejus def. 348. §. 6.
dividitur in puram & conditionatam ibid.
*Decorum in actionibus Gentium.* def. 43. §. 15. Decori rationes variæ. ibid. Coroll. I.
*Deditio.* def. 403. §. 4. alia abſoluta & pura, alia conditionata eſt. ibid.
eam eſſe ſpeciem victoriæ. ibid. Coroll.
Deditio auf Gnad und Ungnad. 404. Cor.
*Dedititii.* def. 403. §. 4. pro victis habendi ſunt. ibid. Coroll.
in eos omnia, quæ in juſto bello punitivo in victos licent, ex jure armorum ſtatuere integrum eſſe. 404. Coroll.
Dedititio pacto appoſitæ conditiones intemeratè ſervandæ ſunt. ibid. §. 6.
*Defendere ſeſe* quid ſit? 334. §. 1.
*Defenſio.* def. 334. §. 1. ejus media quouſque continuanda ſint. 341. §. 9.
omnis Defenſio in induciis illimitatis conquieſcit. 442. §. 15.
Defenſio jurium perfectorum juſtas bello cauſas ſubminiſtrat. 308. §. 15.
ob Defenſionem Gentes licitè arma capeſſunt. ibid. Coroll.
*Delegati.* def. 496. Schol.
*Deprædationes.* def. 264. §. 3.
*Deputati* à quibus mittantur 495. Schol.
*Deſpota*, liberrima de Republ. diſponendi facultate gaudet. 207. §. 14.
Deſpotæ omnia jura, territoria ditionesque Reip. diſpoſitionibus ultimarum voluntatum in exteras Gentes transferre poſſunt. ibid.
*Devoirs* de Bienſéance. 43. Coroll. II.
*Diſpoſitiones mortis cauſa* inter populos regulariter exulant. 207. §. 13.
Diſpoſitionibus ultimar. volunt. deſpo-

deſpotæ omnia in exteras Gentes transferre poſſunt. ibid. §. 14.

*Diſquiſitio* de Religione Gentium liberarum inter ſe delicatiſſimæ tractationis eſt. 51. Schol. §. 3.

*Dolus malus.* def. 235. §. 10. & 263. §. 2.

Dolum ab omni pacto procul amovendum eſſe. ibid.

Dolo pacta inita, ipſo jure nulla irritaque eſſe. 235. §. 11. & Coroll.

*Dominium* maris controverſum. 194. Schol.

Dominia rerum inter Gentes mediantibus pactis alienantur. 205. §. 12. dominium. def 164. §. 2

Dominiis nullam bellorum inter Gentes fœcundiorem eſſe ſcaturiginem. 163. §. 1.

Dominium Gentium vel proprium vel commune. 166. §. 4. utrumque definitur. ibid.

Dominia Gent. propria penes privatos exiſtere nequeunt. ibid. Coroll.

Dominia Gent. propria conſiſtunt in territorio, juribus majeſtaticis atque regalibus. 169. §. 7.

ea penes omnes populos ſunt. 170. §. 8.

Dominia inter Gentes acquirendi modi 182. §. 2.

in quas res Gens quædam nullum dominium aſſerere ſibi poſſit. 192. §. 15.

## E.

*Emporia.* def. 83. §. 8. Gentes ad erigenda emporia publica obſtrictæ ſunt. ibid.

Emporia privilegiis ornanda ſunt. 84. §. 9.

ab Emporiis naves ac Gentes exteræ ſalvis hum. LL. arceri nequeunt. 142. §. 10. quando ſecus ſit ſtatuendum. ibid. Sch.

*Envoyés.* def. 491. §. 4. Charactere repræſentatitio ſpeciali ſœpius gaudent. 492. Schol.

Envoyés extraordinaires. def. 492. §. 5.

*Exceptio* metûs populo compeſcenti in peculiaribus circumſtantiis opponi poteſt. 241. Coroll.

*Executio pacis.* def. 480. §. 2. eam ſincerè citraque cavillationem perficiendam eſſe. ibid.

intra quod tempus facienda ſit. ibid. Schol.

eam promptiſſimè effectui dandam eſſe. ibid.

Executionis Receſſus. def. 481. §. 4. eam eſſe partem pacis. ibid. Coroll.

*Exemptiones* in jure Gent. def. 215. §. 21.

§.21. ad alienationes invitas pertinent. ibid. Coroll.
*Exploratores.* def. 331. §.22. Iisdem belligerantes jure utuntur. ibid.
an ab hoſte pœna affici poſſint. 332. Coroll. veluti in majeſtatem populi atque rempublicam dolosè machinantes perduelles conſiderandi. ibid. §. 23.
*Exteris* civibus facultas integra relinquenda eſt de bonis acquiſitis & aſportatis aliunde pro arbitrio diſponendi. 111. §.28.
quando hæc propoſitio limitationes patiatur. 112. Schol.
Exteri pœnalibus LL. in alieno territorio ſubjacent. 105. §.17.
juxta LL. loci, ubi delinquunt, judicantur. 114. §. 30. & Coroll.
